This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

LSoc 1726.35.5

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

BOUGHT FROM THE

AMEY RICHMOND SHELDON
FUND

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM
SCIENTIARVM,
AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS
ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PVBLICATA.
EDENDI CONSILIVM SVSCEPIT,
SVA NONNVLLA PASSIM ADDIDIT,
PRAEFATIONEM
PRAEMISIT,

FRIDER. OTTO MENCKENIVS,
PHIL. ET IVR. VTR. DOCTOR,
POT. POL. REGIS ET ELECT. SAX. CONSILIARIVS AVLAE,
VRBIS PATRIAE SENATOR, SOCIET. SCIENT. REG.
BORVSS. SODALIS.

VOLVMINIS QVINTI PARS PRIMA.

LIPSIAE,
IN OFFICINA HAEREDVM LANCKISIANORVM
MDCCXLVII.

LSoc 1726.35.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
AUG 31 1943

Sheldon fund

LECTORI ÆQVO

S. D.

FRID. OTTO MENCKENIVS.

Utcunque adhuc aut optatis noſtris eventus, aut conatibus ſucceſſus, reſponderit, nondum fatalis ille dies venit, quo Muſæ noſtræ, ſatis ad hunc diem agili & actuoſæ, theatro orbis eruditi publico ſit abeundum. Nam, quo olim impellente ex tenebris noſtris in lucem prodeundi conſilium cepimus, idem adhuc in venis noſtris recti bonique ardor fervet, in eo veri ignis naturam habens, quod eundo creſcat, &, quo longius explicat flammas ſuas, hoc difficilius reſtingui poſſit. Non ii ſumus, qui, quod volumus, poſſimus etiam; nec unquam nobis in mentem venit, de facultatibus noſtris plus, quam in ipſis eſt, ſperare. Bene ſcimus, his, qui ad debellandam barbariem, & ad tuendum illud ſcientiarum artiumque regnum, in aciem procedunt, armis opus eſſe, quam hæc noſtra ſunt, brachiisque fortioribus, &, ſi quid tale nondum præſtari ſatis a robuſtiſſimis inſtructiſſimisque legionibus potuit, id multo minus exſpectari a gregario hoc noſtro collectitioque exercitu debere. At illud tamen libere nunc profitemur, & profeſſi dudum ſumus, ita nos capitali in turpes illos ſolidæ doctrinæ hoſtes odio flagrare, ut res nulla alia maiorem nobis aut voluptatem afferre, aut gloriam, poſſit, quam ſi perditam ſive noſtra, ſive aliorum, opera crudelem hanc, unde interitus literis imminet, & bonis mentibus materia dolendi naſcitur, barbarorum tyrannidem videamus. Solemus igitur non

eos

eos tantum, quibus præclarum a natura datum eſt ingenium, nec ad conanda æque ac perficienda recta quæque voluntas deeſt, adhortatione noſtra ad coniungendas nobiſcum vires ſuas excitare, &, qui ſemel ingreſſi ſunt hunc campum, ut excurrere in eo per omnem vitam ſuam, & apertum ſibi ad gloriam laudemque curſum hunc putare, & promittere ſibi a ſera poſteritate laudabiliter factorum gratiam, pergant, conſilio, prece, exemplo, efficere; ſed noſtri etiam ſtudii tantum huc conferre, quantum a literatæ reipublicæ civibus non malis, nec nunc demum tirocinio egreſſis, proficiſci poteſt. Atque huius noſtri ſtudii haberi tibi, Lector, qualescunque fructus *Miſcellanea* hæc noſtra volumus, quippe eo animo a nobis inſtituta, ut officinæ loco eſſent, in qua nobili cuique artifici libere excudere opus ſuum, & utilia literis effingere, liceret. In quo, nemo tam iniquus eſt, qui non plus datum a nobis publicæ omnium utilitati. ad quam unam curæ noſtræ omnes & cogitationes ſpectant, quam privatis noſtris commodis, quæ non tam levia, quam prorſus nulla, ſunt, intelligat. Nos certe, operis tam ſalutaris, & per ſe honeſti, prima a nobis iacta fundamenta eſſe, tunc maxime gaudebimus, cum ad inſigne aliquod eorum, qui toto animo bonis artibus ſunt dediti, emolumentum redundaſſe hunc laborem noſtrum, res ipſa nos docebit. Habes igitur, cur eam de nobis, Lector, ſpem concipias, ita nos, ſicut viros decet, noſtri tenaces propoſiti futuros, &, niſi nos ſuprema illa rerum neceſſitas hinc invitos abſtraxerit, nunquam, dum vivimus, hanc rei, cum incremento literarum coniunctæ, curam ...imo dimiſſuros.

I. IO-

I.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII DISSERTATIO APOCALYPTICA DE CANTILENA MOSIS, SERVI DIVINI, EAQUE AGNI CANTILENA, AD Apoc. XV, 3.

SYNOPSIS.

§. I. *Tempus, quo literis conſignata fuit Apocalypſis.* II. *Periodi ſeptem, præceſſuræ adventum Meſſiæ vindicem.* III. *Comites & cantores illius cantilenæ.* IV. *Cantilena Moſis & Agni exhibetur* Devt. XXXII. V. *Cantilena Moſis haud differt a cantilena Agni.* VI. *Summa cantilenæ.* VII. *Effectus & eventus cantilenæ.* VIII. *Corollarium de nomine Moſis & Agni.*

Ut definiamus verum annum & ætatem genuinam *Apocalypſios Ioanneæ*, in literas relatæ, haud mediocri diligentia opus eſt.

Nihilo minus enodatio ac determinatio hæc ſummæ iuncta eſt utilitati. Pendet enim ex hoc momento chronologico ſolida *Apocalypſios* expoſitio, & viſorum, quæ in libro illo difficillimo exhibentur, debita evolutio. Contendemus itaque omnes ingenii nervos, ut tempus, quo illa fuit ſcripta, eruamus, ac in tuto collocemus. Ordiemur rem a primis elementis, nec argumenta, quæ nobis obſtare, vel oppoſita fuiſſe, videntur, dimittemus intacta. Certum vero id exiſtimo, *Apocalypſin* in literas penitus redactam fuiſſe, cum *Flavius Veſpaſianus* faſces imperii iam peteret, Iudæisque iam in Romanos inſurgentibus, ac rebellionem ſpirantibus; initia viſionum cadere in ultimam *Neronis* illius ſæviſſimi ætatem, qua Iudæi rebellionem inchoarunt, & Chriſtianis usquequaque cœperunt eſſe graves. Argumenta, cur ſic ſentiam, nunc ſunt exponenda. Præcedat ceteris inſcriptio Syriaca, quæ *Apocalypſi* præfixa fuit eo tempore, quo Syri eam in ſermonem ſuum converterunt. Inſcriptio illa ſic eſt conformata: *Revelatio, quæ facta eſt Ioanni Evangeliſtæ a Deo, in Patmo inſula, in quam electus fuit a Nerone Cæſare.* Succedat huic teſtimonio teſtimonium *Epiphanii*, qui in *Hæreſ. LXXVII* plane dilucideque declarat, *Apocalypſin Ioanni* ſuggeſtam eſſe *Claudio* imperante, id eſt, *Nerone Claudio.* Syri profecto & *Epiphanius*, in Palæſtina natus, & eccleſiis Aſiaticis vicinus, Salaminiorum quippe Epiſcopus, facillime in notitiam venire potuerunt eius ætatis, qua *Apocalypſis* fuit a *Ioanne* excepta, & in literas redacta. Subiungamus, obſecro, hiſce argumentis argumenta,

ex

ex ipſo *Apocalypſios* fundo depromta. Attendat benevolus Lector ad vim & robur tertii argumenti, quod auctoritatis eſt prorſus divinæ. Dum enim *Ioannes* hærebat dubiusque erat de viſionum argumento, Angelus interpres divino iuſſu ad ipſum acceſſit, ut ipſi pateſaceret clavem & intelligentiam viſionum ſeptem. Docuit Angelus ille *Ioannem*, belluam illam ſepticipitem, quæ maximum VII viſionum eſt argumentum, denotare ſeptem Reges, qui ſedem habeant in loco ſeptem montium; ac ex illis Regibus, ſeu capitibus, ſeptem iam quinque cecidiſſe ac exſtinctos eſſe. Addidit interpres idem, Regem ſextum ſummæ rerum iamiam præeſſe, & ſeptimum, ubi regnum fuerit adeptus, brevi tempore regnaturum, *Apoc. XVII, 9, 10.* Quis non ſtatim animadvertit, locum illum, e ſeptem montibus compoſitum, ſedemque Principum, paullo ante exſtinctorum, eſſe Romam ipſam? Quis ignorat *ſepticollem Romam? Virgilius Georg. II, 535*, Romam memorat, *ſeptem quæ una ſibi circumdedit arces.* A *Propertio* Roma vocatur *ſeptem urbs alta iugis, toti quæ præſidet orbi, Lib. III El. 10.* Succurrunt memoriæ illa etiam *Ovidii* ex *Triſt. Lib. III El. 7 v. 51 ſeq.*: *Dumque ſuis victrix ſeptem de montibus orbem proſpiciet domitum Martia Roma, legar.* Hinc porro ſequitur, belluam illam ſepticipitem eſſe ſeriem ſeptem Imperatorum; *meretricem* vero, ſeu mulierem, ab illa bellua geſtatam, eſſe inſignem rempublicam, ab hero ſuo & marito deſciſcentem, *Apoc. XVII, 7, 11, 12.* Tribuuntur beſtiæ illi ſepticipiti cornua decem, ſeu adiutores, Regibus

illis obnoxii, qui meretricem erant odio habituri, ſpoliaturi, expilaturi, ac tandem combuſturi, *Apoc. XVII, 15, 16.* Quid eſt evidentius, quam id ipſum, deſignari decem poſtremos Iudææ propraetores, ſeu procuratores? Quid clarius eſt, quam meretricem illam, *Hoſea* iam declaratam, fuiſſe rempublicam Iudaicam, quæ, imperante *Flavio Veſpaſiano*, in ruinas cineresque fuit converſa? Septem vero Reges, ſeu Imperatores, in ſeptimontio ſedem tenentes, ex quo *Ieſus* regnum gratiæ, ſeu Chriſtocratiam, auſpicatus fuit, hi fuerunt: *Tiberius Nero, Caius Caligula, Claudius Druſus, Nero Claudius, Galba, Flavius Veſpaſianus*, & filius eius, *T. Veſpaſianus*. Cur *Ottonem*, qui in *Galbam* inſurrexit, & *Vitellium*, qui huic bellum civile fecit, e ſerie Imperatorum exemerim, nemini eſt obſcurum. *Otho* enim, *Vitellius*, & *Flavius Veſpaſianus*, eodem tempore a variis legionibus hinc inde imperio potius deſtinati erant (a) intra belli civilis incendia, quam ſuffragiis concordibus delecti, donec *Flavius Veſpaſianus* omne imperium ad ſeſe revocaret, ac ab omnibus pro *Cæſare & Auguſto* haberetur. Nondum pervenerat ad regiam dignitatem ullum ex cornibus illis decem, cum Angelus interpres *Ioanni* clavem viſionum ſuppeditaret. Angelus enim ad *Ioannem Apoc. XVII, 12*, ita: *Decem illa cornua, quæ vides, ſunt decem Reges, qui regiam dignitatem hucusque nondum adepti ſunt.* Illud οὔπω *nondum* indicat momenta duo: Unum eſt, cornua

nua

(a) *Aurelius Victor de Cæſaribus Cap. 8, Suetonius in Fl. Veſpaſiano Cap. 5.*

nua illa fuiſſe Reges re ipſa, nomine haud item (b). Alterum eſt, proximum fuiſſe id tempus, quo unus & alter Procuratorum Iudææ ad regale, ſeu imperatorium, ſolii decus erat evehendus. Fortuna hæc ſerenior manebat *Veſpaſianos*, patrem filiumque, qui meretricem igni exuſſerunt. *Flavio Veſpaſiano* certe adminiſtratio Iudææ a *Nerone* fuit demandata (c). Si expoſitionis diverſæ tramitem inſiſtas, tot habebis ſententias pro varietate religionum & regionum, quot ſunt Thebarum portæ & oſtia Nili. Is, quem oportebat per fata parum temporis manere, erat *Titus Veſpaſianus*, quippe qui imperio duntaxat per biennium præſedit. Octavus vero, qui ſolus poterat illa dici *beſtia*, erat *Domitianus*, in ſuam & aliorum perniciem graſſans, complexus & ſpirans ſævitiam omnem, quæ belluæ inerat ſepticipiti. Si quis verba malit illa: *Quinque ceciderunt, & unus ille exiſtit; alius nondum venit*, in vaticinium de re futura commutare, næ is haud attendit ad perſpicuam de tempore præterito, præſenti, & futuro, ſuppeditatam notitiam. At ſuffecerint hæc argumento tertio propius perluſtrando. Adiungimus huic validiſſimæ rationi quartam. Memoratu dignum eſt, viſiones *Apocalypticas* ſchema & typum Leviticæ, ſeu *Moſaicæ*, œconomiæ ſequi, ac cultui publico religioſo Hieroſolymitano eſſe accommodatas. Evidens inde pateſcit argumentum, ſeriem viſionum ſeptem ſequi rationem temporis, quo *Ioannes* eas excepit, ac in literas redegit, eique fini

(b) *Apoc. XVII, 12, Tacitus Annal. II, 77.*
(c) *Tacitus Hiſt. II, 6, V, 10.*

eſſe deſtinatam, ut a lectoribus ea ætate ſumma viſionum intelligi & noſcitari poſſent. Quoniam, obſecro, fine *Ioanni* viſiones hæ fuiſſent ſecundum eam typi rationem exhibitæ temporibus *Domitiani*, ac inſtitutis œconomiæ *Moſaicæ* ſublatis? Succedat huic argumento aliud, idque quintum. Memoriam recolimus vetuſtiſſimæ Iudæorum opinionis, ſeptem periodos memorabiles, ac genti Iudaicæ funeſtas, adventum Meſſiæ ac tabernaculi *Davidici* ruinam præceſſuras eſſe (d). Funeſtiſſimarum illarum pœnarum, adventui Meſſiæ iudicis præcedentium, hæ ſunt periodi. Periodo prima Deus pluit ſuper unam civitatem, & ſuper alteram non pluit. In periodo ſecunda ſagittæ famis emittuntur. In periodo tertia fami magnæ eſt locus, & moriuntur viri, fœminæ, infantes, pii, illuſtres factis; & lex a diſcipulis oblivioni mandatur. In periodo quarta exſtat ſatietas, nec tamen eſt ſatietas, id eſt, copia rerum haud exſatiat homines. In periodo quinta locus eſt ſatietati magnæ, & lex reſtituitur diſcipulis. In periodo ſexta locus erit vocibus vehementioribus, קולות, ſeu tonitrubus. In periodo ſeptima erunt bella, & ſub eius finem ſuccedet prodromis ipſe adventus Meſſiæ. Hæc Iudæorum vetuſtiſſima doctrina repetitur per viſiones ſeptem apud *Ioannem*. Habes hic rationem, cur periodi *Cocceianæ* nec nobis, nec aliis, ſeſe ſint approbaturæ. Famem æque ad periodum tertiam referri in viſionibus *Apocalypticis*, dilucet ex *Apoc. VI, 5*. Tonitrua ſpectare ad periodum ſextam, intelligitur ex *Apoc. X, 4*. Periodo ſepti-

(d) *Ialkut* ad *Amos IX, 11*.

ſeptimæ propria ſunt bella, & inteſtina, & externa. Id ipſum indicatur *Apoc. XIV, 18-20, XVI, 18-21;* additurque, *urbem ipſam illam magnam in tres partes fuiſſe diviſam*, id eſt, Hieroſolymam a tribus graſſatoribus, *Ioanne*, *Simone*, & *Eleazaro*, in tres factiones diſcindi, vel diſciſſum iri, *Apoc. XVI, 13, 19*. Confer *Tacitum Hiſt. V, 12, Gorioniden VI, 47, pag. 821*, ac ipſum *Ioſephum* Græcum. Admoveamus porro animum ad argumentum ſextum. Dabimus illud & plane & ſuccincte. Cum *Ioannes* iuberetur exhortari angelum eccleſiæ Laodicenſium, hic ſucceſſu ibi rerum ſuarum proſpero intumuerat, *Apoc. III, 14, 17*. Proſperitas hæc eſt prior illo terræ tremore, quo Laodicea prolapſa fuit, & quæ anno æræ Chriſtianæ vulgaris LX contigit. De hac calamitate teſtem laudabo fide omnino dignum, *Tacitum* ipſum, cujus (e) hæc ſunt verba: *Eodem anno ex illuſtribus Aſiæ urbibus Laodicea tremore terræ prolapſa, nullo a nobis remedio; propriis opibus revaluit.* Reſurrexit vero hæc urbs eo tardius, quo minus auxilio externo fuit ſublevata. Quod ipſum momentum ſic eſt comparatum, ut exinde intelligi poſſe videatur ratio, cur ſtatuendum ſit, ea, quæ præcedunt *Caput IV. Apocalypſeos*, priora eſſe illo anno 60. Illæ autem viſiones, quæ, ruinam meretricis poſt 3½ annos inſtare, prænuntiant, pertinent ad annum 67. Clavis angeli interpretis, *Ioanni Cap. XVII* ſuppeditata, referenda eſt ad annum 68, eo quod ipſe tradidit, Reges quinque cecidiſſe, & cornu tamen nullum adhuc dignitate regia effulgere. Obiter

(e) *Annal. XIV, 27.*

proinde monemus, *Apocalypſin* inter annos 59 & 69 plene fuiſſe animo literisque exceptam. Succurrit tandem animo argumentum ſeptimum, idque ita inſtructum. *Ioannes* in hunc modum I, 7: *Ecce, Ieſus Chriſtus venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & quicunque ipſum* (in cruce) *transfixerunt; ac lugebunt ſuper ipſum* (ob ipſum, eiusque iudicium,) *omnes illæ tribus illius* (*) *terræ*, i. e. Palæſtinæ. Vaticinium illud exſtat *Zach. XII, 10*, idque de Meſſia ipſi Iudæorum doctores exponunt. Adventum illum eſſe adeo propinquum, ut nonnulli auditorum ſuorum ſint eum viſuri, *Ieſus* prædixit *Matth. XVI, 28, Luc. IX, 27, Matth. XXVI, 64. Ioannes* indicat, eum adventum inſtare, Iudæosque & gentis Romanæ milites viſuros eſſe in cœlo illum in cruce transfixum; lucturos autem poſtea illos eſſe ruinam & exitium Hieroſolymorum ac Palæſtinæ. Signum illius confoſſi apparuit in cœlo interventu ſideris lucentis, gladium ancipitem præferentis, teſtibus *Ioſepho, Euſebio*, ac *Zonara. Ioannes* itaque ſcripſit ante ſideris illius ominoſi adſpectum, & Hieroſolymorum everſionem. Omittimus iam alia argumenta, haud minus firma, inprimis illud a Chriſtocratiæ initiis, quæ *Ioannes* inſtare nuntiavit, depromtum. Circa illud etiam tempus *Ioannes* conſignavit literis, memoriæque prodidit, Evangelium ſuum, licet Auctores fere omnes illud exiſtimaverint ſerius fuiſſe conſcriptum. Quid enim, quæſo, luculentius eſt verbis *Ioannis V, 2: Eſt Hieroſolymis iuxta*

piſci-

(*) τῆς γῆς. Conf. *Marcklandi Coniecturas* in *Nouis Erud. Actis A. 1741 pag. 494.*

piſcinam ovillam Bethesda. Hieroſolyma igitur ea adhuc ætate ſteterunt. *Ioannes* quidem hæc habet *Apoc. I, 9: Ego Ioannes eram in inſula, cui nomen eſt Patmo, propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu Chriſti.* At inde effici cogive nequit, *Domitiano* imperante id contigiſſe in exilio, ob confeſſionem Chriſtianæ doctrinæ tolerato. *Teſtimonium* enim *Ieſu Chriſti* eſt ſpiritus prophetiæ plenus, *Apoc. XIX, 10.* (*) Placuit Deo, ut *Ioanni* in ſeceſſu vaticinia & viſa divina a Spiritu Sancto impertirentur. Non eſt, quod de *Irenæo*, qui, *Apocalypſin* viſam & conſcriptam eſſe ultimis *Domitiani* temporibus, videtur exiſtimaſſe, multa diſputemus. *Nero* etiam ex gente *Domitia* erat exortus, ideoque & ipſe fuit *Domitianus.* Vixit *Irenæus* Lugduni, longeque fuit a locis, in quibus verius teſtimonium exſtabat, diſiunctus. Ipſe in cauſſa eſt, cur doctores, *Irenæum* ſecuti, filum exponendæ *Apocalypſios* Ariadnæum amiſerint. Reſtant tamen apud Patres nonnullos ſcintillæ aliquot veritatis & expoſitionis genuinæ. *Hieronymus*, reſpiciens ad *Apoc. XVII, 4.* ita tradidit (f): *Secundum Apocalypſin Ioannis in fronte purpuratæ meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt, Romæ æternæ.* Ob oculos habuit Romam *Hieronymus*, qualis ea exſtitit *Ioannis* ætate. Idem, quænam ſit illa *urbs magna, myſtice Sodoma & Ægyptus vocata, ubi Dominus noſter in crucem ſublatus*

 fuit

(*) Conf. *XII, 17.*

(f) In *Epiſtola ad Algaſiam Tom. IV Oper. f. 78, B.* edit. *Froben.*

fuit, (*Apoc. XI, 8,*) accurate definivit (g) hunc in modum: *Iudaeis perſeverantibus in malitia, egreſſi ſunt duo urſi de ſilvis gentium Romanarum, Veſpaſianus & Titus, & blaſphemantes pueros - - interfecerunt. Et ex eo tempore Hieruſalem non vocatur civitas ſancta, ſed - - - ſpiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus.* Omitto iam alia *Hieronymi* loca, quae, ex vetuſtiſſimo expoſitionis *Apocalypticae* complexu decerpta, ipſe ad poſteros tranſmiſit.

II. Doctoribus Iudaeorum priſcis notiſſimae erant ſeptem periodi, adventum Meſſiae iudicis praeceſſurae. Niſi arbitraremur, locum, ex *Ialkut* deſumtum, eſſe inſtar omnium, alia exhibere nobis foret integrum & facile. Numeri illius myſterium ac ſeptemplex ordo ex hiſtoria collapſae, dirisque devotae, Hierichuntis exſurrexit. Hieroſolyma enim, ad pravitates peſſimas praecipitata, erat igni concremanda, ac igni coeleſti denuo repurganda & inſtruenda. Haec Iudaeorum doctrina paſſim & ad nauſeam in ſcriptis ipſorum repetitur. Ipſi autem expoſitionem genuinam dogmatum vetuſtiſſimorum voluntaria oblivione contriverunt, & corticem loco nuclei amplexantur. Hieroſolyma, igne coeleſti perpurgata & inſtructa, eſt illa *coeleſtis*. Hieroſolyma autem, ob flagitia incendiis ſuccumbens, eſt illa, quam *Titus* exuſſit. Adiiciam hic illud Iudaeorum priſcorum dogma, quod alii pro ratione ſeptenarii diſtribuerunt, & quod in libro Miſchnico, cui *Satah* eſt nomen, exſtat

(g) In *Epiſtola ad Hedibiam Tom. IV f. 65, D.*

exſtat legiturque *Cap. 9 §. 15.* Intelligitur enim ex hoc teſtimonio cauſa, cur Deus Iudæam plagis funeſtiſſimis ante excidium templi ſecundi iam afflixerit. En illud: *Paullo ante adventum Meſſiæ* (h) *impudentia augebitur, & magna erit annonæ caritas; vinum proferet fructum, ſed vinum nihilo minus care vendetur. Summum in orbe imperium obruetur opinionibus pravis, & locum non habebit ulla reprehenſio. Synagogæ convertentur in lupanaria, limites Iudææ deſolabuntur, & regio, quanta quanta eſt, devaſtabitur. Viri inſignes oppidatim circuibunt, nec ulla humanitatis officia experientur. Fœtebit ſapientia magiſtrorum; qui ſibi a delictis cavent, ſpernentur; & veritatis magnus erit defectus. Iuvenes confundent ora ſenum, ſenes iunioribus adſurgent. Filius irritabit patrem, nata inſurget adverſus matrem, nurusque contra ſocrum; denique ſuos quisque domeſticos* (i) *habebit inimicos. Scilicet ſeculo illi facies canina erit, nec verebitur filius parentem.* Repetuntur eadem in *Gemara Sanhedrin Cap. XI §. 28 pag. 124 ſeq.* edit. *Coccei.* Et ipſi Iudæi fatentur, Meſſiæ adventum incidere (k) in generationem hominum improborum. Merito itaque ſuo Meſſias *progeniei pravæ ac adulteræ* cognomento eos affecit

(h) Verba ipſa habent בעקבות משיחא, *in Calcaneis Meſſiæ*, id eſt, pone eum quam proxime, ipſo in cœlos ſubvecto. Adventus igitur Meſſiæ in translatione Latina *Wagenſeiliana* deſignatur iudicialis pœnisque fœcundus.

(i) *Mich. VII, 6, Matth. X, 35. 36.*

(k) *Breſchit rabba in Gen. XXIV, 67.*

fecit *Matth. XII, 39, XI, 16, XXIV, 34, XII, 41, 42, 45, Luc. XI, 29 - 32, 50, 51, Ebr. III, 10.* Eam fore Iudæorum olim indolem, graphice delineatum eſt in cantilena *Moſis*, in qua æque Pater cœleſtis ac Meſſias inducuntur loquentes, *Deut. XXXII.* Progrediemur nunc ad cantici *Moſaici* comites & cantores.

III. Comites, qui perhibentur canticum *Moſis* canticumque Agni concelebraſſe, viſi fuerunt angeli ſeptem. Ipſi diſcernuntur a quatuor animantibus, *(Apoc. XV, 7,)* ſeu principibus Angelorum. Ipſi apparuerunt inſtar ſacerdotum Iudaicorum, veſtitu ſacro indutorum, ac ex templo prodeuntium. Veſtitus iſtorum dicitur conſtitiſſe in lino puro ac ſplendido, atque ex zonis, ſeu cingulis, aureis. Ex viſionis huius ac ceterarum typo rationes ita ſubduximus ſupra, ut contenderimus, *Ioannem* vidiſſe ac ſcripſiſſe hieroglyphicas illas propheticasque imagines, ſtante adhuc templo ſecundo. Apparuit ſimul *Ioanni* mare vitreum, id eſt, perlucidum, ac vas illud repercuſſu radiorum ſpectabile, quod maris ahenei nomen geſtavit. Apparuit ipſi id mare vitreum igni mixtum. Ignis enim perpetuus in altari exteriori ardebat. Nitor flammæ excipiebatur a lævigata maris ahenei illius ſuperficie. Hæc reddebat imaginem ignis flammantis, ut videretur ignis mari illi immixtus eſſe. Apparuerunt haud procul ab ara illa exteriori & illo mari aheneo nonnulli citharoedi, qui cantum ſuum ac modulationem ſcienter clangori cithararum iungere valebant. Species Levitarum, in atrio ſacerdotali muſicam exercentium, ſubeſt huic viſo.

Pro-

Propoſuerat ſcilicet Deus iam olim vaticinia (*) non una, quibus affirmavit, ſeſe intra Chriſtocratiæ intervallum ſacerdotes & Levitas ex gentibus delecturum, *Eſ. LXVI, 21.* Ut autem noverimus, quales fuerint illi citharoedi & cantores, *Ioannes* addidit, ipſos victoriam reportaſſe ex *beſtia illa, & ex imagine illius, & ex charactere ipſius, ex numero nominis, quo illa gaviſa fuit.* Levitarum enim quondam erat, militiam & caſtra ſequi. Egregia Levitis myſticis dicitur fuiſſe fortitudo. Ipſi enim ex hoſtibus ſuperiores diſceſſerunt. At quinam ſunt illi? Beſtia illa, ſeu bellua, ſepticeps eſt complexus Imperatorum Romæ. Nomen ei erat *Λατεῖνος, Latinus.* Numerus, qui ex nomine hominis illius, ſeu belluæ, prodit, complectitur 666, *Apoc. XIII, 18.* *Irenæus* tradit, ſeſe hanc nominis numeriqúe illius rationem accepiſſe ab eis, qui *Ioannem* Apoſtolum coram adſpexerint, eiusque ſermone digni fuerint exiſtimati (l). Non erat ex uſu vel eccleſiæ, vel *Ioannis*, perſpicuam de Imperatorum Romanorum falſa & idololatrica religione iniicere mentionem. Quantum ad icona & charagma beſtiæ illius attinet, memorabile eſt, Latinos religioni Chriſtianæ, veluti novæ, infeſtos fuiſſe, ac a Chriſtianis exegiſſe, ut hi Deos appellarent, ut imagini Imperatoris ac ſimulacris Numinum Latinorum thure & vino ſupplicarent, ut Chriſto maledicerent. Res ipſa pernoteſcit ex *Plinii*

(*) *Alb. Ioachimi de Krakewitz Diſquiſitio de Sacerdotibus ac Levitis N. T. ſub antiquo fœdere promiſſis.* Gryphiswald. 1729, 4.

(l) *Contra Hær. V, 30.*

nii X Ep. 97, ex *Euſebio H. E. IV*, 14, ex *Minucio Felice*, ac ex aliis ſcriptoribus. Roma ipſa ſolebat ſimulacris exprimi, cultuique religioſo proponi. Qui ſe vera Chriſtiani erant, ii ad hunc cultum præſtandum, & imaginem Cæſarum venerandam, cogi haud poterant, ſed mortem potius oppetebant, ſi nulla ſupereſſet alia ratio, qua intentatus ſimulacrorum cultus religioſus declinari & evitari poſſet. Εἰκὼν, *icon*, eſt ipſa Imperatoris, (*) vel Romæ, in Deam evectæ, imago. Χάραγμα, *impreſſa, vel inſculpta, rei per literas deſignatio*, eſt ipſa perigraphe, qualis adiecta fuit Cæſarum ſimulacris in nummis ac monumentis publicis. Nondum excogitata fuerat ea tempeſtate ab ingenio humano illa opinio, quæ dictitat, rem creatam perfectiorem, cui inſit potentia & benignitas excellentior, cultu adorationis ita affici poſſe, ut potiſſima pietatis directio tranſeat per rem creatam ad Deum ipſum, omnis perfectionis auctorem, qui velit partem cultus ſui cum rebus creatis excellentioribus, extra divinæ naturæ hypoſtaſin obviis, communicare. Inauditus & intolerabilis erat hic in eccleſia Chriſtiana antiquiſſima olim modus ſentiendi, & pericula evitandi. Amabant Levitæ myſtici nomen Patris cœleſtis, frontibus ſuis inſcriptum, quippe qui eſt Pater Agni Dominique noſtri *Ieſu Chriſti*, *Apoc. XIV*, 1. Apparuerunt ipſi eo ſitu *Ioanni*, ut haud procul a mari aheneo conſiſterent in atrio ſacerdotum, & citharas Dei tenerent, quibuscum cantica iungebant, flexanimo numero recitanda. Cominus

ſimul

(*) *Matth. XXII*, 20, *Apoc. XIV*, 9.

ſimul apparuere angeli ſeptem, e templo, adyti veſtibulo, prodeuntes. Solebant ſacerdotes, ad id miniſterium ſorte delecti, phialis excipere ſanguinem victimarum, eumque vel filo rubro altaris exterioris adſpergere, vel ad fundum altaris effundere. Hi vero angeli, ſacerdotalem in modum induti, phialas ira Dei plenas geſtabant, indices indignationis Dei, qui rempublicam Iudaicam erat ex iuſto iudicio afflicturus variis calamitatibus & deſtructurus. Quatuor animalia ſolium adyti intimi cingebant, ſigna principum quorundam angelorum. Unum animalium obtulit angelis illis ſeptem phialas ſeptem aureas, ut *Ioanni* demonſtraretur, divinitus decretas eſſe illas calamitates & plagas. Simul impletum apparuit templum Dei fumo ex gloria Dei & ex vi ipſius. Signum ſubeſt indignationis divinæ. Fumo enim incendiorum Palæſtina & templum creberrime confundebatur, donec respublica Iudæorum ſuccumberet devaſtationibus. *Eleazarus* lamentabili voce caſum urbis Hieroſolymæ inter alia ſic (m) deploravit: *Ubi antea vivi erant homines, ibi iam mortuorum conſpiciuntur cadavera, & deflagrationis tua cinis ſolem obſcurat, ne is in te videri poſſit.* Gloria & vis Dei eſt ipſe Meſſias, qui fumo & incendiis, fumi cauſa, rebelles involvit, viſus integro anni ſpatio, antequam *Veſpaſianus* in Iudæam veniſſet, per modum ſtellæ, ſupra templum, ſpeciem hominis, qui ſtrictos gladios tenet manu, referentis (n). Vocatur alibi etiam filius Dei

(m) *Gorionides VI, 58, pag. 883.*

(n) *Joſephus de Bello Iudaico VI, 31, Egeſippus V, 44. Gorionides VI, 53, pag. 857.*

Dei, gloria Patris, & *Numinis altiſſimi, vi celſiſſimi Luc. I, 35, virtusque Dei 1 Cor. I, 24,* cuius olim thronus erat in columna nubis *Sir. XXIV, 4 ſeq.* & ſuper fœderis arca, conſtitutus. Intellectu iam eſt facile, quid deſignent illa verba *v. 8: Refertum fuit templum fumo ex gloria Dei, & ex vi eius, nec ullus poterat intrare, donec ad finem pertigiſſent ſeptem illæ ſeptem angelorum plagæ.* Illa vocula *donec* hoc loco excludit omnem porro introitum. Nam cum phiala, ſeu plaga, ſeptima coniunctum apparuit excidium ac incendium meretricis. Viſum, quod exhibet phialas ſeptem, præcedit mentio vindemiæ, *Apoc. XIV, 18, 19, 20.* Vindemiam vero apud Iudæos excepit feſtum, a tabernaculis cognominatum. Singulis huius feſti diebus ſolemniter ſacerdotes ſeſe ad amnem Siloah conferebant, unusque ipſorum inter Levitarum cantus inde aquam interventu phialæ, ſeu ampullæ, aureæ hauriebat. Ampulla illa continebat logos tres. Levitæ, proceſſionis comites, inflabant tubas, nunc ſono fracto, nunc ſono plano. Redux in templum ſacerdos, phialæ geſtator, adſcendebat altare exterius, ſiniſtram verſus reſpiciens, & aquam elata manu ex ampulla in cyathum, ſeu tubum, argenteum occidentalem effundebat eo eventu, ut aqua ad pavimentum altaris per iſtum tubulum deſcenderet, ac inde ulterius in torrentem Kidron permanaret. Si in Sabbato interlabente tunc aqua libanda ac effundenda eſſet, ſolebant ſacerdotes veſpera, Sabbatum præcedente, phialam auream, quæ non erat vas miniſterii, aqua implere, & intra conclave aliquod in diem craſtinum ſeponere.

ponere. Quodſi illa aqua ex improviſo effuſa eſſet, ſolebat alia ex labro ſacro, ſeu mari aheneo, hauriri, & tempore debito libari (o). Iuge ſacrificio veſpertino oblato, ſolebant Iudæi ſingulis diebus feſti intra templum usque in ſeram noctem canere tibiis, citharis, nabliis, & cymbalis. Senes ipſi gaudium illud tripudiis, cantu, & iactatione facium, concelebrabant, ſcilicet præcipue ſpectabiles, ſapientes, Synedrii aſſeſſores, ac pii. Mulieres ac viri reliqui agebant ſpectatores, ſedentes in ambulacris, ſeu orcheſtris, peculiaribus, quæ hunc in finem intra atrium mulierum erant fabricata (p). Niſi vehementer erraverim, viſum, *Ioanni* oblatum, ad ſchema huius feſti acceſſit. Memorantur enim in hoc viſo angeli, inſtar ſacerdotum veſtiti, phialis aureis inſtructi, eas effuſuri, e templo prodeambulantes. Septem Angeli & ſeptem aureæ phialæ conveniunt cum 7 diebus, quorum ſingulis novus ſacerdos in phiala aurea aquam ex amne Siloam afferebat. Memorantur in eo viſo citharoedi cantantes, ſeu Levitæ, ſtantes pro more intra atrium ſacerdotale. Succeſſit hoc viſum viſo illi alteri, vindemiam uvasque, in torculari calcatas, repræſentanti. At loco gaudii deſignantur calamitates, eæque creſcentes. Phialæ angelorum plenæ erant ira & indignatione Dei. Citharoedi cantabant nec Hallel magnum, nec

(o) *Maimonides de Iuge ſacrificio & ſuperadditis X, 3 ſeq.*

(p) *Maimonides de Faſciculo feſti tabernaculorum VIII, 12 ſeq.*

nec Hoſianna, ſed ſummam potius cantici *Moſaici*, quod continet iudicia Dei in Iudæos funeſtiſſima, & regnum Dei cum gentibus communicatum exponit.

IV. Quodnam ſit canticum *Moſis*, diu multumque quæſiverunt eruditi. Sunt, qui illud *Exod. XV* deſignari volunt. Sunt, qui ad *Pſalmum XCII* reſpiciunt. Sunt alii, qui ſecus ſentiunt; ſunt, qui determinant nihil. *Stephanus le Moyne* (q), *hymnum Moſis* reperiri, exiſtimavit, in *Devt. XXXII*, quippe quem Iudæi ſingulis ſabbati diebus ſacrificio addititio accinuerunt; *hymnum* vero *Agni* credidit legi in *Pſalmo XCII*. Non eſt noſtrum, cuiquam eſſe graves. Stet ſuus cuique honos, inviolata ipſis viris venerabilibus perſtet gloria ſua, merita omnium maneant per nos intemerata. Id vero Exegetas præclariſſimos oramus religioſe, & rogamus decenter, ut nobis impertiant eam libertatem, quam omnes boni piique, qui Chriſtum ſancta proſequuntur pietate, adhibere, & in uſus publicos convertere, conſueverunt. Accedimus itaque *Stephano le Moyne*, quantum ad prius ſententiæ, ab eo publicatæ, attinet. Ratio nobis, cur ſic ſentiamus, in promtu eſt, & illa quidem graviſſima. Accipe, Lector optime, eam rationem. Iudæis in more poſitum eſt, ut per *canticum Moſis* deſignent illud, quod legitur *Devt. XXXII*. Denominatio illa eſt admodum trita & pervulgata. Septem fratres inclytiſſimi, eique martyres, perhibentur ita ſermocinati: ὁ Κύριος ὁ Θεὸς ἐφορᾷ καὶ

(q) In *Notis ad Varia ſacra pag. 697, 888.*

καὶ ταῖς ἀληθείαις ἐφ' ἡμῖν παρακαλεῖται, καθάπερ διὰ τῆς κατὰ πρόσωπον ἀντιμαρτυρούσης ᾠδῆς διεσάφησε Μωσῆς, λέγων· καὶ ἐπὶ τοῖς δούλοις αὐτοῦ παρακληθήσεται. *Sebaſtianus Caſtellio* hæc verba ita in Latinum convertit: *Videt hæc Dominus Deus, & re vera in nobis propitiatur, quemadmodum in illo carmine, quod palam contra Iſraelitas teſtimonio eſt, declaravit Moſes his verbis: E ſuis ſervis propitiabitur.* Verba, quæ e carmine *Moſis* depromuntur ac laudantur, illa leguntur *Deut. XXXII, 36.* Ibi enim in veteri Græca, eaque Alexandrina, translatione leguntur verba eadem, καὶ ἐπὶ τοῖς δούλοις αὐτοῦ παρακληθήσεται, *& erga ſervos ſuos propitiabitur.* Iudæis familiare eſt illud *cantici Moſis* nomen. Illud enim inſtitutum inter eos viguit quondam, quo muſica ſabbatorum ſingulorum ita inſtituebatur, ut ad ſacrificium ſabbaticum matutinum caneretur (r) *canticum Moſis*, quod ipſum legitur *Deut. XXXII*, idque in ſex partes pro ſex ſabbatis diviſum. Non eſt, quod Lectorem ad translationem Codicis Miſchnici, *de Sabbato* inſcripti, quam Latine condidit *Sebaſtianus Schmidius*, remittam. Norunt enim eruditi, B. *Schmidium* in libro illo difficillimo Latine faciundo fere oleum operamque perdidiſſe. Addere hoc unum liceat, breviorem cantici *Moſaici* ſummam exhiberi *Apoc. XV, 3, 4.* Nam in illo cantico *Moſis*, Dei, ac Agni, declaratur 1) magnitudo beneficiorum Dei in Iudæos, 2) omnipotentia Dei, exhibita per eorum defenſionem & varia miracula, 3) iuſtitia & veracitas Dei, 4)

(r) *Maimonides de Sabbato Cap. VI.*

Theocratia & regnum peculiare, 5) negligentia Iſraëlitarum erga Deum, & rebellio Iudæorum a rege ſuo, 6) iuſtiſſimum Dei in Iudæos iudicium, 7) & gentium ad regnum Dei aggregatio. Nonne hæc cantici ſumma a *Ioanne* exhibetur? En verba: 1) *Magna & admiranda ſunt opera tua,* 2) *Domine, Deus omnipotens!* 3) *Iuſta & veraces ſunt viæ tuæ,* 4) *Rex ſanctorum!* 5) *Quis non merito revereretur te, Domine, Domine, & gloria afficeret nomen tuum?* 6) *Nam ſolus es ſanctus.* 7) *Etenim omnes gentes venient ac adorabunt coram te, ſiquidem ea, per quæ tibi ſatisfactum fuit,* id eſt, pœnæ ultrices, *innotuerunt.* Qui igitur naſum habent, eis ſubolebit, viſum, *Ioanni* oblatum, ſpectare ad cladem & ruinam genti Iudaicæ inferendam. Huc enim exitus cantici *Moſis* ſpectat. Dolendum ſane eſt, interpretes ex errore illo, quo *Apocalypſeos* origo in extremam *Domitiani* ætatem reiicitur, a filo Ariadnæo, quod *Apocalypſis* ipſa ſuppeditat, prorſus receſſiſſe. Laudamus tamen perſpicaciam Cl. M. G. *Gerſte*, qui (s) verum *Apocalypſeos* ſcopum aſſecutus fuit. Nec inficior, me alibi etiam erraſſe, ſiquidem ibi canticum *Moſis* pro illo, quod *Exod. XV* legitur, reputavi.

V. Solent viri ſummi, quorum merita ſummopere colo ac pie veneror, animum inducere, ut credant, cantilenam, ſeu hymnum, *Moſis* differre ab hymno agni. Liceat mihi in omnia alia

(s) In *Frühaufgeleſenen Früchten der theologiſchen Sammlung A. 1736 pag. 188 ſeq.*

alia ire, hymnumque *Moſis* ac Agni pro eodem reputare. Cur ſic ſentiam, rationes libet in medium afferre. Nonne hymni, qui ad *Moſen* refertur, & hymni, qui Agno tribuitur, una eademque exhibetur ſumma? Nonne & *Moſes* & Meſſias in illo hymno, qui *Deut.* XXXII legitur, inducitur loquens? *Moſes* inducitur loqui a *v. 1* ad finem *inciſi 33*. Deinde diſſerit Pater cœleſtis a *v. 34, 35, 36*. Loquitur tandem Meſſias *v. 37, 38 - 42*, & *Moſes* ſubiicit vaticinium de aggregatione gentium ad Meſſiam *v. 43*. Idem itaque hymnus eſt & *Moſis* & Agni. Expoſitionem hymni illius alias ſuppeditavi (t), ad quam lectores iam remittere liceat. Videtur quidem *Ioannes* hymnum *Moſis* ab hymno Agni diſtinxiſſe, ita ſcribens: Ἄδουσι τὴν ᾠδὴν Μωσέως δούλου τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν ᾠδὴν τοῦ Ἀρνίου, *canunt illud canticum Moſis, ſervi Dei, & illud canticum Agni*. Quis vero ignorat, voculæ καὶ ſæpius inhærere vim explanativam? Cecinerunt Levitæ myſtici in viſo, quod *Ioanni* oblatum eſt, *canticum Moſis, & illud quidem canticum Agni*. Uſus huiusmodi ineſt etiam voculæ ו, isque frequens eſt penes Rabbinos, inprimis literarum ſacrarum interpretes, quando (u) ipſi ſubiiciunt expoſitionis gratia clariorem voci obſcuriori vocem. Suppeditabo exempla varia, e tabulis Novi Fœderis deſumta, ut di-

(t) In M. *Ioannis Chriſtiani Mehlborni gründlicher Erklærung der Heil. Schrifft altes Teſtaments VI Band pag. 723 ſeq.*

(u) *Io. Andr. Danzii Interpr. Ebræo-Chald. Synopſi* §. *149 pag. 190 ſeq.*

ctis fidem faciam. Ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τῦ Κυρίυ Ἰησῦ Χριςῦ eſt *Deus ille, isque pater Domini Ieſu Chriſti*, 2 *Cor.* XI, 31. Conf. 1 *Petr.* I, 3, IV, 14, *Col.* II, 2, *Iac.* I, 27, III, 9, *Apoc.* I, 9. Θρόνος Θεῦ καὶ τῦ Ἀρνίυ eſt *ſolium Dei, & quidem Agni*, *Apoc.* VII, 10, 17, XXII, 1, 3. Eodem ſenſu Chriſtus alibi dicitur *Deus ille noſter & Agnus Apoc.* VII, 10, XIV, 4, *Deus ille magnus & ſervator noſter Ieſus Chriſtus Tit.* II, 13. Conf. I, 3, 4. Alibi leguntur hæc: *Mittet filius hominis angelos ſuos, ut colligant ex regno ſuo omnia ſcandala*, πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τὺς ποιῦντας τὴν ἀνομίαν, *id eſt, operantes iniquitati*. Ὁ θεωρῶν τὸν ὑὸν, καὶ πιςεύων εἰς αὐτὸν, *avide ſpectans filium illum, id eſt, fiduciam reponens in ipſum, Ioan.* VI, 14. *Pauli* ſunt hæc *Actor.* XXIII, 6: *Ego in iudicium vocor* περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναςάσεως νεκρῶν, *propter ſpem, nempe reſurrectionem mortuorum.* Complura omitto exempla. Hymnus vero *Moſis* æque appellatur *hymnus Agni*, eo quod ipſe, Angelus quippe Iehovæ & fœderis, illum *Moſi* ſuggeſſit ac inſtillavit. Spiritus enim ſanctus, qui ſpiritus Chriſti eſt, & donum propheticum, ex opibus a Chriſto partis deſumtum, hominibus largitur, *Moſi* illam odam, paræneticam iuxta ac propheticam, impertivit. *Agnus* vero vocatur Chriſtus, eo quod inſtar patientiſſimi ac integerrimi agni iugis, immo paſchalis, pro generis humani ſalute & vice illorum fuit mactatus ac immolatus, *Eſ.* LIII, 7, *Actor.* VIII, 32, *Io.* I, 29, *Apoc.* XIV, 4, 5, 1 *Pet.* I, 19, II, 22. Vocat nos plenior hymni expoſitio, qui ſummam comple-

ſtitur odæ illius, quæ habetur *Deut.* XXXII. Non exiſtimandum eſt, verba illa, quæ pronuntiarunt citharoedi, a *Ioanne* viſi, complecti illam ipſam *Moſis* Agnique odam. Negant & pernegant omnes huius libri explicatores, verba: *Magna & admiranda ſunt opera tua, Domine*, eſſe ipſam *Moſis* odam, vel *Agni* cantilenam. Continent hæc verba epiſodium. Citharoedi, cum odam *Moſis* & Agni decantaſſent, hoc epiſodium carmini ad finem perducto ſubiunxerunt.

VI. Summa cantilenæ eo ſpectat, ut Dei opera & viæ concelebrentur, & ad concelebrationem hanc ipſæ gentes, ad Chriſtum advocatæ, eiusque civitati aggregatæ, invitentur, commotæ ruina & incendio Hieroſolymorum. Δικαιώματα Dei ſunt illud omne, cuius interventu iuſtitiæ divinæ factum fuit ſatis. *D. Verpoortenius*, Rector Gymnaſii Gedanenſis, Programmate publico hunc vocis ſignificatum egregie extra dubitationem (x) collocavit. Qui opera Dei ſtudent concelebrare, eorum eſt, in eis cognoſcendis & perpendendis verſari. Id ſi fecerint, cognoſcent non ſolum, ea eſſe ampla & magna, ſed etiam fatebuntur, illa eſſe admirationis æquiſſimæ materiem & argumentum. Magnitudo illa perſpicitur tum ex numero rerum creatarum, nunquam a nobis determinando, tum ex ſpatio mundi, tum ex minutiſſimorum ordine miro & præclara venuſtate. Magnitudo illa perſpicitur tum ex nexu omnium & ſingularum rerum crea-

(x) *Neue Leipziger Zeitungen von gelehrten Sachen A. 1744 pag. 293.*

tarum mutuo, tum ex uſibus rerum ampliſſimis, qui haud differunt a finibus & deſtinationibus, a Deo intentis. Magnitudo illa operum Dei eſt documentum inſigne intellectus divini infiniti, voluntatis eius ſapientiſſimæ ac optimæ, libertatis ſummæ, bonitatis inexhauſtæ, atque juſtitiæ incomparabilis. Quantacunque vero fuerit attentio noſtra, quam operibus Dei contemplandis impendimus, nunquam tamen cognitio noſtra ad elementa rerum pernoſcenda, ad omnes res creatas, & ad ſpiritum mundi definiendum, penetrabit. Præterit nos vinculum illud, quo regnum ſpirituum cum regno corporum cohæret; fugit nos vinculum illud, quo ſingulæ res creatæ conflant harmoniam univerſalem; latent nos rerum plurimarum fines, & horum finium ſubordinationes, ad finem univerſalem obtinendum tendentes. Id vero, quod ratione cauſarum & rationum intimarum, ratione numeri & amplitudinis, a nobis ignoratur, materies eſt admirationis. Singulis operibus Dei ineſt multum, quod attentiſſimis perſcrutatoribus, æque creatis, ſeſe ſubducit, & receſſibus inextricabilibus involutum eſt. Dominum noſtrum eſſe omnipotentem, ſingularum rerum creatarum productio prima, conſervatio, & ad finem univerſalem directio ſapientiſſima, deſignant & loquuntur. Et hanc ob rationem magnitudinem Deo tribuit *Moſes Deut. XXXII, 3.* Iuſtæ & veraces ſunt Dei viæ. Opus enim eius quodlibet eſt indicium iuſtitiæ eius, *Deut. XXXII, 4.* Promiſerat Deus Abrahamitis reductionem in Palæſtinam. Fidem vero ſuam per vias varias & ſapientes præſtitit. Quam ob

cauſam

cauſam: ipſe reverentia ſumma erat digniſſimus. At Iudæi neglexerunt eius cultum, ſpuriorumque ingratiſſimorum indolem ſuſceperunt, *Deut. XXXII, 15. ſeq.* Eapropter beneficiis Dei indignos ipſi ſeſe reddiderunt, & regnum Dei ad gentes translatum fuit. Iuſtitiam ultricem exprompſit tandem Deus in Iudæos, quemadmodum prædixerat idem *Deut. XXXII.* Gentes per ruinam Iudæorum fuerunt de ſeveritate Dei convictæ, & loco contumacis populi Deum adorarunt. Cantilenæ hæc eſt ſumma, hoc argumentum. Ultimum illud momentum ætate *Ioannis*, viſa & audita exponentis, nondum erat ad exitum perductum. Vaticinium tamen citharoedorum illud haud fuiſſe irritum, mox declaravit eventus triſtiſſimus, quem delinearunt phialæ illæ, ab Angelis ſeptem effuſæ. Cum enim ſeptimus ipſorum effudiſſet phialam, decretum illud Dei inſonuit: *Actum eſt. Apoc. XVI, 17.* Illud γέγονε eſt indicium rei ad exitum deductæ, & vaticiniorum eventui præſtituto reſpondentium.

VII. Et hic quidem fuit effectus ille ſanctitatis, qua Deus effulget, & cantilenæ, quæ tum *Moſi*, tum Agno, tribuitur, eventus. In cantilena illa luculentiſſimus exſplendeſcit fulgor iuſtitiæ Dei ultricis, tandem in everſionem gentis & Hieroſolymorum exarſuræ. In oda illa *Deut. XXXII, 32. ſeq.* leguntur hæc: *Certe ex vite Sodomorum eſt vitis ipſorum & ex arvis Gomorrhæ. Uvæ earum ſunt uvæ venenatæ. Botri fellei ſunt in hiſce. Nonne ille eſt circumcluſus ſocius meus? Nonne eſt reconditus & cuſtoditus ac obſignatus in theſauris meis?*

Mihi propria eſt vindicta & rependit (ille filius patris) *tempore, quo vacillat pes eorum. Certe proximus eſt dies calamitatis eorum, & quodcunque ipſis inſtat, appropinquat celeriter. Omnino ius expromet Deus in populum ſuum, & erga ſervos ſuos propitium ſeſe exhibebit* &c. Inſtare excidium reipublicæ Iudaicæ, & Ieſus, & Apoſtoli, æque vaticinati ſunt. *Paulus* appellat ſui temporis Iudæos βδελυκτοὺς, *exſecrabiles beneficiisque Dei indignos*, *Tit.* 1, 16. Ipſe prædicit, inſtare Iudæis internecionem, 1 *Theſſ.* II, 16. Ipſe docet, exiguum ſupereſſe tempus, donec ille, qui *veniens* vocatur, ſit venturus, *Ebr.* X, 37. Adventus deſignatur vindex & ultor eorum, qui Ebræos Chriſtianos divexabant. Corbanam omnem, ſeu theſaurum Iudaicum, mox eſſe conflagraturum, indicat *Iacobus* V, 1 *ſeq.* Eventus vaticinio reſpondit, *Ioſepho* teſte *de Bell. Iud.* VI, 5, 388, *edit. Havercamp.* Conf. *Ottius* in *Spicilegio ad N. T. ex Ioſepho pag.* 88 *ſeq.* *Petrus* indicat, inſtare tempus, ut inchoetur iudicium illud a domo Dei, 1 *Petr.* IV, 7, 17. *Ioannes* nuntiat, præſto eſſe tempus illud, quo appariturus ſit Meſſias eis, & quo ſingulæ tribus Palæſtinæ ob Meſſiam repudiatum erant luctum profeſſuræ, *Apoc.* I, 7. Non trahenda ſunt vaticinia illa ad finem mundi diemque iudicii univerſalis. Apoſtolos enim Spiritus Sanctus duxit in omnem veritatem, tantum abeſt, ut illi ſibi perſuaſerint, inſtare propediem everſionem mundi. Perſuaſio hæc, ſi quæ alia, non poſſet non erroribus anumerari, a quibus Apoſtoli doctores tantum fuerunt alieni ac averſi, quantum diſtant cœli disiunctiſſimi a terra.

Cum

Cum Agnus ſigillum aperiret ſextum, tunc inſtare viſus fuit dies ille magnus iræ divinæ, *Apoc. VI, 12-17.* Cum Angelus ſextus tubam capeſſeret inflandam, reſtabant 3½ duntaxat anni uſque ad Hieroſolymorum ruinam, *Apoc. IX, 15*, exercitusque exteri numeroſiſſimi tertiam gentis Iudaicæ partem occidebant, nec tamen reliqui Iudæi poenitentiam agebant male actorum, *v. 18-21.* Angelo autem ſeptimo tubam inflante, Chriſtocratiæ glorioſa periodus coepit, *XI, 15.* Omitto ſciens & prudens alia *Apocalypſeos* loca, ne illis, quibus expoſitionis meæ Apocalypticæ ratio nondum probatur, anſam, vel cavillandi, vel ſuccenſendi, præbeam. Non enim ignoro, quanta ſoleat eſſe plerorumque in opinionibus uſu tritis ac receptis pervicacia, & quantopere illa obſtinatio ſæpius in eos, qui novitatis inconſultæ videntur ſtudioſi, debacchetur. Hiſce igitur me velim cummaxime excuſatum; ſiquidem & univerſis bene cupio, & benevolentiam quorumcunque mortalium expetere, partium mearum eſſe exiſtimo. Id unum addere liceat, vaticinium, *Ioanni* inſpiratum, pertinere ad tempus, quod tunc proxime inſtabat, *Apoc. I, 3, XXII, 20*, nec ab illa vaticinii ſerie excludi fata, quæ *Ioannes* iam viderat, & quæ tunc erant præſto, *I, 19.* Neceſſarium duxerat Ieſus, docere ſuos, inſtare finem reipublicæ Iudaicæ ac cerimoniarum Leviticarum, eccleſiam per quatuor mundi cardines amplificatum iri, Chriſtocratiam coepturam eſſe ſplendidiorem, Martyrum animas in coelis exhilarari, patientiæque Chriſtianæ propo-

ſita

ſita eſſe præmia ſempiterna; ac Satanam irrito eventu Chriſtianos ire exterminatum.

VIII. *Moſen*, Dei interpretem & adminiſtrum, reliquiſſe poſteris carmen quoddam, idque in literas redactum, eo minus dubitatione eſt dignum, quo certius eſt teſtimonium *Ioannis* Apoſtoli ac Evangeliſtæ. Quærimus vero, an Meſſias etiam in Codice ſacro, eoque Inſtrumenti veteris, appelletur משׁה nomine illo, quod *Moſi* impertiunt Ebræi. Tria ſunt loca, quæ, ut ad quæſtionem hanc affirmando reſpondeamus, adducere nos videntur. Primus exſtat locus in apprecatione *Moſis* ultima *Devt. XXXIII, 4.* Ibi *Möſes* legitur hæc pronuntiaſſe: תורה צוה לנו משה מורשה קהלת יעקב: *Legem conſtituit nobis is, qui ex barathro extraxit hæreditarium peculium, cœtum Iacobi.* Si voci Ebraicæ *Moſcheh* ſubſtituas *Moſen* illum, fama ſuper æthera notum; ſententiæ ſenſus relinquitur nullus. Et quis animum inducet, ut credat, *Moſen* de ſeſe tanquam de altero fuiſſe locutum? An *Moſen* valedictoria illud fuit dignum, ut ipſe pronuntiaret: *Moſes nobis conſtituit legem?* Haud facile nobis hæc poterunt perſuaderi. Si exiſtimes, parentheſin ſubeſſe illi *inciſo quarto*, tunc in ſcopum *Moſis* ac orationis propoſitæ nexum articuloſque videris peccaſſe. *Moſcheh* hoc loco is eſt, qui *extrahit e profunda.* Significatus ille omnino adfixus eſt illi voci *Exod. II, 10, 2 Sam. XXII, 17.* De angelo fœderis, ſeu Meſſia, *Jeſaias* hæc pronuntiavit *Cap. LXIII, 11:* ויזכר ימי עולם משה עמו איה המעלם מים את

את רֹעֵה צֹאנוֹ אַיֵּה הַשָּׂם בְּקִרְבּוֹ אֶת־רוּחַ קָדְשׁוֹ. Si per vocem *Moſcheh* hoc loco deſignatum exiſtimes *Moſen*, ſenſus prodit vel nullus, vel admodum contortus. Sin vero eam ceperis ſignificatu appellativo, omnia ſunt in expedito. En ſpecimen interpretationis: ***Memor erit dierum temporis olim elapſi is, qui populum ſuum e profundo extraxit & eduxit. Ubinam eſt ille, qui eduxit illos in ſublime e mari, nempe is ipſe paſtor gregis ſui? Ubinam eſt ille, qui poſuit in medio eius (populi) ſpiritum ſanctum ſuum?*** Omitto iam locum tertium, ex quo idem ſignificatus videtur elucere. Subit animum quæſtio nova, cur Ieſus vocetur *ἀρνίον*, *agnellus*. Agnum Græci appellant *ἄρνα*. Inde profluxit deminutivum *ἀρνίον*. Mirum eſt omnino, quod Chriſtus, Deus & homo, infinitæ virtutis ac omnipotentiæ abyſſus, appellatur *agnellus*. Evaneſcit vero illa admiratio, ſimul ac meminimus, Græcis in more poſitum fuiſſe, ea, quæ deliciis plena, & amoribus ſuis præcipue digna, eſſe exiſtimabant ipſi, adhibitis appellationibus deminutivis deſignare. *Ioanni* inprimis conſuetudo illa fuit familiaris ac trita. Si quis id dubitat, eum recordari volumus appellationis, qua idem afficit lectores Epiſtolæ ſuæ primæ. Inibi enim eos vocat *τεκνία*, *filiolos*, *1 Io. II, 1, 12, 28, II, 7, 18, III, 4, V, 21.* Eadem ratione Ieſus eos, qui auditores ac diſcipuli ipſius eſſe cupiebant, *agnellos ſuos*, *Ἀρνία*, vocavit *Ioan. XXI, 15.* Uſus fuit indubie eo, quod eundem fudit ſignificatum, vocabulo optimus Soſpitator. Cum vero Chriſtus non ſolum *Agnellus*, ſed *Agnus*

etiam,

etiam, vocetur, ſubeſſe præterea debuit ratio alia, cur id nominis ipſi fuerit [illegible]. Similitudo, quæ Ieſum inter & agni manſuetam patientiſſimamque indolem intercedit, rationem hanc complectitur, *Eſ. LIII*, 7. Dum vero Ieſus appellatur *Agnus, peccata mundi tollens*, (a) & *ſanguine expiatorio gaudere* (b) traditur, reſpicitur ad agnum piacularem Iudaicum, qui quotidie immolandus erat in iuge ſacrificio, unus in matutino, alter in veſpertino. Hic enim Agnus piacularis bibit aquam e poculo (c) aureo, antequam mactaretur: & conſtrictus fuit (d) decuſſatim; carnes eius in altari exteriori ſunt combuſtæ; & ſanguis illi adſperſus fuit. Inter hanc adſperſionem & combuſtionem publicæ fiebant preces, (e) & mane templi oſtia aperiebantur interiora, (f) lucernæque in candelabro ſacro accendebantur, immo gaudium ab inchoata muſica exordium capiebat. (g) Ieſus poculum, a patre prædefinitum, bibit, & in crucem actus fudit pro nobis ſanguinem, eo eventu, ut nobis gratiam repararit, cœlum aperuerit, & lætitiam atque illuminationem animorum noſtrorum promoverit. Cum vero *Paulus* pronuntiat, *agnum nobis eſſe paſchalem*, *Chri-*

(a) *Ioan. I*, 29.
(b) *1 Petr. I*, 19.
(c) *Arúch* in כוס.
(d) *Aruch* in אבר, & *Maimonides de iuge ſacrificio Cap. 4* §. 1.
(e) *Tamid IV*, 3, *V*, 1,
(f) *Tamid V*, 2.
(g) *Tamid VII*, fin.

Chriſtum ſcilicet *pro nobis mactatum* (h), reſpicit ad agnum paſchalem Hieroſolymitanum. *Ioannes* ſolet Ieſum vocare *Agnellum mactatum* (i), nec dubitandum eſt, quin ea appellatione ipſe reſpexerit ad agnum iugis ſacrificii æque ac ad agnum paſchalem, qui olim Hieroſolymis mactari conſuevit.

II.
PETRI ZORNII
DISSERTATIO DE ימים טובים, SIVE DIEBUS MAGNIS EBRAEORUM.

I.

Huc illud inprimis ſpectat *Tertulliani* in *Libro V adverſus Marcionem* : *Dies obſervatis & Menſes, & Tempora, & Annos, & Sabbata, ut opinor, & Cœnas puras, & Jeiunia, & Dies magnos.* Nimirum *in tribus Feſtis maioribus Ebraeorum* quidam dies minus feſti erant, ſcilicet inter primum & ultimum intermedii, quorum tanta non erat ſanctitas, quanta aliorum, quique nomine ἑορτῆς μεσούσης *Ioan. VII*, 14, veniunt. (1) At

h) 1 *Cor. V*, 7.

(i) *Apoc. V*, 9, 12, *XIII*, 8.

(1) Id eſt, interprete *Theodoro Beza*, circiter quartum diem Stenopegiarum. Nam de primo illo ſo-

At *dies maxime feſti* erant ſex: primus dies Paſchatis & ſeptimus: primus feſti Tabernaculorum, & octavus dies Pentecoſtes, & primus dies menſis Tiſri. Hi ſecundum *Iacobum Uſſerium*, (2) *Ioannem Hoornbeekium*, (3) & *Adrianum Relandum*, (4) appellantur ימים טובים proprie (5) *dies boni*, id eſt, *feſti*, uti apud *Plautum* dies bonus & bona verba, & καλαὶ ἡμέραι pro feſtis, & de his agitur in Codice *Betza*. Sed aliquando nomen ימים טובים latius patet. (6)

II. Hos porro dies, qui proprie ימים טובים Ebræis appellantur, ab *Hellenistis* appellantur ἡμέραι

ſolenni, cui non interfuit Ieſus, iſtud intelligi non poteſt, ultimi vero poſtea fiet mentio.

(2) In Diſſertatione *de Macedonum & Aſianorum Anno ſolari, cum Græcorum Aſtronomorum Parapegmate, ad Macedonici & Iuliani anni rationes accommodato, Capite III.*

(3) *Libro I Miſcellaneorum ſacrorum Capite XIV pag. 383.*

(4) In *Antiquitatibus ſacris veterum Ebræorum delineatis Parte IV Capite II §. III pag. 390.*

(5) Iuſto brevius loquitur *Valentinus Schindlerus* in *Lexico Pentaglotto:* Rabbinis יום טוב dies bonus ſignificat quodcunque Feſtum, præter tria, Paſcha, Pentecoſten, Tabernaculorum: dies convivii & gaudii.

(6) Uti cum in *Gem. Schabbath* 21, 2, octo dies Encæniorum ita appellantur, & in *Gem. Peſachim* 47, & *Echa rabbati* 60, 1, שני ימי של ר״ה duo dies feſti novi anni. Confer *Taanith IV*, 8, ubi legitur, non fuiſſe ימים טובים Iſraelitis, quales *dies* 15 *Ab* & *dies Expiationis.*

ἡμέραι μεγάλαι, uti, præter *Hoornbeckium* & *Uſſerium*, iam laudatos, obſervant *Radulphus Cudworthus* (7) & *Samuel Bochartus*. (8) Nimirum LXX pro [illegible]is *Eſ. I, 13*, קרא מקרא, καὶ ἡμέραν μεγ[illegible] Ex qua verſione pro *magna* haberi debet, quæcunque dies ſacris cœtibus convocandis eſt deſtinata. Proinde ad illum locum *Procopius* aſſerit, magnam diem appellari πᾶσαν τὴν ἐν τῷ νόμῳ καλουμένην κλητὴν, οἷα ἡ πρώτη καὶ ἑβδόμη τῶν ἀζύμων, καὶ ἡ τῆς πεντηκοστῆς, καὶ ἡ δεκάτη τοῦ μηνὸς, καὶ πᾶσαι ἁπλῶς ἐπίσημοι ἑορταὶ, *diem quamlibet in lege* κλητὴν (a populi convocatione) *dictam, quales* azymorum *prima, & ſeptima, &* Pentecoſte, *& decima menſis* (Tiſri), *&, uno verbo, feſta quævis ſolennia.* Quæ cum ita ſint, *Ioan. VII, 37*, poſtremus dies Feſti Tabernaculorum (9) magnus dicitur ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ, & *Ioan. XIX, 31*, legimus: ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ Σαββάτου, idque, iudicio *Chriſtiani Schœttgenii*, (10) ea de cauſa, quia feſtum Paſchatis in ipſum Sabbatum incidebat: quod Iudæi ſic exprimunt *Peſachim fol. 13, 1:*

אר

(7) In libro ſingulari *de Vera Notione Cœnæ Domini Capite III §. V.*

(8) *Parte I Hierozoici Libro II Capite L. pag. 568.*

(9) Confer de hoc *Ioannis* loco *Hiſtoriam* noſtram *Bibliorum, ex Ebræorum Diebus Feſtis & Ieiuniis illuſtratam, ſelectiſſimisque Obſervationibus adornatam, Capite II §. V pag. 10 ſeq.*

(10) In *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum pag. 403.*

ארבעה עשר שחל לחיות בשבת, ſi dies XIV inciderit in Sabbatum. Vide præcipue *fol.* 49, 1, *lin.* 1, ſi dies XIV incidit in Sabbatum, removent omnia ante Sabbatum &c. Quid quæris? Dies XVI Niſan, quo *manipulus* meti offerri debuit, apud *Ioannem* hoc in loco appellatur *μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνε τῦ Σαββάτυ*: nam *in hunc diem incidebant tria ſolennia, Sabbatum, Manipulus,* & ראיה, *comparitio populi* in atrio ſecundum *Exodi XXIII.* Vide, ſis, *Ioannem Lightfootum,* (11) *Adrianum Relandum,* (12) *Ioannem Chriſtophorum Harenbergium,* (13) aliosque viros doctos, quos alio loco & tempore laudavimus. (14)

III. Quæ-

(11) In *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Marci XV, 42,* & *Ioannis XIX, 31.*

(12) *Parte IV Capite II §. IV pag. 391: Ioannis XIX, 31,* μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνυ τῦ Σαββάτυ nominatur, quia incidebat in diem XVI menſis Niſan, (quod Iudæi dicerent חל ששר עשר לחיות בשבת, vide *Peſachim VII, 10,*) quo manipulus meti & offerri debuit, & is dies *iura Sabbati pellebat.* Vide *Menachot X, 1.* Fiebat autem id magna cum ſolennitate, & publice rogabatur: שבת זו, *an hoc Sabbato?* ſcilicet metam? & reſpondebant: hoc Sabbato, ibidem *X, 3,* præterea ab hoc die ſupputatio Pentecoſtes ſumebat exordium.

(13) In *Demonſtratione, qua oſtenditur, Chriſtum eadem die naturali Iudaica, qua in crucem actus eſt, cum reliquis Iudæis comediſſe agnum paſchalem, §. VIII pag. 540, Tomo II Theſauri Novi Philologico-Theologici.*

(14) Conferatur Diſſertatio noſtra philologica *de Manipulo primitiarum ex meſſe hordei, in eoque vel*

me-

III. Quæritur autem, *an apud Ebræos aliud dies magnus, aliud Sabbatum magnum, fuerit.* Audire operæ pretium fuerit *Iacobum Uſſerium.* Notandum eſt, inquit, aliud apud Iudæos fuiſſe diem magnum, aliud Sabbatum magnum. In tribus enim ברגלים *Exodi XXIII, 14*, quibus maſculi omnes quotannis comparere tenebantur coram Domino, quinque illi dies feſtivi, in quibus ſacri iubebantur haberi conventus (primus videlicet & ſeptimus Azymorum, dies Pentecoſtes, primus & octavus Tabernaculorum,) ab Ebræis ימים טובים, ab *Helleniſtis* μεγάλαι ἡμέραι, dicebantur: ſive in Sabbatum illi incidiſſent, ſive in ſeptimanæ diem quemvis alium. Unde קרא מקרא convocationem cœtus *Eſaiæ I, 13*, Græci μεγάλην ἡμέραν reddiderunt: ideoque in Evangelio ſuo *Ioannes* non ſolum Sabbatum, paſſionem Domini proxime inſecutum, in μεγάλην ἡμέραν incidiſſe notat *Capite XIX, 31*, ſed etiam poſtremum feſti Tabernaculorum diem, Sabbati nulla conſideratione habita, ἡμέραν τὴν μεγάλην τῆς ἑορτῆς *Capite VII, 37*, ſimiliter appellat. At vero שבת הגדול, *Sabbatum magnum*, unoquoque annó recurrebat unicum, idque non cum ipſa paſchalis agni feſtivitate coniunctum, ſed illam antecedens proxime; de quo in Tractatu, *Schulchan Aruch* inſcripto, legimus: *Sabbatum, quod proximum eſt ante Paſcha, Sabbatum magnum vocant.* De quo etiam nos commonefecit in *Synagoga* ſua *Iudaica Capite XII* Iudaicorum rituum ſcientiſ-

metendo, vel porriciendo, apud veteres Ebraeos, tum ritibus, tum myſteriis, §. IX pag. 25.

ſimus *Ioannes Buxtorfius*, quorum plane ignarus *Acron*, homo ethnicus, *Horatii triceſima Sabbata Sermonum Libro I Satyra IX* exponens, *Sabbatum magnum in renovatione lunæ a Iudæis hodie celebrari*, retulit. Hactenus *Iacobus Uſſerius*. Eandem ſententiam tuetur *Ioannes Hoornbeekius*. (15) Mediam quandam ſententiam in medium profert *Ioannes Henricus Hottingerus*. (16) Quicquid autem eius rei erit, adverſa prorſus contrariaque ſen-

(15) En huius verba: Interim *magnus dies*, quem ita Iudæi appellant, *non eſt confundendus*, quod nonnulli faciunt, *cum Sabbato magno*, quod eſt Sabbatum, non cum Paſchate coincidens, vel coniunctum, ſed quod integra hebdomada Paſcha proxime antecedit. De quo videndus *Buxtorfius* in *Synagoga Capite XII*. Quin etiam dies decimus quintus, ſive primus ἀζύμων, ſabbatum appellatur generali ſignificatione, uti & Paſcha, in quemcunque diem incideret, propter σαββατισμὸν, iſto die præceptum, *Levitici XXIII*, 7, 8, ac poſtridie huius diei, poſtridie Sabbati, quo offerebatur Omeri, ſive *manipulus frugum hordei*, in Paſchate, *Levitici XXIII*, *11*. Nimirum dies XVI, quo offerebatur manipulus, dicitur Paſchatis & Sabbati, ſed Sabbati communi ſignificatione, uti nec Paſchatis ſtricta.

(16) In Notis ad *Thomam Goodwinum pag. 512*: *Ioannis XIX*, *31*, vocatur μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ Σαββάτου: hac ratione ipſum Sabbatum magnum aliquo iure appellari poteſt, licet non ob rationem, quam *Lightfootus* profert, quia erat dies, quo oblatus eſt *manipulus primitialis*: mallem tamen abſtinere a ſpeciali denominatione *Sabbatum magnum*, quia illam locus citatus ſpecialiter non poſcit: dein

ſententia arridet *Ægidio Bucherio*, (17) *Theodoro Bezæ*, (18) *Ludovico de Dieu*, (19) *Eduardo Liveleio*, (20) *Iacobo Cappello*, (21) *Ioanni Christo-ſtophoro Harenbergio*, (22) *Valentino Schindle-*

dein quia apud Iudæos Sabbatum eſt, quod κατ' ἐξοχὴν ita appellatur. Schulchan: *Sabbatum, quod ante Paſcha, Sabbatum magnum appellari ſolet.*

(17) In Tractatu *de Iudæorum Paſchali Cyclo Capite VIII.*

(18) In *Notis ad Ioannis XIX, 31*, loquitur de die Paſchæ, qui eo anno in Sabbatum incidebat: ideo dicitur hoc Sabbatum magnum, id eſt, valde ſolenne & celebre, concurrente videlicet duplici celebritate.

(19) In *Commentario ad Ioannis VII, 37*, octavus erat, inquit, dies feſti Tabernaculorum, qui חגעצרת, *feſtus dies cohibitionis*, dicebatur, quia tum populus, ab omni labore cohibitus, ſolenni cœtu conveniebat: vocabatur & שבת גדול, *Sabbatum magnum.* Confer *Hiſtoriam* noſtram *Bibliorum, ex Ebræorum Diebus Feſtis & Ieiuniis illuſtratam, ſelectiſſimisque Obſervationibus adornatam, Capite II §. V pag. 11.*

(20) In *Chronologia*, nondum edita, apud *Iacobum Uſſerium* in Diſſertatione *de Macedonum & Aſianorum Anno Solari, cum Græcorum Aſtronomorum Parapegmate, ad Macedonici & Iuliani Anni rationes accommodato, Capite III*, obſervat, diem illum Sabbatum magnum vocari, in quo eſt concurſus dierum feſtorum.

(21) In ſuis *Epocharum thematiſmis anno Domini CCLI* obſervat, μέγα σάββατον dici diem Iudæis duplici nomine ἑορτάσιμον, nempe ob concurſum Feſtorum in uno die.

(22) En huius verba: *Magnum* igitur dicitur id *Sabbatum*

ro, (23) & *Samueli Bocharto*. (24) In præſenti repetimus verba *Petri Poſſini*, quamvis, ſi verum dicere

batum, quia tres complectebatur ſolennitates. שבת הגדול, *Sabbatum magnum*, Iudæi vocabant illud, quod feſto paſchali cœpto erat proximum, auctore *Maimonide de die feriato Cap.* 7. Quid clarius? quid apertius?

(23) In *Lexico Pentaglotto*: שבת הגדול *Sabbatum magnum* ob quoddam miraculum ſic dictum, quod 14 Niſan (al. diem Paſchatis) proxime antecedit, ut duæ ſolennitates concurrant *Ioan. XIX, 31*. Erat enim magnus ille dies Sabbati.

(24) Uti nonnulli, inquit, volunt, verborum *Ioannis XIX, 31*, ſenſus eſt, tam Chriſti, quam latronum, corpora fuiſſe de cruce propere deponenda, quia erat paraſceve, adeoque paraſceve diei, qui apud Judæos ſit maxime in honore *propter Sabbati concurſum cum prima azymorum*, ac proinde a *Ioanne* vocetur *magnus dies*. Quaſi non alia poſſit eſſe cauſa, cur dies aliqua magna vocetur, quam duorum feſtorum concurſus. Quin apud Iudæos nullum fuit feſtum, in quod non quadret hoc nomen. *Ioannis VII, 37*, magna dies feſti vocatur ultima Scenopegiæ, quæ tamen ſupra primam nihil habuit. Quando LXX *Eſaiæ I, 13*, קרא מקרא vertunt ἡμέραν μεγάλην, ex illa verſione pro magna haberi debet, quæcunque dies ſacris cœtibus convocandis eſt deſtinata. Itaque nullum eſt Sabbatum, quod non poſſit ſic appellari. Inprimis, ſi in aliquem azymorum diem incidat, ad quorum celebrationem Hieroſolymam undequaque confluebant Iudæi omnes. Tamen hodie שבת הגדול, *Sabbatum magnum*, Iudæi vocant, non quod in paſchales dies incidit, ſed quod illos proxime præcedit: cuius appellationis

dicere liceat, ſubinde apud diffidentes ceras miniatulas mereantur. Erant, inquit, Iudæis *tria feſta præcipua*, quorum cuiusque ſolennitas ſeptem dies continuos amplectebatur, nempe Paſcha, Pentecoſte, & Scenopegia. In unaquaque trium iſtarum eximia religione celebrium hebdomadarum ſuum Sabbatum erat, incerta ſede; nunc enim primus, nunc ſecundus, nunc tertius, & ſic de ceteris, ſeptenarii feſtivi dies in Sabbatum hebdomadarium cadebat. In quamcunque porro incidiſſet diem, quod eam iam feriatam anniverſariæ ſolennitatis religione reperiret, haudquaquam eam parem ceteris anni Sabbatis, ſed cumulo quodam ſanctitatis longe auguſtiorem, reddebat. Id diſerte de *Sabbato Paſchatis* tradit *Ioannes Capite XIX, 31.* Nec dubium, quin pari ratione magnum atque eximium eſſet Pentecoſtes & Scenopegiæ Sabbatum. Porro, quod magnum eſt abſolute conſideratum, idem, ubi comparatur iis, ſupra quæ præcellit, prius, aut primum, dicitur: quare iſta *tria Sabbata, cum aliis per annum ordinariis collata, prima dicebantur*, quód primatum ſupra ea ſanctitatis obtinerent. Erant ergo in Iudaico Calendario tria prima ſupremi ordinis Sabbata, quæ excellentia ſanctimoniæ ferme inter ſeparia, ſerie ac ſucceſſione temporis ordinabantur, ut, quod eorum primo menſe anni ſacri Niſan conveniret, *Primoprimum* vocaretur, quod ab illo proxime ſequeretur, *Secundoprimum*, denique, quod menſe Tiſri ſeptimo anni ſacri, etſi primo civilis antiqui,

 hebdo-

tionis ratio fabuloſa eſt in *Synagoga Buxtorfii Capite XII.*

hebdomadis feſti Tabernaculorum Sabbatum occurrebat, *Tertioprimum* appellaretur. Hactenus *Poſſinus* in *Spicilegio Evangelico* §. LXIV *pag.* 142.

IV. Satis de *diebus magnis*, & *Sabbatis magnis*, *Ebræorum*, quod ad *primos Chriſtianos* attinet. Illi, obſervante *Iacobo Uſſerio*, nullum aliud magnum agnoſcebant Sabbatum, quam quod Paſcha proxime antecedebat; nempe vel immediate, quod illi faciebant, qui iuxta *Patrum Nicænorum* decretum Paſcha die Dominico ſemper agentes, diei paſchalis vigiliæ (ut eam in *Epiſtola XIX ad Hieronymum Auguſtinus* appellat,) *magni Sabbati* titulum conſtanter tribuebant; vel, diebus aliquot interiectis, quod illis uſu veniebat, qui eodem cum Iudæis tempore Paſcha celebrabant, in quamcunque hebdomadæ feriam dies ille incidiſſet. In quorum numero & *Polycarpus* ipſe fuit (ut ex *Irenæi* ad *Victorem* Epiſtola manifeſte conſtat,) & Smyrnenſis Eccleſia, quam ille rexit, quæque, in magno Sabbato ipſum paſſum fuiſſe, literis ſuis eſt teſtata. Quod ad *Hiſtoriam* attinet *medii ævi*, commemoranda eſt *Hebdomas* illa, quæ *Latinis maior*, *Græcis* ἡ ἁγία καὶ μεγάλη ἑβδομὰς, *ſancta & magna Hebdomas*, (25) ſive ἡ τῆς σωτη-

ρίας

(25) Audiamus *Ioannem Chryſoſtomum Homilia in magnam Hebdomadem*: Magnam eam appellamus Hebdomadem, non quod illius dies magnitudine exuberent, quippe cum aliæ longiores ſint, aut quod plures numero ſint, cum hac in parte nihil ab aliis diebus varient, ſed quod hoc tempore egregie res geſtæ ſunt in ea a Domino Ieſu.

In

ρίων παθῶν ἑβδομὰς, *ſalutaris paſſionis Hebdomas*, nominatur, quam *ieiuniis* & *vigiliis* intenti maxime celebrant. Hinc etiam *ſinguli huiusce Hebdomadis dies ſancti & magni* nuncupantur: ἡ ἁγία καὶ μεγάλη δευτέρα, ἡ ἁγία καὶ μεγάλη τρίτη &c. In eadem Hebdomade *Feria ſeptima*, τὸ ἅγιον καὶ μέγα Σάββατον, *ſanctum & magnum Sabbatum* appellatur: hoc die, uti teſtatur *Thomas Smithus*, (26) ſemel tantum veſci licet; hora tertia poſt meridiem ad templum concurritur, ad preces nimirum veſpertinas obeundas (27)

In hac enim, quæ magna dicitur, diuturna illa diaboli tyrannis diſſoluta eſt, mors exſtincta eſt, paradiſus recluſus, cœlum inacceſſum deſiit eſſe, homines angelis permixti ſunt, meditullium ſepti ſublatum eſt, cancelli ſubducti ſunt, Deus ille pacis cœleſtia ſimul & terreſtria pacificavit: ideo magna vocatur Hebdomada; & ut ipſa caput eſt Hebdomadarum reliquarum, ita huius *Hebdomadæ caput Sabbatum magnum*. Quæ ex *Chryſoſtomo* reperit *Culliſius* in *Synaxario Sabbati Sancti*. Ceterum *de Hebdomade magna* ſingularem librum *Ioannes Fueſius*, & ſingularem Diſſertationem conſcripſit *Ioannes Fridericus Mayerus*.

(26) In *Epiſtola de Græcæ Eccleſiæ hodierno ſtatu pag. 32 ſeq.*

(27) Perplacet hic repetere verba *Leonis Allatii* in Diſſertatione *de Dominicis & Hebdomadibus recentiorum Græcorum.* §. XXI.: *Sabbato magno, de quo Nicetes*, ἦν δὲ τὸ ὑπερευλογημένον Σάββατον, καθ' ὃ ὕπνωσεν ἐν τάφῳ Χριστὸς *erat terque quaterque benedictum Sabbatum, quo Chriſtus in ſepultura dormiebat;* recitant Horas, & poſt varias multas-

Monachis, reliquiſque, qui illic tota nocte vigilaturi ſunt; ne præ languore deficiant, fruſtulum panis, ficos dactyloſque ſecum ſumentibus. Nimirum Sabbato, niſi unico, magno nimirum ſanctæ hebdomadis, (28) ieiunare, adhuc nefas eſt. Alias iſto die per integrum annum feriari, & ieiunio abſtinere, non tantum libet, ſed & ex veteri lege eccleſiaſtica omnino oportet. (29) Ita enim ſtatuebat ſexageſimus ſextus Canon Apoſtolicus, (30) ſi quis Clericus deprehendatur die Dominico ieiunans, aut Sabbato, præter unum ſolum, deponatur, ſi vero laicus, excommunicetur. Quem poſtea confirmarunt Aſſeſſores ſextæ Synodi Canone quinquageſimo quinto, διορθῶσασθαι τὸ σφάλμα τῦτο τῶν Λατίνων, ut *Zonaras* loquitur, ἐπι-

que ex Sacra Scriptura lectiones, dicunt Liturgiam D. *Baſilii*, quam ad ſecundam uſque noctis horam producunt. Qua demum finita, non exeunt Eccleſia, ſed ſuis inſiſtentes ſedibus, alia atque alia ex Patribus legunt, quouſque tempus advenerit, paſchale officium recitandi. Et ſic tota illa nocte inſomnes agunt.

(28) Exſtat de hoc *Sabbato magno* Homilia *Amphilochii*, Iconienſis Epiſcopi, cui adde aliorum Patrum Græcorum in Chriſti ſepulturam Homilias, quarum mentionem facit *Ioannes Albertus Fabricius Bibliotheca Græca Volumine VI pag. 532.*

(29) Auctor *Conſtitutionum Apoſtolicarum Libro VII Capite XXIV:* Unum tantummodo Sabbatum nobis toto anno obſervandum eſt, Sabbatum ſcilicet ſepulturæ Chriſti: quo quidem ieiunare deceat, non autem celebrare feſtum. Confer eundem Scriptorem *Libro V Capite XIV.*

ἐπιχειροῦντες hunc Latinorum errorem emendare conantes. Hinc autem *diſſidium* illud nunquam ſatis lugendum *inter Chriſtianos Orientales & Occidentales* aliquatenus quoque crevit. (30)

GOTT-

(30) De hoc *utriusque Eccleſiæ diſſidio* diſſerunt *Nicolaus I*, Pontifex Romanus, *Epiſtola LXX ad Hincmarum*, & ceteros Epiſcopos, in regno *Caroli* conſtitutos, in qua exponit *cauſas odii & invidiæ Græcorum adverſus Eccleſiam Latinam pag. 473, Tomo VIII Conciliorum*, a *Philippo Labbeo* & *Gabriele Coſſartio* editorum, *Cæſar Baronius* in *Annalibus Eccleſiaſticis ad A. C. LVII num.* 202 *ſeq.* & CH *num.* 15, *Robertus Bellarminus Libro II de Romano Pontifice Capite XXVII*, & *de bonis operibus in particulari Capite XVIII*, *Severinus Binius* in *Notis ad Canonem LXV Apoſtolicum*, *Garſias Loaiſa* in *Notis ad Concilii Eliberitani Canonem XXVI.* Ante omnes tamen Scriptores inprimis hic conſulendus erat *Ferdinandus Mendoza de confirmando Concilio Illiberitano ad Clementem VIII, Pontificem Romanum, Libro II Capite LII*, cuius inſcriptio: *Ieiunium Sabbati, cur in Eccleſia Occidentali præceptum, in Orientali interdictum, explicatis in eam rem Clemente & Ignatio & Canone LVI Synodi VI, de quo & reliquis diffuſe tractatum.*

III.

GOTTLOB FRID. GUDII EPISTOLA APOLOGETICA

PRO DISSERTATIONE SUA HISTORICO - CRITICA DE SADDUCAEORUM IN IUDAICA GENTE AUCTORITATE, VOL. II P. I HORUM MISCELLANEORUM Pag. 13 INSERTA, AD SUMME REVERENDUM CONRADUM IKENIUM, THEOLOGUM BREMENSEM, PERSCRIPTA.

Summe Reverendo CONRADO IKENIO
ἐυ χαίρειν καὶ ἐυ πράττειν.

Aequum omnino erat, *Vir Summe Reverende*, ut pro *Sadducaeorum* & *Karaeorum* omnium auctoritate ſtrenue diceres. (a) Quorum enim auxilium Tu, *paſchalem Chriſti coenam* ϛαυρώσιμον affirmaturus, implorasti, Tuam quoque opem iure ſuo ſibi poſcebant, cum auctoritatem ipſorum labefactare auſus fuiſſem. Neque mihi pariter, ac ſingulis, qui *antiquitatum ſacrarum* ſtudio iuſtum pre-

(a) In *Symbolis literariis*, quae ipſius cura *Bremae* foras prodeunt, *P. III pag. 299*.

pretium ſtatuunt, vindiciis hiſce iucundius quidquam contingere potuiſſet, cum, hac cauſa ad *philologici fori* arbitros utrinque nunc delata, ſententia eo facilius ferri poſſit, utri parti victoria ſit adiudicanda. Dictis igitur meis in præſenti parum, vel nihil, addam, ne forte nimio ſententiæ meæ amore captus lectoribus & pugnæ ſpectatoribus videar, iisque moleſtus exiſtam. Sufficienter enim ab utroque noſtrum dicta eſſe exiſtimo, quæ *Karæorum* auctoritatem tueri & minuere potuerant; quantum iis in argumentis, quibus in diſcutiendis coniecturis non ultimus locus dandus eſt, progredi nobis licet. Penes prudentiores lectores, & antiquitatum ſacrarum gnaros, nunc iudicium eſto, utram ſententiam probabilitati quam maxime reſpondentem pronuntiare velint.

At enim vero non potui, quin pro me pauca nunc dicam, & ab iis vitiis me liberem, quorum me in attenuanda *Karæorum* auctoritate accuſaſti, ne ipſorum frivolus aggreſſor lectoribus audiam; ſanctiſſime tamen pollicitus, errores, a me vere commiſſos, me nequaquam palliaturum, ſed candide confeſſurum eſſe, viciſſim etiam ſperans, fore, ut æquo animo feras, ſi quando Tibi, *Vir Summe Reverende*, probatum dedero, vitia quædam a Te mihi immerito impacta fuiſſe.

Erroris igitur memet ipſum ingenue arguo, quod in *Triglandii* verbis, quæ *§. 14* in ſcenam produxi, loco *tabernaculorum feſto*, encæniorum feſto typis mandari permiſerim. Neque vero erat, cur de hoc errore meo, tanquam de magno quodam εὑρήματι, *§. 12* Diſſertationis Tuæ fueris gloriatus.

riatus. Quemvis enim æquum lectorem, vel me non monente, ſuſpicaturum fuiſſe crediderim, quod errorem iſtum non ex antiquitatum ſacrarum ignorantia, & deliberato animo, admiſerim, ſed quod in deſcribendis *Triglandii* verbis feſtinans modo penna animum præcurrerit, isque in perlegendis ſcriptis iuſto negligentior fuerit.

Quonam autem iure Tu me §. 1 accuſaſti, Tibi & cauſæ Tuæ, *Vir Summe Reverende*, me iniuriam feciſſe, quod ſtatuerim: *una cum Karæorum auctoritate ſtante, & cadente, Tuam quoque ſententiam de cœna Christi ϛαυρωσίμῳ ſtare, & cadere.* Optime memineris, Te in doctiſſimis Tuis Diſſertationibus, *de tempore celebratæ a Servatore ultimæ cœnæ paſchalis*, reliquis modis, quibus alii ſententiæ Tuæ primariæ aſſertores in conciliandis *Evangeliſtarum* dictis huc usque uſi fuerant, iure meritoque relictis, & confutatis, ad illam *Karæorum* auctoritatem provocaſſe; *per quam, illis licuiſſe, affirmaſti, Phariſæorum moribus ſe opponere, agnumque paſchalem uno die citius interdum comedere;* ut horum ex præſidio & exemplo probare valueris, *Chriſtum quoque paſchalem agnum vere comediſſe.* Huic etiam argumentationi Tuæ *præcipua Evangelico-Lutheranæ eccleſiæ decora maximopere applauſiſſe* ſcribis *pag. 301.* & in ſinum gaudes, Tibi illa aſſeveraſſe: *faciliorem omnes difficultates tollendi viam, quam a Te factum eſſet, neminem oſtenſurum eſſe.* Licet igitur alii alia adminicula difficultates tollendi, & *paſchalem Chriſti cœnam* vindicandi, adhibuerint; iis tamen Tu ipſe diffiſus fuiſti, ut novam viam tentaveris,

&

& ad *Karæos* Te receperis, ex ipſorum non modo ſententia, ſed moribus quoque ſervatis; imo auctoritate & iure illos obſervandi, *Chriſtum uno die citius, quam Rabbanitas, ſive Phariſæos, paſchales epulas celebraſſe*, demonſtraturus. Hinc non temere, ſed iure meritoque, me concluſiſſe adhuc exiſtimo, Te hanc *Chriſti paſchalem cœnam* tam diu modo vindicare poſſe, quoad Tibi *Karæorum* auctoritatem *Phariſæis* vel ſuperiorem, vel ſaltem parem, ſartam tectamque tueri licuerit. Pereunte autem *Karæorum* auctoritate, & venia. *Phariſæorum* placitis ac moribus in publico cultu reſiſtendi, vindicias quoque Tuas pro *paſchali Chriſti cœna* labefactari. Siquidem argumentum, quod pro illa in medium produxiſti, & quod omnium, quibus uſi fuerunt alii, præcipuum iudicaſti, cauſæ Tuæ deeſt. Quam ob rem argumento Tuo tantopere confiſus, *pag.* 303 mihi regerere non debuiſſes: *Si ad ſummum tum ratio, ad tollendas difficultates a me allata, non procederet, ipſa autem nihilo minus ſententia de cœna Chriſti paſchali vera eſſe poſſet, quemadmodum & alii, qui hac in re idem mecum ſentiunt, alios tamen difficultates tollendi modos excogitarunt* &c. Tecum enim non niſi ego quidem congreſſus iudicium libere tuli, quantum roboris argumento Tuo, a *Karæis* petito, inſit, quo eam ob cauſam uſus fuiſti, quod, alia argumenta infirmis talis inniti, ipſe iudicares, & deſerenda putares.

Vitio mihi deinceps vertis, *Vir Summe Reverende*, quod pro univerſo *Karæorum* cœtu *Sadducæorum* familiam tantummodo impugnaverim.

Quaſi,

Quaſi, eorum nomine uſus, ſententiæ Tuæ lectorum invidiam conflare callidius tentaſſem. (b) Tantum vero abeſt, ut huius ſtratagematis ſim conſcius, & reus, ut ab eo prorſus alienus, longe gravioribus rationibus fuerim adductus, ut *Sadducæorum* familiam pro univerſo *Karæorum* cœtu nominarem. Quia nimirum *Sadducæorum* nomen, (quos una cum reliquis *Karæis Phariſæorum* traditiones reieciſſe, nec eapropter una cum *Phariſæis* Paſchatos feſtum uno eodemque tempore celebraſſe ſemper, Temet ipſum docuiſſe, legeram,) in *divinis ſcriptoribus* & in *Ioſepho* occurrit unum; eorumque exempla ad controverſiam noſtram componendam haud parum facere putabam; *Sadducæos* in ſcenam producere malui, quam *Karæos*, quorum nomen *divini* pariter *ſcriptores* ac *Ioſephus* ſilentio preſſerunt, res licet ipſorum ſub *Sadducæorum* nomine, Te quidem ſentiente, non prætererint omnes.

Multo peius Te præterea *pag. 305* habet, quod *Sadducæos* in *duas claſſes* deſcripſerim, *§. 1* eos dividendo in *proprie*, & *improprie*, dictos. *Te* enim *neſcire*, ſcribis, *ullum antiquitatum ſacrarum doctorem, qui hac diviſione fuerit uſus.* Licet autem diſtributioni huic parum detrimenti inferret, ſi vel ego primus eam adhibuiſſem, cum diverſus nominis uſus eam requirat, quippe quod, Temet

(b) Nec ignoro, nec improbo, quæ de *argumento theologico*, Theologos autem admodum dedecente, *ab invidia ducto*, in pererudita Diſſertatione, *Logica* ſuæ adiecta, monuit Cel. *Io. Clericus pag.* 233 *Operum philoſophicorum.*

Temet ipſo docente, non modo improbis illis ſcepticis, ſed ſanioribus quoque *Karæorum* cœtus ſociis, impoſitum fuit. A veritate tamen aberras, quod, *Karæos* cum *Sadducæis* inique me confudiſſe, & primum diſtributionis illius inventorem fuiſſe, affirmas. Prius enim vitium me non admiſiſſe, ex Diſſertatione mea affatim apparet, cujus §. 4 expreſſe monui, *nos utriusque claſſis membra una complecti, - - - quia reſurrectionis mortuorum amici cum illius adverſariis cauſam communem facere dubitarint nulli, communi ſuo hoſti, Phariſæorum, inquam, ſectæ, ſe opponentes.* Poſterius autem etiam a me alienum fuiſſe, cognoſces, quando, *Triglandium* Tuum in *Diatriba* ſua *de Karæis*, legeris, *Sadducæos* reſurrectionis adverſarios, *Sadducæos ſtricte, & proprie*, dictos plus vice ſimplici appellaſſe, (c) & hac appellatione *Karæos* reliquos, per invidiam *Sadducæorum* nomine inſignitos, ab iisdem ſeparaſſe.

Quod in concedenda *Karæorum* antiquitate, multoque magis eorum auctoritate, dubius hæſerim, & adhuc animo fluctuem, eo facilius mihi condo-

(c) *Pag. 165*: Ubi in nomen Baithoſæorum, aut Sadducæorum, incidet, non ſtatim *proprie dictos* intelligi, ſed duplici hominum diſtinctoque ordini eandem nomenclaturam quandoque aptari. *Pag. 200*: Attamen illum Iohannem Hyrcanum nequaquam cum impiis, & *proprie dictis*, Zadducæis feciſſe - - - *Pag. 189*: Quos memoravimus ſacerdotes in feſto expiationis & tabernaculorum Pharizæis repugnantes, Zadducæos, *ſtricte dictos* non vero Karæos noſtros, fuiſſe.

condonabis, quod apertius eorum patronus *Triglandius pag.* 237 præcipit: *Non ſtatim credamus omnibus, quæ dicunt Karæi, volo, namque eſt prudentiæ. At non mox quoque verum habeatur, ſi quid in ſuum compendium nugaces ſcripſerunt Talmudiſtæ.* Quocum conferendum eſſe duco *Henr. Gottlieb Reimium* in Diſſertat. *de Hiſtoriarum & antiquitatum Iudaicarum fide.* Hunc etiam magiſtrum fui ſecutus, quando §. 5 monui: *An vero ex ſcholarum umbra in publicam lucem lites illæ prodierint, non æque facile eſt diiudicatu.* Is enim *pag.* 233 docet: *Hæc igitur periodus,* (inſtituta ſcilicet diſputatione præſente *Iannæo* rege,) *fuit, ut ita dicam, acerrimarum diſputationum, quæ agitabantur magno utrinque favore, in ſcholis.* Id quod effatum *Scaligeri* monito *ibidem* illuſtrat, *ita tamen,* inquientis, *ut, dum Chriſtus in terris ageret, & aliquantum poſtea, ſecta utraque pro more hominum invicem digladiarentur; aliis huius, aliis illius, doctrinam ſive ſequentibus, ſive mordicus retinentibus.* Grata autem mente accipio, Te per locum ex *Matth.* XXII, 35; coll. 34 & 41, excitatum, me certiorem feciſſe, νομικοὺς *Phariſæis* fuiſſe addictos. (d) Quamvis non evinceris, νομικοὺς a γραμματεῦσι diſtingendos eſſe. (e) Multo minus, quod locus ex *Actor.* XXIII, 9,

(d) Quem vero locum ſibi etiam vindicare ſtudet *Triglandius p.* 215, cui ſubſcripſit *Chriſtianus Hechtius* in Commentatione *de Secta Scribarum, ſive* γραμματέων, Francof. 1737, *p.* 7.

(e) Utroſque unius eiusdemque cœtus ſocios fuiſſe, probat *Hechtius* loco citato.

XXIII, 9, ſunitioni meæ non ſuccurrat. Quando enim ibidem *οἱ γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων*, qui *verſ. 6 τὸ μέρος* audierant, dicuntur; eundem ſenſum hanc deſcriptionem fundere, Græcæ linguæ periti mecum, credo, fatebuntur omnes, ac ſi *οἱ γραμματεῖς* dicti fuerint *οἱ μέρος τῶν Φαρισαίων*. Quem enim latet, *Græcos* verbo *εἶναι genitivum* iungere, quando, *rem*, vel *perſonam*, *huc vel illuc referendam eſſe*, ſignificare volunt. Ὅτι Χριστοῦ ἐστε, dicit *Chriſtus Marci IX, 41*, ſuæ familiæ adſcriptos indicaturus. Qua dictione *Paulus* etiam utitur *1 Cor. I, 12, III, 4, 2 Cor. X, 7.* Supple igitur in loco meo participium *ὄντες*, cuius ellipſis Græcis eſt ſolennis; tunc *γραμματεῖς* dicuntur *ὄντες τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων*, ad *Phariſæorum ſectam pertinentes*. Neque infrequens eſt Græcis, *genitivum*, *nominativi* loco, uſurpare, omiſſo vel pronomine *τίς*, vel ſubaudienda voce *εἷς*, vel *πρᾶγμα*. (f) Ex ſacris *Paulum* nunc teſtor, qui *Hebr. XII, 11*, ſcribit: Πᾶσα δὲ παιδεία οὐ δοκεῖ χαρᾶς εἶναι, ἀλλὰ λύπης, ſcil. *πρᾶγμα*. Præterea, diverſam *neomeniam figendi* rationem aliquando ſervaſſe Iudæos, doctiſſimus *Salomon van Till* iam in dubium vocavit.

(f) Videatur *Vigerus de præcipuis Græcæ dictionis idiotiſmis p. 32 §. 4.* Dicente *Aeliano*, id φιλοκάλου εἶναι ἀνδρός, h. e. *ad virum elegantiæ ſtudioſum pertinere*, vel *eum decere*, duxerim, & *L. XII, 9*, τιμιότητος ἦν τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, h. e. *Vir erat ſingularis probitatis*. Nec non *Lambertus Bos de Ellipſibus Græcis*, ſub vocibus πρᾶγμα ὤν, & εἶναι, edit. Cl. *Leisneri*.

vit. (g) Cuius dubitatio, non omni nervo carens, anſam præcideret *Karæis*, hac in re *Phariſæis* contradicendi. Licet, hac de re iure an dubitaverit *Tillius*, nondum ſim convictus.

Circuli logici, & *petitionis principii*, Te a me iure poſtulatum eſſe, adhuc mihi perſuaſum habeo. *Circulum* enim illum vitioſum, vel *Claubergio*, & *Wolffio*, ad quos Tu provocaſti, docentibus, ii committunt, qui *incertum per æque incertum probare ſatagunt*, aut ad *demonſtrandam aliquam propoſitionem alia propoſitione utuntur, quæ ab illa independenter demonſtrari nequit*. Nonne autem Tibi, *Vir Summe Reverende*, placuit, ſumtionem Tuam, de *Karæorum*, & *Sadducæorum* poteſtate a *Phariſæorum* moribus diſcedendi, & ſacra diverſo ab iis tempore, & diverſa ratione, faciendi, *Joſephi* verbis illimitatis, auſu Tuo autem reſtrictis, demonſtrare? Quam quidem reſtrictionem iis nunquam addidiſſes, niſi *Joſephi* verba illimitata, ſumtioni Tuæ adverſantia, cum illa conciliare voluiſſes. Lectores igitur nunc omnes teſtor, an dubio carere omni, credant, *Joſephum* verba ſua cum reſtrictione Tua voluiſſe accepta: ὁπόσα θεῖα εὐχῶν τε καὶ ἱερῶν ποιήσεως ἐξηγήσει τῇ ἐκείνων τυγχάνουσι πρασσόμενα, h. e. *Quæcunque ad religionem ſpectant, ſupplicationes, & ſacrificia, ex ipſorum* (Phariſæorum) *interpretatione fiunt*. Licet enim *paſchales agni* a privatis hominibus

(g) In Diſſertatione *de Neomeniis Iudaicis, ætate Chriſti non ex Cyclis vitioſis, ſed lunæ φάσει, definitis*, quam *Commentario* ſuo *in quatuor Epiſtolas Pauli* p. 429 adiunxit.

minibus offerrentur, ad publica tamen ſacrificia magis referenda erunt, quam ad privata ſacra; quoniam ab *univerſa Iudæorum gente offerri*, & *à ſacerdotibus*, nec non *Levitis*, *in templo* denique *mactandi erant*. Quamobrem eos *ſacrificia privato-publica* admodum caute ſalutavit *Relandus*.

Verſioni Tuæ verborum *Ioſephi*, ex *Lib. XVIII Cap. 2* allatorum, *p. 320* emendatæ, non repugno. Reſpondet illa omnino accuratius *Ioſephi* menti, quam quæ a me prolata fuit. Neque vero illa fuit mea, ſed ex antiquo quodam Interprete deſumta, quo meliorem eo tempore, cum Diſſertationem meam conſcriberem, non ad manus habebam. Nihilo tamen minus æque ac Tu *Ioſephi* mentem interpretatus fui, *Phariſæorum placitis ſe invitos ſubmiſiſſe Sadducæos*. Eam vero ob cauſam quoque credidi, *Sadducæos* magiſtratus invita mente ſuſcepiſſe, prævidentes, ipſis poſtea adverſus mentis ſuæ ſenſa agendum fore. Ex quo ſimul confici poſſe putavi, *Sadducæos*, ſi vel magiſtratus dignitatem gerentes, & Synedrio aſſidentes, ad *Phariſæorum* mores in publico cultu ſe accommodare eos oportuit, multo minus dignitate illa carentes *Phariſæorum* placitis reſiſtere potuiſſe. Nonne autem de illorum candore iure dubitare licet, qui ejuſmodi munus in ſe conferri patiuntur, in quo adminiſtrando, reluctante ſua conſcientia ſibi agendum fore prævident?

Tibi autem alienam mentem me adfinxiſſe, quando *§. 14* ſcripſi: *Eo tempore, quo Chriſtus*

hiſce in terris verſatus fuit, *Sadducæorum auctoritatem*, Te judice, *ſummum cacumen attigiſſe*, nondum perſpicere valeo. Quid enim auctoritati ipſorum ſtabiliendæ deeſſe poterat, quorum a partibus, Te præcipiente, rex *Herodes Antipas* ſtetit, & qui *Synedrio* interfuere?

Neque me cum voce *publice* luſiſſe arbitror, ſcribendo: *Non probatum dedit, Ikenius, Herodem Antipam publice a Sadducæorum partibus ſtetiſſe*. Quippe quam vocem ipſemet interpretatus fui, addendo: *& Phariſæis poteſtatem Sadducæis abuſum eundi*, (quando, ſcilicet ad ſuam ſententiam cultum publicum formare audebant,) *ademiſſe*. Hoc enim demum facto partes ipſorum *publice* & *palam* tuitus fuiſſet *Herodes*. Id vero feciſſe *Herodem*, probatu omnino opus eſt, ſi quis, *Sadducæorum* & *Karæorum* auctoritatem *Phariſæorum* poteſtatem ſuperaſſe, affirmare voluerit.

Me quidem nil iuvare ſcribis *p. 342*, quod ad *Chriſti* præſentiam in *feſto encæniorum Io. X, 22*, provocaverim, & ex illa probaverim, *Chriſtum in cultu publico Phariſæorum ſententias & mores*, *ſi modo divinis mandatis non contrarii fuiſſent*, *ſecutum*; quoniam ne minimo indicio conſtaret, *illum ſolennitatem hanc cum Phariſæis celebraſſe*, *neque id cogitari poſſet*, *cum eius celebratio præcipue inſano gaudio*, *inſtar illius nocturni gaudii*, *quo noctes feſti tabernaculorum*, *mera bacchanalia viventes*, *tranſigebant*, *fieret*. Sed, *Phariſæis* licet Chriſtus tripudia ſua reliquerit, præſentia tamen ſua in templo, quando hoc feſtum celebrabant *Pha-*

riſæi, luculenter docuit *Chriſtus*, *quod illud, quamvis immediate Deum non auctorem haberet, ſimpliciter non reiecerit*, (h) id quod tamen, Temet ipſo docente, fecerint *Karæi. Improbant*, inquis, *ſolennem feſtorum, annuatim recurrentium, & certis ceremoniis celebrandorum, inſtitutionem, niſi a Prophetis Dei nomine fiat.* Teſte R. *Aarone*, cuius teſtimonium excitat *Triglandius pag.* 101: *'Eγκαίνια, quæ ſtatuunt Rabbini, non recipimus obſervanda, ea de cauſa, quod eo tempore nulli erant Prophetæ.*

Sed ad alia maioris momenti crimina pergendum. *Parachronismum* mihi, vel *figmentum*, *pag.* 336 imputas, quod hiſtoriolam illam de *Sacerdote quodam Karæis addicto, & malis citreis a plebe petito, quod in tabernaculorum feſto aquam non in altari libaſſet, ſed ad pedes profudiſſet*, illi tempori aſſignaſſe videar, quo *Chriſtus* egit in *Iudæa.* Neutrius autem vitii reus pronuntiandus ero, cum ego non dixerim, quod illud tabernaculorum feſtum, quo illud factum eſſe dicitur, in *Chriſti* ævum inciderit; ſed ex hoc facto, ad integram illam periodum, qua poſt *Alexandri Ianmæi* fata, *Phariſæorum* auctoritas reſtituta fuit, procul dubio referendo, non niſi probaverim, *Chriſti ætate Phariſæos Sadducæis ſuperiores fuiſſe.* Nec Tua, nec mea, refert, diſpicere, quo

 anno

(h) Videatur *Lampius* tuus ad *Io. X, 22, p. 689*, nec non *Reitzius* ad *Goodwini Moſen & Aaronem p. 340, Iuda Maccabæo* Feſti huius dedicationem tribuentis.

anno factum illud contigerit. Sufficit hac ex hiſtoriola colligere; quod *Phariſæorum* auctoritas in decernendo cultu publico, quæ iam ante *Chriſti* adventum criſtas erexit, ſub illius ætatem ſteterit illibata.

Tandem cum *uno piſce me pag. 359* comparas, *Vir humaniſſime*, quod Tibi nihil reſponderim ad ea, quæ *Rabbanitarum & Karæorum* teſtimoniis evinceris, *quod ſtante adhuc templo ſecundo Scripturarii non ſolum diverſum a Rabbanitis vere ſenſerint, ſed & ipſo actu ſuis, non adverſariorum, placitis cultum ſuum conformaverint, & inprimis idcirco nonnunquam diverſis diebus novilunium fixiſſe, & Paſcha ſuum mactaſſe.* Enimvero hac criminatione non niſi ii me dignum iudicabunt, qui Diſſertationem meam non legerunt. Ecquid enim Tibi, *Vir Summe Reverende, Ioſephi* teſtimoniis fortius opponere potuiſſem? Quæ vero cum non admiſeris, ſed eorum primum pro lubitu Tuo limitare auſus fueris, ut mihi illud eripuiſſe videaris; non mihi, ſed Tibi, imputare debes, quod Tibi non ſatis reſpondiſſe videar. Aliter iudicabunt, qui extra partium ſtudium poſiti; & hermenevticarum regularum probe gnari, *Ioſephi* teſtimonium, Tibi a me oppoſitum, perpendent. Adiungam vero illi locum ex Præfatione Cel. *Wolfii*, quam is *Notitia Karæorum, ex Mardachai Tractatu haurienda*, præmiſit. Cuius de conſenſu eo magis mihi gratulor, quia, rerum a *Karæis* geſtarum peritiſſimum eundem fuiſſe, ipſemet haud diffiteberis. *Omnis*, ille inquit *pag. 9*, *hiſtoria Iudaica facies oſtendit, Phariſæos, ſive*

legis

legis oralis propugnatores, gratia & multitudine ceteros ſuperaſſe, quam ſibi illi conciliabant cum affectata virtutis ſtudio, tum moribus externis ad rigorem quendam compoſitis, & quadam ingenii ſubtilitate, qua in adſtruenda traditione verſabantur; ne dicam, quod Ioſephus paſſim teſtatur, ipſos Principes ſectæ huius patrocinium ſuſcepiſſe. Hoc ipſo, credo, factum eſt, ut Scripturarii, ſive Karai, tanquam numero ſemper impares, & gratia quoque apud plebem inferiores, (i) *caput vix efferre poſſent, ſed nuda contradictione contenti ſibi viverent, a Rabbanitarum dominatu ſibi metuentes; ſe felices putantes, ſi externa ſocietate non excluderentur.* Quibus omni ex parte

D 5 ſunt

(i) Fatente *Mardochæo p. 52: Quia multi amplectebantur partes eorum,* (ſc. Phariſæorum,) *qui vilem habebant præcepta, pauci vero ſectabantur maiores noſtros, quoniam præcepta graviora reddebant: propterea ſæpius Rabbanitæ noſtro cœtu ſuperiores fuerunt.* Nec non *pag. 88; Aſſenſum præbuit ei* (Simeoni, ben Schetach,) *magna pars hominum iſtius ætatis, quoniam rem ad maximum in Iſraele virum retulit, dicendo: quod ſit traditio Moſis ex Sinai. Hoc autem præ ſe tulit, ut huius nominis reverentia timorem incuteret omnibus, qui audiebant: ita, ut multi adhæſerint ipſi, quemadmodum adhæſerunt aliis, qui in Iſraele ſurrexerunt, & deſtruxerunt vel aliquam, vel magnam, legis partem, populi multa copia inſignes. Perpetuo enim iuſti pauci ſunt, ſi cum reliqua multitudine comparentur.* Conferatur *Triglandius Cap. VII pag.* 220 & *pag.* 184: *Una fatendum eſt, inde poſt Alexandram Rabbanitarum ſententiam & partes fere potiores fuiſſe.*

ſunt conſentanea, quæ *Triglandius* *pag.* 233 præcepit.

Enimvero cur mihi *ſilentium* exprobras, cum Tuam reſponſionem ad *poſtulatum* meum, in *demonſtratione mea hermeneutica* Tibi, *Vir Summe Reverende*, propoſitum, adhuc deſiderem? Te quippe ad probandum provocavi, *quod tempore Paſchatis illius* ϛαυρωσίμου *diverſus calculus faſtum illud determinandi locum invenerit, ut eam ob diverſitatem Chriſtus una cum Iudæis, Karæorum cœtui adſcriptis, anſam habuerit uno die citius, quam Phariſæi, paſchalem agnum comedendi*. Hanc vero quæſtionem ex *faſtis ullis* decidi poſſe, ipſe negaſti in *Diſſertatione*, quam *demonſtrationi meæ* oppoſuiſti, *pag.* 44. Sed, hac lite non confecta, quo iure aſſenſum meum poſcere poteris, quod *Servator ad Karæorum mores in comedendo paſchali agno ſe conformaverit?* Ex hac tamen ipſa theſi Tua aſſenſum meum ibidem poſtulas; quia inquis, (haud conſultis licet faſtis) *Servator vere cum diſcipulis Paſcha*, Te docente *Diſſertat. II P. I Cap. 2*, *comederit*. Ignoſcas, *Vir Summe Reverende*, ſi, rationes hunc in modum ſubducendo, mihi aliisque in *circuli logici* admiſſi ſuſpicionem denuo incurras. Theſis enim, quam afferendam ſumſiſti, hæc eſt: *Chriſtus vere paſchalem agnum comedit*. Urgenti difficultates, per quas calculus huic aſſertioni non poſſit adiici, reſpondes: *Chriſtum uno die citius, quam Phariſæos, paſchalem agnum comediſſe*.

Ratio-

Rationem flagitanti, *qua hanc antiquitatem vini dicari putes, Karaeos & Sadducaeos teſtes, qui in definienda neomenia diverſo calculo uſi fuerint; & per eam diverſitatem nonnunquam paſchalem agnum uno die citius comederint, quam Phariſaei.* Inſtantem, *ut sub coenam illam Chriſti emortualem, ejusmodi diverſitatem locum habuiſſe*, probes, ad *theſin Tuam* ablegas: *Chriſtum paſchalem agnum vere comediſſe*; & hoc recurſu Tuo ad theſin Tuam adverſarios ſuperari poſſe, judicas. En Tuam argumentandi rationem, & tibicines, quibus ſententia Tua ſuſtentatur. Tantum vero argumentationi Tuae confidis, ut ſententiam Tuam *Marpeſiae cautis ad inſtar immotam ſtare*, pag. 347 canas. Quamvis *Logicae* periti *principii petiti* eum poſtulent, qui, theſin ſuam probaturus, ad eandem recurrit.

Sed plura addere nolo, ne & Tua, *Vir Summe Reverende*, & lectorum modeſtia abutar. Nec invidebo Tibi fiduciam, in res Tuas collocatam, neque applauſum, quem a *nimia coetus mei deca-nibus* Te reportaſſe non ſine tripudio commemoras. Certiſſime quippe perſuaſus, veritatem non *ex eorum numero, qui eam prae ſe ferunt, ſed ex argumentorum pondere, quibus illa confirmatur*, dignoſcendam eſſe.

Interea Te relinquo, Acquieſcens in eorum judicio, qui, *Antiquitatum ſacrarum* notitia inſtructi, & *logicarum regularum* gnari, controverſiam noſtram ad trutinam ſunt revocaturi.

Illam

Illam enim haud felicius decidi poſſe putaverim, quam ſi diſcutiatur: 1) *Utrum ſatius ſit & tutius, Ioſephi verba, Sadducaeorum & Karaeorum auctoritati contradicentia, ſine limitatione accipere, an ſine ulla occaſione a Ioſepho ſuppeditata reſtringere; 2) Utrum ſalvo Ioſephi teſtimonio, & ſine reſtrictione accepto, Karaei recentiores maiorem illa fidem mereantur.*

Tu vero, *Vir Summe Reverende*, certiſſime credas, me, abs Te licet diſſentientem, officio tamen meo, quo decet honoris cultu Te proſequendi, nullo tempore defuturum eſſe. Vale, & in poſterum rei literariae ſis emolumento & ornamento. *Laubae Luſatorum, Cal. Maii*, M DCC XXXXVI.

P. S.

Literis hiſce cum imponerem finem, in memoriam mihi veniebat *Ioachimus Meiſterus*, qui, Te in elegantiſſima Oratione *de illuſtri Bremenſium ſchola pag.* 43 laudante, *Lyceo veſtro illuſtri primus Rector* praefuit. Huius enim laudibus, quas hodie viro πολυμαθεστάτῳ *Brema* Te interprete aſſerit, eo lubentius aſſurgit *Lauba*, mea patria, quod, in *ſua ſchola* per annum 1739 *Rectoris* munere eundem felicibus auſpiciis functum eſſe, antequam *Gottingam* evocaretur, gratiſſima recordatur. Id quod eam ob cauſam Te docere volui, quia Te in laudata Oratione *Laubanenſem* ſcholam in *Lubenenſem* ſcholam commutaſſe, vidi. *Lauba* vero & *Lubens* diverſae ſunt urbes, quarum illa in *Luſatiae ſuperioris*, haec in *Luſatiae inferio-*

inferioris, finibus ſita eſt. Teſtor, præter Scholæ noſtræ annales, *Groſſeri memorabilia Luſatiæ P. IV. pag. 139*, ubi tamen error, qui in *prænomine* irrepſit, ex *pag. 120* emendandus eſt. *Meiſteri* igitur memoriam repetens *Brema*, *Laubæ* quoque faveat!

IV.

M. THEOPH. LUDOLPHI MÜNTERI

DE

HONORIBUS SERVORUM ROMANORUM

SPECIMEN PRIUS,

DE

HONORE, SERVIS ROMANIS HABITO IN REBUS SACRIS.

PROLUSIO.

Qui humilem, quique ſordidam, ſervorum, maxime Romanorum, conditionem non plane ignorant, nec ullius cuiusquam vicem magis dolendam fuiſſe, fatentur, quam horum ipſorum fortunam. Et, qui nondum omnem exuerunt humanitatem, qui mancipiorum ſortem probe ac iuſte æſtimarunt, æquis eam ſemper putarunt eſſe tolerabilibusque conditionibus levandam. Quæ, quan-

quanquam ita erant in promtu, ut res diſputatione non egeret, ſunt tamen a *Cicerone*, (a) *Seneca*, (b) &, qui eius hac in re veſtigia preſſit, *Macrobio*, (c) diligenter diſputata. Verum quidem certumque eſt, fuiſſe ἀργαλέον πρᾶγμα, δοῦλον γενέσθαι παραφονοῦντος δεσπότου: (d) certiſſimum vero etiam, licentiam dominorum legibus aliquando apud Romanos compreſſam, (e) libertatem interdum conceſſam ſervis, honoremque aliquem fuiſſe illis, poſitum in more inſtitutisque maiorum.

Quare, cum ſtatuiſſem per partes de honoribus ſervorum, conditionis vix tolerandæ levamentis, exponere, ab iis exordiri volui maxime, qui res ſacras Romanorum ſpectarent. Nam, ſi ea non ſine omni aſſenſu excipies, ſervorum Romanorum honores & forenſibus, & militaribus & domeſticis in rebus, primo quoque tempore, accurate copioſeque explicabo.

De

(a) *Lib. I de Offic. Cap. 13.*

(b) *Ep. 47.*

(c) *Saturn. Lib. I Cap. 11.*

(d) Sunt verba *Ariſtophanis* in initio *Pluti.* Ego vero legerem παραφρονοῦντος.

(e) Exemplum eſto edictum *Auguſti*, a *Claudio*, *Hadriano*, *Pio*, & *Conſtantino M.* renovatum. Vide *Heinecc. Ant. Rom. Lib. I Tit. VIII §. 4 ſeq.*

De Honore Servi Romani in rebus ſacris.

Caput I. *De Diis ſervi Romani.*
Cap. II. *De ipſius honore in diebus feſtis.*
Cap. III. *De ſervorum Rom. Sacrificiis.*
Cap. IV. *De illorum iureiurando.*
Cap. V. *De aſylis ipſorum.*
Cap. VI. *De ſervis Gladiatoribus.*
Cap. VII. *De ſervis, in funeribus mactatis.*

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAPUT I.

De Diis Servi Romani.

I.

In tanto Deorum Romanorum numero quidam peculiares, alii communes, erant. Lapis enim Spoleti repertus, cui hoc exemplum inciſum dicitur: (a) *Iovi O. M. Fortunaeque Meliori Aug. & Dis Deabusque Communibus.* Servis, cum peculiaribus nihil erat. Neque eos invocare, nec teſtari, niſi liberis ingenuisque, licebat. (b) Communes vero, quos ἀζώνας dicebant, ut *Iupiter*, ut *Fortuna*, vel ubique, vel ab omnibus, ne exceptis quidem ſervis, invocabantur. (c) Et, cum

(a) Vide *Servium* in *Lib. XII Æneid. Virg.* & *Jo. Saubertum de Sacrific. Cap. 5.*
(b) Conf. *Nieup. de Rit. Rom. pag. 284.*
(c) Quod relatum legis in *Hiſt. Tacit. Lib. IV Cap. 64.*

cum naturam Deorum habeat neceſſe ſit, quem aut teſtaris, aut ulciſci te cupis, ad ſervorum Romanorum Deos, heri & proprius cuiusque ſervi genius, maxime vero *Hercules*, pertinuit. Nam veteres, & præcipue Stoici, mortalium cuique pædagogum dari Deum, credebant, non ordinarium quidem, ſed notæ inferioris, quos *Ovidius* ait, (a) de plebe Deos. (c) Et, per *Herculem* ſæpius iuraſſe ſervos, infra docebimus. Sunt itaque Dii, quos ſervos coluiſſe conſtat. Hoc ſaltem ſufficeret, ad elevandam calumniam eorum, qui, ſervos homines fuiſſe, negarunt. Quem enim Romanorum iuvaret ſervo Deos largitum quærere: (f)

O demens, ita ſervus homo eſt?

II. Deos habent ſervi? Imo vero etiam iis mancipia curæ cordique fuerunt. Numinum proviſio ſervis etiam cavit, non ſolum ingenuis. Quod quidem Romanos, partim religione, partim miraculis, ſero tamen ſatis, adductos, crediidiſſe, exiſtimo. Hac de re *Livius* (g) multa, plura *Dionyſius Halicarn.* (h) longoque intervallo interiecto, *Macrobius*, (i) memoriæ prodiderunt. Sunt autem digna, quæ de integro dicantur. Nam-

(d) *Metam. Lib. I verſ. 595.*
(e) *Senec. Ep. 110.*
(f) *Juven. Sat. VI verſ. 222.*
(g) *Hiſt. Lib. II Cap. 36.*
(h) in *Antiquit. Rom. Lib. VII Cap. 63 ſeq.*
(i) *Saturn. Lib. I ap. 11.*

Namque in iis, quæ mirabiliter accidiſſe putant, conſentientes, diſcordant, cum rei fidem facere deberent. Quare, ut rei ratio, huiusque ſervorum honoris & origo, & cauſæ, appareant, *Dionyſium*, interprete *Sylburgio*, cum narratione *Macrobii*, e regione poſita, comparemus:

Dionyſ. Hal.	*Macrob.*
A. V. C. CCLXIV. *Q. Sulpicio* & *Sp. Largio* Coſſ. urbs multis divinitus territa eſt oſtentis.	Anno poſt Romam conditam CCCCLXXIV. (i. e. *Q. Fabio* & *C. Genucio* Coſſ.)
Tandem venit ad Senatum quidam *Titus Latinus*, ægrotus lectica delatus; vir ſenior, & ſatis amplarum facultatum dominus, &c.	*Anio* cuidam
Is, introductus in Senatum, aiebat, viſum ſibi per ſomnum adſtitiſſe *Iovem Capitol.* ac dixiſſe:	per quietem imperavit indignatus *Jupiter*,
I, *Latine*, dic tuis civibus, eos mihi proxima ludorum pompa haud bellum dediſſe præſultatorem: ut ludos illos inſtaurent, & denuo celebrent rectius. Eos enim non acceptavi.	ut ſenatui nuntiaret, non ſibi placuiſſe plenum crudelitatis admiſſum.
Se experrectum nihili feciſſe ſomnium &c.	Quo diſſimulante,

Dionyſ. Hal.	Macrob.
Sed denuo ſibi dormienti obverſatam eandem Dei ſpeciem, indignantis, quod iuſſa non retuliſſet ad Senatum, minantisque &c.	
De hoc ſecundo ſomnii viſo ſe eandem habuiſſe opinionem, ſimulque viſam ſibi rem pudendam &c.	
Nec multis diebus poſt, repente amiſiſſe filium, - - nec morbo ullo, nec alia quapiam interitus cauſa manifeſta, raptum,	filium ipſius mors repentina conſumſit.
Deique ſpeciem ſibi rurſus in ſomnis oblatam indicaſſe, neglectum - - iam partim luitum eſſe - - - partim brevi poſt aliis pœnis luendum &c.	Ac poſt ſecundam denuntiationem ob eandem negligentiam,
Tum Deum in omnia corporis membra dolores immiſiſſe intolerabiles &c.	ipſe quoque in ſubitam corporis debilitatem ſolutus (coniectus) eſt.
Denique iuſſu amicorum in Senatum veniſſe.	Sic demum, ex conſilio amicorum, lectica delatus,
Dum hæc narraret, videbantur dolores paulla-	Senatui retulit.

Dionyſ. Hal.

tum ſe remittere. Ubi vero narrationem abſolvit, ſurgens e lecticula, invocato Deo, pedibus ſuis per urbem domum ſanus rediit, & Senatum metus invaſit; - - Nec valentibus coniicere, quidnam Deus ſibi vellet, quisve eſſet ille pompæ præſultator, qui haud bellus Deo viſus eſſet.

Tandem quidam ex illis factum recordatus ediſſerit:

Civis quidam non obſcurus ſervum damnatum conſervis tradiderat ducendum ad ſupplicium, &, quo magis conſpicua pœna eſſet, per forum ceteraque inſignia urbis loca trahi eum, flagrisque cædi, iuſſerat, ante ludorum pompam &c.

Ut ergo Senatus rem cognovit, - - e facti novitate coniecit, hunc a Deo innui - - &, requiſito hero, qui ſervum tam fœde tractarat,

Macrob.

Et, vix conſummato ſermone, ſine mora recuperata bona valetudine, curia pedibus egreſſus eſt.

Ira vero percitus *Iupiter* erat, quia *Atronius* quidam *Maximus* ſervum ſuum verberatum, patibuloque conſtrictum, ante ſpectaculi commiſſionem per circum egerat.

Dionyſ. Hal.	*Macrob.*
mulcta ei irrogata eſt pro merito.	
Aliam (autem) pompam aliosque ludos *Iovi* decrevit (Senatus) duplo maiore ſumtu, quam antea.	Ex Senatus itaque conſulto & Mevia lege (k) ad propitiandum *Iovem* additus eſt illis Circenſibus dies, isque inſtauratitius dictus eſt.

III. Quæ quidem portentoſa (l) quanam arte finxerint Romani, exploratum mihi non eſt. Crudelitatis enim accuſator *Macrobio* eſt incertus, *Dionyſio Latinus*, & idem *Livio*. Sed unde habuit,

(k) Quam quidem *Manutium* ſilentio præteriiſſe in libello de Legibus, mirarer, niſi veteris memoriæ ſcriptores tantum non omnes cum eo obmuteſcere viderentur. Neque ſatis adhuc conſtat, verane lectio illa ſit, an corrupta. *Meviæ* quidem *Gallæ, Planco* nuptæ, mentionem iniecit *Macrobius Lib. II Cap. 2,* a qua tamen lex dicta non eſt.

(l) Similiter de incolis Spartæ ſcripſit *Cl. Ælian. Var. Hiſt. Lib. VI Cap. 7:* Ὅτε οἱ Λακεδαιμόνιοι τοὺς ἐκ Ταινάρου οἰκέτας παρασπονδήσαντες ἀνέστησαν καὶ ἀπέκτεινάν, -- κατὰ μῆνιν τοῦ Ποσειδῶνος σεισμος ἐπιπεσὼν τῇ Σπάρτῃ τὴν πόλιν ἀνδρειότατα κατέσεισεν, ὡς πέντε μόνας ἀπολειφθῆναι οἰκίας ἐξ ἁπάσης τῆς πόλεως.

buit, *Jovem* ſibi apparuiſſe? non ſervum? qui conditioni ſuæ mendacio conſuleret; non alium? duriſſimi heri fortaſſe inimicum. Ab accuſatore pœnam repetit *Iupiter*, quam filius capite perſolvit. Maleficium vero neque indicatum a *Iove*, tradunt, neque punitum. Senatu adhuc dubitante coniicienteque, mulctæ damnatur. Equidem, *Macrobium* hanc memoriam, prodigiis bene exornatam, niſi a *Livio*, certe a *Dionyſio*, cui plura debet, accepiſſe, arbitror. Sed *Uſſerium* ſequamur. *Dionyſius* libros ſuos exaravit A. M. ut qui plurimum minimumque tradunt 3997. Ipſius itaque memoria quadringenti ſeptuaginta ſeptem anni fuere, cum id accideret. Nec certus auctor mirifice convaleſcentis accuſatoris *Livio* fuit, non addubitanti ſolum, ſed etiam clauſulam adiicienti: (m) „Eum functum officio pedibus ſuis domum rediiſſe, *traditum memoria eſt*.„ Quare habeat auditionem ſuam quisque levem pro hac re comperta.

IV. Illud tamen inhumanum ſive *Atronii*, ſive alius patris familiæ, facinus idcirco temere negari nolim, quia & diei inſtauratitii cauſa dicitur, & proviſionis, ſicuti putabant, divinæ ſervis cum hero communis teſtimonium. (n) Utrumque ad rem noſtram ſpectat. Alterum minuit *Macrobius*, dum, inſtauratitium diem A. U. CCCCLXXIV conſtitutum fuiſſe, quod tanto ante fiebat, neſcio quonam potiſſimum teſte, refert. Alterum idem diligenter auxit. Nam tot mira ex-

(m) *l. c.*
(n) Conf. *Macrob. d. l.*

ponit, quot ad dubiam ante, nunc comprobatam, Deorum curam erant ſupervacanea.

V. Cuius proviſionis non alienum videtur, qualis Romanorum opinio fuerit, de Veſtalium precatione, docere. Harum enim ſacerdotum precibus „nondum egreſſa urbe mancipia fugitiva „in loco retineri credebant.„ Certum quidem illud, auctore *Plinio* maiore; (o) ſed, artificio quodam eſſe excogitatum, opinor, ut dominus moderari maximas familias poſſet. Nam ſemel ſuperſtitione imbuti, variis ipſius commentis facile, velut religione, tenebantur. Quod utut eſt, ſervos Diis curæ omnino, ex mente veterum, idque miſeris in honore fuiſſe, confirmat. Sic aliqua ſaltem ex parte exæquabant ſervos cum ingenuis, ipſaque dominorum dignitate. Hinc non ab re diſputavit *Seneca*, (p) quæ *Macrobius*, ut alia, diligenter ſua fecit, (q) „Vis tu cogitare, in„quiens, iſtum, quem ſervum tuum vocas, ex iiſ„dem ſeminibus ortum, eodem frui cœlo,„ addo, eadem Deorum cura, „æque ſpirare, æque vivere, „æque mori: tum tu illum ingenuum videre pot„es, quam ille te ſervum.„

CAPUT II.

De Honore ſervi Romani in diebus feſtis.

I. Statutum definitumque ſervis Rom. tempus erat, quo dies feſtos haberent. Illis autem diebus

(o) *Hiſt. Nat. Lib. XXIIX Cap.* 2.

(p) *Epiſt.* 47.

(q) *Lib. I Cap.* 11 *Saturn. pag.* 291 edit. Lugd. A. 1560, 12.

bus ſummis utebantur honoribus. Quos ne dimoveamus, eundem, quem annus olim habuit, ordinem ſequemur. Ante *Numam* Martius primus anni menſis erat. (r) Cuius ipſius Calendis Matronalia agebantur. (s) In ipſis autem Matronalibus, aut poſt ea non ita multis diebus, dominationis aliquamdiu quaſi immemores matronæ (t) ancillabantur. Imperium vero tam diu ſervi ſimulabant. His enim accumbentibus, matres familiæ apponebant cœnas. Qui ſervorum honos ſimilis Saturnali fuit. Unde *Martialis:* (u) „Scis „certe, puto; veſtra iam venire Saturnalia, Mar„tias Calendas.„

II. Eiusdem conſuetudinis *Macrobius* (x) auctor eſt. Diem quidem huius ſervorum feſti non deſignavit. Ipſi vero Matronalia ſtatuta fuiſſe, exiſtimo. Primum enim matronarum Saturnalia vocantur. Tum iisdem menſis Martii Calendæ tribuebantur. (y) Poſt quotannis revocari ſervos

 hoc

(r) *Ovid. Lib. III Faſt. verſ. 75 ſeq.* teſtis e multis eſt.

(s) Quorum rationem & cauſas idem *Ovidius* explicavit *l. c. verſ. 170 ſeq.* & *Tibull. Eleg. III, I, verſ. 1.*

(t) Differentiam inter matronam & matrem familiæ contra *Æliunt Meliſſum* eleganter diſputant *A. Gellius* in *Noct. Lib. XVIII Cap. 6,* & *Chr. Ulr. Grupen,* Vir illuſtris, maximas laudes facile vincens, in libello, *de Uxore Romana* inſcripto, *pag. 2 ſeq.*

(u) *Lib. V Epigr. 85.*

(x) *l. c. Cap. XII pag. 303.*

(y) *Martial. l. c.*

hoc honore ad officium, idque inito anno fieri volebant. Quare *Plautus:* (z)

„Da mihi, vir, Calendis meam quod matrem iuverit.
Da, qui farciat, da, qui condiat.

III. Operam tunc dabant ſervis ſolæ Romanorum matronæ, non heri, non cælibes, nec filii, nec virgines. Quod ex *Horatiana* (a) *Mæcenatis* compellatione patet:

„Martiis cælebs quid agam Calendis,
„Quid velint flores & acerra turis
„Plena, miraris.

Matronis autem, non ſatis conſtat, an gladiatores iisdem diebus dederint, an venationem, an Circenſes. Quibus Saturnalia quidem agebantur. (b) Eam vero ob cauſam *Saturnum* ſibi gladiatores potiſſimum aſſumſiſſe videtur, quia & delectaretur gladiatorum certaminibus, & crudelem eum fingerent victimis humanis placari. (c) Convivia tamen opipare apparata erant, variis ſervorum deliciis cum matribus familiæ ad multam ſæpe noctem producta. Quæ ex ratione Saturnalium, non ita multo poſt explicandorum, apparent.

IV. Vero autem videtur ſimillimum, hos dies feſtos fuiſſe *Numa* rege omiſſos, ita certe, ut, amplius eundem ſervis honorem habitum fuiſſe, dubitem. Propterea enim ſervos honorabant matronæ,

(z) *Mil. Glor. III, 1, 96 ſeq.*
(a) *Carm. Lib. III Od. 8.*
(b) Vid. *I. Lipſii Saturn. Serm. Lib. I Cap. 5.*
(c) *Ovid. Faſt. verſ. 627.*

tronæ, ut, ex ordinatione *Romuli*, anni cuiusque principio eos ad obſequium invitarent. Quod tamen non niſi Martio menſe factum eſſe legitur. Annum vero Martius usque ad memoriam *Numæ* aperiebat. Cui poſtea & Januarium & Februarium præfixerunt. *Ovidius* (d) teſtis eſt:

„*Numa nec Ianum, nec avitas præterit umbras;*
„*Menſibus antiquis appoſuitque duos.*

Ex quibus omnibus facile coniicitur, triginta tantum & aliquot annos obtinuiſſe hunc ſervorum Romanorum honorem.

V. Inſtauratitii diei ſupra iam eſt mentio facta. (e) Eum vero quotannis celebrabant d. v. Non. (f) ſive, ut noſtrates loquuntur, d. IX Aprilis. Quo non redintegratam ſolum *Iovis* ante irati gratiam eſſe, opinabantur, verum & memoriam nefandæ illius, quam ibi dixi, crudelitatis *Atronii* fore teſtatiorem. Nomen vero accepit non a patibulo, ut quidam putant, (g) Græco nomine ἀπὸ τȣ͂ ϛαυρȣ͂, quod ſervus patibulo conſtrictus ageretur per circum; ſed a redintegratione. *Varronem* enim accepimus, ajentem: „inſtaurare „eſſe inſtar novare.„ Quod etiam *Claudianus* confirmat, verſibus: (h)

 „*Sæpe*

(d) *Faſt. Lib. I verſ. 43 ſeq.*
(e) *Cap. I §. 4.*
(f) Vid. *Roſin. Antiqu. Rom. Lib. IV Cap. 4.*
(g) Utimur verbis *Macrobii d. l.*
(h) In *Prob. & Olybr. Coſſ. Paneg. verſ. 9.*

„*Sæpe ſoles ductoribus illis*
„*Inſtaurare vias, & curſibus addere nomen.*

Accedit ipſa diei inſtauratitii ratio, quæ cum eadem opinione congruit. *Dionyſio* enim narrante, (i) luculenter ſatis imperavit *Iupiter*, „ut lu„dos illos *inſtaurent*, & denuo celebrent rectius.„ Quare Senatus inſtitutum erat, „ut, cauſa cognita, „aliam pompam aliosque *Iovi* ludos decernerent, „duplo maiore ſumtu, quam antea.„ (k) Quod quidem die inſtauratitio factum eſt.

VI. Cum itaque inſtauratitio die Circenſium ſpectacula ederent, illum quonam potiſſimum ritu celebrarint, cognitu eſt facillimum. Ante ludos enim ſtatuas Deorum a Capitolio, in thenſis & ferculis, celebri Circenſium pompa, per circum maximum ducebant. (l) In ipſa pompa præibant filii eorum, penes quos rerum ſumma eſſet. Illi enim pubertati proximi per ætatem pompæ intereſſe poterant. Quorum vero patres adſcripti equitum ordini erant, illi invehebantur equis, ceteri pedites incedebant. Illos alis turmisque, hos claſſibus atque ordinibus, diſtinctos ſequebantur, qui currus & equos agitarent. Subſequebantur athletæ nudi, & pudenda tantum velati. Quem quidem morem Romani a Lacedæmoniis accepere, &

(i) *d. l.* & *Cap.* 73.
(k) His autem ludis argenti minas quingentas, h. e. 6250 Ioachimicos, decreverat. Vid. *Dion. l. c.* 66.
(l) Quod *Cæſar* decerni ſibi paſſus eſt. Vid. *Sueton. Cæſ. Cap.* 76. Conf. *Dion. Halic. Lib. VII Cap.* 66 *ſeq.*

& ad *Dionyſii* usque memoriam obſervarunt. Poſt athletas ibant ſaltatores, Punico amicarum genere, æreis balteis, gladiis, lanceis, partim etiam criſtis, inſtructi; tum tibicines & cithariſtæ tibiis lyrisque eburneis canentes. Extremum pompæ agmen claudebant ſimulacra Deorum, virorum humeris portata. Peracta pompa, confeſtim ſacrificabant Conſules ſacerdotes & victimarii.

VII. Poſt ſacrificia varia certaminum genera inibantur. Primum erat curſus quadrigarum, bigarum, ſingulariumque equorum. Alterum aurigarum, ſive παραβάτων, &, ut Athenis ſalutabantur, ἀποβάτων, e curribus deſilientium, ſtadiumque inter ſe certatim currentium. Tertium denique certamen pugilum & luctatorum. Quibus nonnulli diſci iactum, ludum Troiæ, venationem, & Ναυμαχίαν, id eſt, navale prælium, addunt. (m)

VIII. Quæ omnia ad ſervorum Rom. honorem pertinebant. Non enim a *Iove* ſolum de Circenſibus ſervorum gratia inſtaurandis iuſſum acceperat magiſtratus, ſed quotannis etiam hunc diem feſtum 12500 nummorum uncial. ſumtu, (n) agebant. Neque maiori ſervo eſſe quidquam laudi poterat, quam tam diu fortiter certare, „donec „alterutrum velox victoria fronde coronet, (o)„ aut quam victor Circenſium citaretur. Hinc canit *Corippus*: (p)

„Et

(m) Leg. *Nieup. de Rit. Rom. Sect. IV Cap. 5.*
(n) *Dionyſ. l. c. Cap. 73.*
(o) *Horat. Epiſt. Lib. XIIX, 64.*
(p) *De Laud. Iuſt. Aug. min. Lib. I verſ. 344 ſeq.*

„*Et iucunda novæ Circenſia gaudia Romæ,*
„*Huc omnes populi, pueri, iuveneſque ſeneſque,*
„*Agmina dant plauſus, vox omnibus una.*

IX. Dies inſtauratitius, ſi *Macrobio* fides habenda eſſet, uudecim tantum annos in uſu fuiſſet. Anno enim eum eſſe P. U C. CCCCLXXIV conſtitutum, tradidit. Tempore vero belli Punici Romanos eundem intermiſiſſe, ſignificat *Dionyſius* noſter, „ludos, inquiens, (q) hos decrevit Sena„tus Rom. ex voto *A. Poſtumii* Dictatoris, quod is „bello Latino fecerat. - - - - Hoc eſt obſerva„tum usque ad bellum Punicum, „ quod anno ab urbe condita CCCCLXXXV geri cœptum eſt. Sed plurimum hac in re credimus & *Livio* & *Dionyſio*, qui, tempori, quo ludos inſtaurandos decreverunt, longe propiores, id eſſe anno circiter CCLXIV factum, uno animo exiſtimant. Quare, annos ſaltem ducentos unum & viginti duraſſe inſtauratitium ſervorum honorem, videtur.

X. Ancillis (r) dies feſtus VII Non. id eſt nobis, nono menſis Iulii die, honoris cauſa erat. Qui nonarum Caprotinarum nomen accepit partim ab hoc illis ſtatuto tempore, partim ab arbore caprifico, (s) ficu ſylveſtri, nunquam matureſcente,

(q) *l. c. Cap. 66.*

(r) Ancillarum nomen *Alexander Sardus de rer. invent. Lib. II Cap.* 22 ab *Anco* Rege deduxit, a quo Romani primas ſervas acceperunt.

(s) Quod *Plutarchus* teſtatur. Cujus verba hæc ſunt:

κα-

ſcente, (t) ſub qua in virtutis olim ab ancillis præſtitæ memoriam, ſic volunt plurimi, ſacrificabant. Sed ab initio ordiendum eſt. (u) Urbe a Gallis capta, h. e. anno ipſius CCCLXIII (x) tenuis reſp. erat. Ex quo evenit, ut opprimendæ ipſius delendæque occaſionem finitimi quærerent. Inprimis Fidenates legatos ad Senatum miſerunt flagitatum, ut, ſi quam manere civitatem vellent, & matres familiæ & virgines Romanorum ſe ſibi darent. Patribus hinc diu multumque deliberantibus, pollicitam fuiſſe dicunt ancillam, quam alii Tutelam, alii Tutolam, Philoten alii, vocant, cum ceteris Romanorum ancillis ſe, dominarum nomine, ad hoſtes ituram. Quæ cum, patrum conceſſu, matres familias virginesque ſimularent, & proinde a *Livio*, Fidenatium Dictatore, in caſtris ipſorum diſtributæ eſſent, diem feſtum Romanos habere fingunt, virisque hoſtibus perſuadent, ut ſe multo vino epulisque hoc die hilares obrui paterentur. Quibus etiam ſopitis, ex arbore quadam caprifico, caſtris Romanis proxima, ſignum dederunt. Subito autem impetu Romani hoſtem imprudentem facile oppreſſerunt. Quo fuſo, Senatus,

καπρατίναι αἱ νόνναι καλοῦνται διὰ τὸν ἐρινεὸν καπρίφικον ὑπὸ Ῥωμαίων ὀνομαζόμενον. Vid. ejusd. *Camil. Tom. I pag. 146* edit. Francof. 1620.

(t) Vid. *Plin. Hiſt. Nat. Lib. XV cap. 10.*

(u) Conf. *Macrob. l. c. pag. 298.*

(x) Cuius rei teſtes ſunt *Dionyſ. Hal. l. c. Lib. I cap. 75* & *Nieupoortus* in *Hiſt. reip. Rom. Tom. I pag. 153.*

tus, ſummi beneficii memor, Nonas Caprotinas conſtituit, ut annua ſolennitate celebraretur ſacrificium.

XI. Rem quidem ab ancillis geſtam nonnulli negarunt. Nec defuerunt, qui alias Nonarum Caprotinarum cauſas indicarint, ita ut *Plutarchus* de re dicta iudicet: Ταῦτ' ȣ̓ πολλοὶ προσίενται τῶν συγγραφέων. (y) Hæc a multis ejusdem memoriæ ſcriptoribus non recipiuntur. Modo enim ea ad *Romuli*, apud paludem Capræ, (z) interitum pertinere arbitrantur. Modo, quæ *Camillo* Dictatore geſta dicuntur in bello cum Latinis & Volſcis, veram huius feſti cauſam eſſe, ſcribunt. (a) Utrumque *Plutarchus* narravit. (b) Nec tamen de re controverſa conſtituit. Quæ quomodo dirimatur, mea quidem parum refert. Nam *Plutarchus*, ſibimet ipſi parum conſentiens, certam Nonarum Caprotinarum originem non habet, ipſas tamen inficiandas eſſe, minime declarat. Ego vero eas primum ob *Romuli* diſceſſum ad paludem Capræ ab urbis anno XXXVII habitas; deinde mulierum legatione A. U. CCLXXVII poſt id Latinum bellum renovatas; & denique viragini Tutelæ, cum ancillis dicatas anno CCCLXIV putarem, niſi 1) de feſto in honorem *Romuli* ſtatuto, ſi a Quirinalibus hunc in finem ha-

bitis

(y) In *Romul. pag.* 37.

(z) Vid. *Liv. Hiſt. Lib. I Cap.* 16.

(a) Hoc bellum habes in *Ant. Rom. Dionyſ. Halic. Lib. VIII Cap.* 55.

(b) In *Camillo pag.* 145 *ſeq.*

bitis diſcedimus, (c) vetuſtiſſimarum Rom. rerum ſcriptores ad unum omnes tacerent: & 2) quæ *Camillo* tribuuntur, in bello cum Gallis, non cum Volſcis, geſta viderentur. Quare mittamus ea, &, qua ratione Nonas Caprotinas egerint, videamus.

XII. Fœminas enim die deſignato extra urbem invitabant Romani. Quæ ſe fici ramis cinctæ ſiſtebant. Ancillæ vero ſplendide comtæ & ornatæ in unum agmen cogebantur. Deinde currendo iocisque fictis perſonas earum induebant, quæ Romanis quondam auxilio fuerant. Ita & verberibus & lapidibus committebant pugnam, non ſecus ac renovarent eam, qua beneficio ancillarum Romani diſceſſiſſent ſuperiores. (d) Cum vero ſe ſub arbore caprifico ad ſacrificia accingerent, nomina patria cantabant ancillæ, ut *Cajum*, *Marcum*, *Lucium*, & quæ his ſimilia. (e)

XIII.

(c) *Ovid. Faſt. L. II verſ. 475.*

(d) Non poſſum, quin verba *Plutarchi* adſcribam: Ἑστιῶσι δὲ τὰς γυναῖκας ἔξω συκῆς κλάδοις σκιαζομένας. αἱ δὲ θεραπαινίδες ἀγείρουσι περιϊοῦσαι καὶ παίζουσιν, εἶτα πληγαῖς καὶ βολαῖς λίθων χρῶνται πρὸς ἀλλήλας, ὡς καὶ τότε τοῖς Ῥωμαίοις παραγενόμεναι καὶ συναγωνισάμεναι μαχομένοις. In *Rom. pag. 36 ſeq.*

(e) Τὴν ἀγομένην ἑορτὴν ὑπόμνημα τῆς πράξεως ἐκείνης εἶναι. Πρῶτον μὲν γὰρ ἐξιόντες ἀθρόοι διὰ τῆς πόλεως, πολλὰ τῶν ἐπιχωρίων καὶ

κοι-

XIII. Idib. Sextilib. ſive d. xv Auguſti, feriæ utriusque ſexus ſervis erant. Quæ cur celebratæ fuerint, ipſe *Plutarchus* (f) in dubium incertumque revocavit. Dedecus natalium *Servii* regis, eodem die e ſerva captiva nati, cauſam ipſius in honorem ſervorum habendi creditum videtur. Quod tamen exploratum non habemus. Nec ſatis conſtat, ſervine tunc ſacrificarint, an modo ſint otio luxuriati. Id ſaltem certum eſt, mulieres ſervas ſe ſuaque capita & fortaſſe veſtimenta, quod τὸ πλύνειν indicat, lavare purgareque fuiſſe his ferïis ſolitas. Qui mos etiam ad ingenuas ab ancillis pervaſit. Indidem mancipiorum honori maxima eſt acceſſio facta.

XIV. Calendis Novembr. maximam ſibi turpitudinis notam inurere, decus antiquis erat. Græci

cra-

κοινῶν ὀνομάτων βοῇ φθέγγονται Γαΐον, Μάρκον, Λούκιον, κ. τ. λ. in *Camill.* *pag.* 146.

(f) Omnis enim *Plutarchi* quæſtio hæc eſt: Διὰ τί ταῖς Αὐγούσταις εἰδοῖς, Σεξτιλίαις δὲ πρότερον λεγομέναις, ἑορτάζουσιν αἵ τε δοῦλαι καὶ οἱ δοῦλοι πάντες, αἱ δὲ γυναῖκες μάλιστα ῥύπτεσθαι τὰς κεφαλὰς καὶ καθαίρειν ἐπιτηδεύουσιν; ἢ διὰ τὸν Σερούιον τὸν βασιλέα κατὰ ταύτην τὴν ἡμέραν ἐξ αἰχμαλώτου γενέσθαι θεραπαινίδος, ἄδειαν ἔργων ἔχουσιν οἱ θεράποντες· τὸ δὲ πλύνειν τὰς κεφαλάς, ἀρξάμενον ἀπὸ τῶν θεραπαινίδων διὰ τὴν ἑορτήν, ἄχρι τῶν ἐλευθέρων προῆλθεν. In *Quæſt. Rom.* *Tom. II pag.* 287.

crapula laborabant in Ἀνθεςηρίοις. Quæ nomen a coronis floreis, quibus trimi pueri coronabantur hoc feſto, ut *Philoſtrato* viſum eſt, acceperunt. (g) Celebrabantur vero per tres dies, ita ut, cum novi vini dolia aperirent primo, ſervos arcere nefas duceretur. (h) His autem peractis, acclamatum eſt illis: θύραζε κάρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεςήρια. Pari turpitudine Διονύσια ἄςικα, ſive Bacchanalia urbana, non fine omni ſervorum voluptate agebantur. Qui mos a Græcis (i) pervenit ad Latinos. Proxime vero ex Etruria Romam, velut contagione morbi, penetravit. (k) Bacchanalia quidem a Liberalibus antiquis, id eſt, Διονυσίοις ἀρχαίοις Græcorum, diverſa erant. Utraque vero conjunxiſſe Romanos, in vinum effuſos, & Bacchanalia vixiſſe, videtur. Nam, cum vinum animos, & nox & miſti fœminis mares, ætatis teneræ maioribus, diſcrimen omne pudoris exſtinxiſſent, corruptelæ omnis hominum generis, etiam ſervilis, fieri cœptæ. (l) Et quem fugit, quod ancilla fatetur apud *Livium*, (m) ſe dominæ comitem in ſacrarium intraſſe, corruptelarum omnis generis offici-

(g) Vid. *Heroic.* ipſius *Cap.* 11.
(h) *Plutarchus Sympoſ. Lib. III Qu.* 7 hac de re multus eſt.
(i) Vide ſis B. *Lakemacheri*, Profeſſoris Iuliæ quondam clariſſimi, *Antiquit. Græc. Sacr. P. IV Cap.* 11 §. 6 *&* 12.
(k) Vid. *Liv. Hiſt. Lib. XXXIX Cap.* 9.
(l) *Liv. l. c. Cap.* 8.
(m) *l. c. Cap.* 10.

officinam. Liberam nunquam eo acceſſiſſe. Quæ ſi homine digna fuiſſent, primus ſervorum honos, quo in Bacchanalibus uſi, poneretur. Sed ea demoliti *Sp. Poſtumio Albino* & *Qu. Martio Philippo* Coſſ. h. e. anno CLXXXV A. C. N. cœtus nefarios bene ac ſapienter diſcuſſerunt. (n)

XV. Sequuntur Saturnalia, primum a. d. XIV, (o) deinde XVI Cal. Ian. ſive, quod idem eſt, a die XVII Decembr. per tres, vel ſeptem, dies agitata. Nomen a *Saturno* ſunt ſortita, quemadmodum *Saturnus* a ſatu. (p) Sationes enim gentes ipſe primus docuiſſe creditur. Ab hac re nomen indepti, velut a portu *Portunnus*, a nuptu *Neptunnus*, (q) dicitur, ſingulares feſtos dies, eosque anniverſarios, ritu ſolenni agebant. (r) Quos autem ut rite ſancteque celebrarent, hoc tempore ſervis haud exigua concedebatur libertas. Veſtigiane mortalium fortunæ rege *Saturno* quondam exæquatæ, hæc ſervis relinquenda Romani voluerint, an artificio eadem excogitarint, non ita exploratum habemus. Illud quidem *Plutarchus*

(n) Conf. *Liv. l. c. Cap. 15 ſeq.*

(o) Vid. *Macrob. Saturn. Lib. I Cap. 10.*

(p) Aliter *Dionyſ. Halic.* placet, cui *Saturnus* videtur non ſecus atque *Saturans* ſcil. *bonis*. Vid. eius *Ant. Rom. Lib. I Cap. 38.*

(q) *I. Lipſius* ita diſputat in *Saturn. Serm. Lib. I Cap. 2 pag. 11* Plantin. Antwerp. 1604, 4 mai.

(r) Quod cur fecerint, *Macrobius* docet *l. c.* ſcilicet ideo hoc menſe Saturnalia, itemque Opalia, celebrari, quod *Saturnus*, eiusque uxor, tam frugum, quam fructuum, repertores eſſe credantur.

chus (s) declarat, ad cuius ſententiam *Iuſtinus* (t) etiam deſcendit. Hoc vero ex ratione temporis ſequitur. Nam, cum Occatores, Runcatores, Meſſores, ceterique, qui opus ruri faciebant, (u) gravi labore anni fruges collegiſſent, & corpora defatigatione exercitationeque ingraveſcerent, non modo recte ac iure firmabant fractos, verum etiam, ne deſperati ſcelus conciperent, ſed ad labores redirent eo promtiores, vexatos prudenter relaxabant. (x) Ego vero ceteroquin (y)

(s) In *Numa Tom. I pag. 75:* Ἔνιοι τȣ͂το ὑπόμνημα τῆς κρονικῆς ἐκείνης ἰσονομίας μυθολογȣ͂σιν ὡς μηδενὸς δȣ́λȣ μηδὲ δεσπότȣ πάντων δὲ συγγενῶν καὶ ἰσοτίμων νομιζομένων.

(t) *Hiſt. Lib. XLIII Cap. 1:* „Aboriginum rex, „Saturnus, tantæ iuſtitiæ fuiſſe traditur, ut „neque ſervierit ſub eo quisquam, neque quid-„quam privatæ rei habuerit; ſed omnia commu-„nia & indiviſa omnibus fuerint, veluti unum „cunctis patrimonium eſſet. Ob cuius exempli „memoriam cautum eſt, ut Saturnalibus exæqua-„to omnium iure paſſim in conviviis ſervi cum „dominis recumbant.„ De Saturni regno mentionem *Virgilius* nonnunquam fecit inſtar aurei ſeculi; ut *Ecl. IV, 6,* & *VI, 41.*

(u) De quibus diligenter expoſuit *Laur. Pignor.* in *Comment. de Servis pag. 516.*

(x) Meſſem enim factam inſecuta eſſe Saturnalia, ſicuti paganorum quorundam noſtrorum feſta, quæ vocant *Kermiß*, ſive *Arnekrantz*, quæque ad reficiendas operas habent, ex dictis *Macrobii l. c. pag. 288* patet.

„Credo pudicitiam Saturno rege moratam
„In terris, viſamque diu, cum frigida parvas
„Præberet ſpelunca domos, ignemque, Laremque,
„Et pecus, & dominos, communi clauderet umbra:
„Multa pudicitiæ veteris veſtigia forſan,
„Aut aliqua exſtiterint, & ſub Iove, ſed Iove nondum
„Barbato, - - -
„Paulatim deinde ad ſuperos Aſtræa receſſit.
„Hac comite atque duæ pariter fugere ſorores.

Quare fac, *Saturni* regnum Romanos redintegrare ad tempus voluiſſe; num id etiam delicate ac molliter vivendo poterant?

XVI. Qui principia & Saturnalium cauſas, eorumque progreſſus, quærunt, *Macrobium* (z) adeant,

(y) Eſt ſententia *Iuven. Sat. VI verſ. 1 ſeq. verſ. 14 ſeq.* & *19 ſeq.*

(z) *l. c. Cap. 7 pag. 272 ſeq.*: Modo enim *Ianum* ea monimenta grati animi conſtituiſſe *Saturno*, a quo rem ruſticam edoctus eſſet; modo ab *Hercule* in Italia relictos, aram ſuam atque ædem ab incurſionibus tuentes, depulſos tamen, & collem quendam editum conſecutos, ſe Saturnios vocaſſe, huius in Dei fidem contuliſſe, eamque ob cauſam eos inſtituiſſe Saturnalia, modo & Pelaſgos motos poſſeſſionibus, obtemperantes Dodonæo:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατυρνίαν αἶαν.
Siciliam occupaſſe, & propterea *Apollini* ſacra, *Diti*

eant, in iis inveſtigandis ita diligentem, ut omnia eius perſequi longum ſit. Sed vereor, ne, quæ profert, plurima elevet, nimis fabuloſa vetuſtate. *Saturnum* fingebant Deum. Eius itaque rebus operam dare debuerunt, ne ad vindictam ſui procedat ipſius ira graviſſimam. Hoc Saturnalibus inſtar cauſarum omnium eſſe poterat. Hinc *Saturno* conſecrabant templa, (a) victimas virorum mactabant, (b) &, hoc more ſublato, cereis eum luminibus (c) fictilibusque, (d) capite aperto, (e) colebant.

Diti ſacella, aram *Saturno*, ipſique feſtum Saturnalia, dixiſſe, veteres exiſtimabant.

(a) *Macrob. l. c. Lib. I Cap. 8*, & inprimis *Dionyſ. Halic.* in laudatis *Ant. Rom. Lib. I Cap. 34, Lib II Cap. 52*, & *Lib. VI Cap. 1*, *Epeos* cum *Hercule*, *Romulum* cum *Tatio*, *Tullum Hoſtil.* & Conſules *A. Sempronium* cum *M. Minutio*, conditores templorum *Saturni* fuiſſe, memoriæ prodiderunt.

(b) Vid. *Dionyſ. d. l. Lib. I Cap. 38*, & *Macrob. d. l. Cap. 7 pag. 275*. Quod a Pelaſgis fiebat, ex præcepto *Apollinis*:

Καὶ κεφαλὰς ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

(c) *Hercule* auctore id factum fuiſſe, ferunt, ut, quia non modo virum, ſed lumina etiam, τὰ φῶτα significant, non amplius mactarent viros, & lumina *Saturno* accenderent. Conf. *Macrob. Lib. I Cap. 7 pag. 276*, & *Cap. 11 pag. 300*.

(d) Quod non ſolum ex loco *Macrobii*, noviſſime laudato, verum & ex *Epigramm. Martialis 182 Lib. XIV*, patet. Quid enim ſibi aliud vult lutum Saturnalitium?

(e) Id reliquis factum eſſe Romanorum Diis, ſcriptores

XVII. Ut itaque narratio noſtra ratione ac via procedat, inprimis tenendum eſt, Romanos Saturnalia, lavatione mane facta, inchoaſſe. (f) Lavabantur quidem, quotquot ſacris κρονικοῖς intereſſe volebant, (debebant autem omnes,) non quaſi ſtatim tranſituri ad menſam, quod *Lipſio* l. c. placuit, ſed cultum ſacrum incepturi, quod manibus illotis nefas ducebatur. (g) Deinde mutabantur veſtes, (h) ita ut togas, a dominis poſitas, induerent ſervi. Tum omnia & in urbe & in agris ingenti apparatu inſtructuque ſonabant. (i) Munera mittebantur, (k) tam ξένια, quam

res negant. Non temere quidem *Saturni* ſacra capite retecto fiebant. Sed peregrini inſtituti fuit. Quod *Macrob. Lib. I Cap. 10 pag. 288* teſtatur: Nec raro factum, ut, quemadmodum primum & iterum celebrati dies feſti fuerint, ita ſemper a poſteris haberentur. Varia quidem *Plutarchus* in *Quæſt. Rom. Tom. II pag. 266* in medium protulit, quæ in cauſa fuiſſent, quare hanc conſuetudinem Romani ita pie obſervarint; ſed nimis ieiuna videntur.

(f) Vid. *Lipſ. Sat. Lib. I Cap. 2 pag. 12.*

(g) *Tibullus II Eleg. I*, & *Plaut. Trucul. II verſ. 28.*

(h) *Seneca* & *Martialis* hoc confirmant. Ille *Epigr. 18*, hic vero *Lib. VI Epigr. 24*, ad ludendos hos Romanorum mores ſcripto. Conf. & *Lipſ. l. c.* ea ex coenandi conſuetudine deducentem, at ſyntheſin, veſtem coenatoriam ſervos quoque ſumſiſſe, negantem.

(i) *Senec. l. c. pag. 34, T. II pag. 54.*

(k) Leg. *Polyd. Vergil. de Invent. rer. Lib. II Cap. 14 pag. 139* edit. Colon. 1626, ubi & de munerum illo-

quam ἀποφορετά. Quæ quia nimii nonnunquam pretii erant, lege Publicia cautum eſt, ne cereis ditiora eſſent. (l) Poſt Saturno immolabatur, & lectiſternia ab ipſis interdum ſenatoribus ſtatuebantur. (m) Sacrificia erant, quæ §. antec. diximus. Eaque in æde *Saturni* fiebant. Lectiſternia vero dicebantur convivia, quibus Deos quaſi excipiebant. Et hæc quidem Quindecimvirorum ſacris faciundis cura plerumque peragebantur. (n) Tunc luxuriæ jus, (o) ſordibus venia, voluptati effrænata licentia, laus ingluviei, ebrietati præmia, dabantur. (p) Convivia publica habebantur, (q) lætique dies optimos (r) laute ac liberaliter traducebant. Fidibus, mimis,

illorum origine diſſerit. Quæ *Auguſtus* his diebus dederit, narrat *Sueton.* in eius *Vita Cap.* 75. Conf. *Martial. Lib. XIV Epigr.* 1, Apophoreta ab imaginibus cereis, quibus *Saturno* piaculum faciebant, ſunt alias Sigillaria dicta. Ea *Claudius* miſit. Vid. *Sueton.* in eius *Vita Cap.* 5.

(l) Vid. *Heinec. Ant. Rom. Lib. II Lit. VII §.* 5.

(m) Exemplum eſto, quod *Liv. Hiſt. Lib. XXII Cap.* 1 ſcriptum reliquit.

(n) Vid. *Nieup. de Rit. R. Ant. Sect. IV Cap. III §.* 3.

(o) *Seneca Epigr.* 18.

(p) En verba *Iuvenal. Sat. VII verſ.* 96:

- - - nunc utile multis
Pallere, & vinum toto neſcire Decembri.

Hinc *madidi dies Martiali Lib. XIV Epigr.* 1.

(q) *Livius l. c.* ea commemoravit.

(r) His deſignantur a *Catull. XV.*

& hiſtrionibus, utebantur. (s) Satietatem epularum interpolabant ludis. (t) Unde *Neroni* puero adhuc in Saturnalibus ludibundo regis perſonam iam contigiſſe legimus. (u) Quæ quidem lætitia lubentiaque (x) ne cum doloribus compenſaretur, omnem tunc animi ægritudinem vitabant. Ipſe luctus Saturnalibus minuebatur. (y) Bellum hoc tempore inchoare, (z) nefas, & pœnas a damnatis accipere ducebatur turpiſſimum. (a) Ita vero ad multam noctem molliter delectati, per totam fere urbem, quem interdiu iam ediderant, clamorem reboando vociferandoque, quantum fieri poterat, denuo excitabant. (b)

XVIII.

(s) Conf. *Plutarch. de animi tranquillit. Tom. II pag.* 477.

(t) Nucibus eſſe his diebus luſum, *Martialis* indicavit loco noviſſime laudato, & alia feſtiva & honeſta *A. Gellius* aſſerit *Noct. Attic. Lib. XIIX Cap.* 13.

(u) In *Ann. Tacit. Lib. XIII Cap.* 15 *n.* 2.

(x) Conf. *Lipſ. l. c. pag.* 12.

(y) Excepta morte *Germanici*. Ea enim palam facta, inhiberi luctus publicus non potuit, duravitque per feſtos menſis Decembris dies. Vid. *Sueton.* in *Calig. Cap.* 6. Quod auctor non dixiſſet, niſi finis luctui in Saturnalibus fieri eſſet ſolitus. Conf. *Kirchm. de Funerib. Rom. Lib. IV Cap.* 12.

(z) Vid. *Macrob. l. d. Cap.* 10 & 16 *pag.* 329. Quod tempore non admodum opportuno *Veſpaſiani* exercitum Otriculi obſervaſſe legimus *Lib. III Hiſt. Tacit. Cap.* 78 *n.* 1.

(a) *Macrobius* huius rei auctor eſt *ll. cc.*

(b) Vid. *Liv. l. c. Io Saturnalia!* clamatum tunc fuiſſe, opinatur *Lipſius l. c.*

XVIII. Servis autem, ut *Macrobius* ait, tota tunc licentia permittebatur, (c) quia, *Saturnum* hac re potiſſimum delectari, credebant. (d) Nam cum ſimulatione dominationis hos dies habebant ſervi. (e) Heri miniſtrabant, (f) muneribus familiam afficiebant. (g) Cœna vero a dominis appoſita, (h) cum illis epulabantur, (i) ludebant, (k) eorumque nomine ius dicebant. (l)

XIX. Hæc vero non Romæ ſolum acta, ſed tam rure, quam in urbe, dies Saturnalium erant. (m) Qui fieri itaque potuit, ut *Horatius* (n) a Satur-

(c) *l. c. Cap. 7 pag. 274.*

(d) Vid. *Macrob. l. c. Cap. 10 pag. 288.*

(e) Conf. quæ §. antec. diſputamus, & *Dionyſ. Lib. LIIX*, Ἐν τοῖς κρονίοις, inquientem, οἱ δοῦλοι τὸ τῶν δεσποτῶν σχῆμα μεταλαμβάνοντες ἑορτάζουσι.

(f) Vid. *Athenæum Lib. XIV*: Ταῖς τῶν κρονίων ἡμέραις ἔθος ἐςὶ Ῥωμαίων παισὶν ἑςιᾶν τοὺς οἰκετὰς, αὐτοὺς τὰς τῶν οἰκετῶν ἀναδεχομένους λειτουργίας:

(g) *Martial. l. c.*

(h) *Macrob. l. c. Cap. 12 pag. 303.*

(i) *Plutarch.* in *Num. Tom. I pag. 75 e*, ſervos id *Pompilio* regi acceptum referre, arbitratur. *Iuſtin. Hiſt. l. c. Senec. Ep. 47 pag. 133. Macrob. d. l. Cap. 7 pag. 277.*

(k) Vid. §. antec.

(l) Conf. *Senec. l. d.*

(m) Ita & commune feſtum fuit apud Græcos. Vid. *Accium* in *Annal.*

(n) *Serm. Lib. II Sat. III verſ. 4 & 5.*

turnalibus fugiſſe Romanum, dixerit? Vulgaria enim ipſius exempla, quæ *Minelliana* ſecuta eſt, ea vatis verba fingunt:

- - - ab ipſis
Saturnalibus huc fugiſti ſobrius.

Quæ ſatis feliciter emendaſſe videntur, qui legere malunt, *at ipſis*, ut *Bentleius* (o) cum aliis, ſive *in ipſis* Saturnalibus huc fugiſti ſobrius.

XX. Quemadmodum vero eruditi in hac re nullius fere momenti diſſident; ita & de tempore certant, ad quod hi dies duraverint. Sunt, qui unius, ſunt, qui trium, ſunt denique, qui ſeptem, dierum Saturnalia fuiſſe, contendunt. (p) *Macrobio* judice, ita ſe res habet: (q) „Saturnalia „uno tantum die, id eſt, XIV Calendarum, ſole„bant celebrari. Sed poſt in triduum propagata, „primum ex adiectis a Cæſare huic menſi die„bus, (r) deinde ex edicto Auguſti, (s) quo „trium dierum ferias Saturnalibus addixit. A de„cimo ſexto igitur cœpta in XIV deſinunt, quo „ſolo fieri ante conſueverant. Sed Sigillariorum „adiecta celebritas, in ſeptem dies diſcurſum pu„blicum & lætitiam religionis extendit.„ (t) Quo-

(o) Vid. *Commentarium* ipſius *critic.* ad *l. c. Horatii.*

(p) Vid. *Lipſ. l. c. Lib. I Cap. 3 pag. 15.*

(q) *l. c. Cap. 10 pag. 288.*

(r) *Sueton. Cæſ. Cap. 40.*

(s) *Sueton. Octav. Cap. 31 ſeq.*

(t) *Macrobius* alio loco, *Cap.* ſcil. *10 pag. 284*, ita loque-

Quorum *Iuvenalis* fuit, quem Saturnalibus adiecit *Caligula*. (u) Neque tamen inficiandum, non omnes feſtos fuiſſe, ſed dies maximam partem feriatos. (x)

XXI. Quod reliquum eſt, non modo quærunt, quando, & quonam potiſſimum auctore, inſtituta Saturnalia fuerint, ſed quonam quoque tempore receſſerint a conſuetudine Romanorum. In omnia alia abeunt, qui hac de re memoriæ prodiderunt. Et, pro certo exploratoque aliquid in eadem ponere, negotium videtur eſſe difficillimum. Modo enim *Ianum* dicunt, (y) modo *Numam*, (z) modo *Hoſtilium*, (a) modo *A. Sempronium* & *M. Minutium* Coſſ. (b) dierum Saturnalium apud Romanos auctores. Quæ quidem, ſi voluiſſet inter

batur: „Saturnalia die uno finiebantur, qui erat „ad XIV Cal. Ian. Sed, poſtquam C. Cæſar huic „menſi duos addidit dies, XVImo cœpta cele„brari. Ea re factum eſt, ut, cum vulgus igno„raret certum Saturnal. diem, nonnullique in„certo die & alii vetere more celebrarent, plu„res dies Saturnalia numerarentur: licet & apud „veteres opinio fuerit, VII diebus peragi Satur„nalia &c.

(u) Vid. *Sueton. Calig. Cap. 17.*

(x) Conf. *Macrob. l. d. Cap. 11 pag. 301.*

(y) Velut *Macrob. l. c. Cap. 7 pag. 273.*

(z) Idem *Cap. 4 pag. 252.*

(a) Uti *Dionyſ. Halic. Ant. Rom. Lib. III Cap. 45*, & *Macrob. d. l. Cap. 8 pag. 278.*

(b) *Liv. Hiſt. Lib. II Cap. 21*: „Inde *A. Sempronius*, & *M. Minutius*, (Conſules ſunt facti). „His

ter ſe melius conciliare, potuiſſe *Lipſius* (c) videtur. Nam, Saturnalia non ſine intermiſſione celebrata a Romanis fuiſſe, *Livius* (d) ita declaravit, ut fidem ipſi abrogare nulla lege poſſis. Nec dubitandum eſt, quin iam ante Romam ea fuerint, ut commentum, *Ianum* hos dies feſtos inſtituiſſe, vulgari Romanorum opinioni non repugnet. *Accius* enim in Annalibus (e) his verbis refert: „Maxima pars Grajum Saturno: & „maximæ Athenæ conficiunt ſacra, quæ Cro„nia eſſe iterantur ab illis. Cumque diem cele„brant, per agros urbesque fere omnes exercent „epulis læti, famulosque procurant quisque ſuos: „noſtrisque itidem, & mos traditus illinc iſte, „ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.„ Quare, quæ *Ianus* in Latio introduxit, *Numa* præcepit Romanis. Quæ, neſcio quare, aliquantisper neglecta, *Tull. Hoſtilius* ex voto tempore belli Sabini reſtituit. Idem & hoc mortuo Saturnalibus accidiſſe, fortaſſe ex pertinacia aliqua dominorum, vero ſimillimum. Ex quo etiam evenit, ut Conſules ea anno XIII poſt reges expulſos inſtaurarent. Hanc enim Saturnalium mutationem e republica nonnunquam fuiſſe, cum iam cives, iam ſervi, ſua in iisdem libertate ſæpius abuterentur, cognitu

„His Coſſ. ædes *Saturno* dedicata: Saturnalia in„ſtitutus feſtus dies.„

(c) In *Serm. Saturn.* loco ſupra ſæpius laudato.

(d) *Hiſt. Lib. XXII Cap. 1.*

(e) *Macrobius* uſus eſt illis *l. d. Cap. 7 pag. 277.* Vid. *Fragmenta Poetarum veterum*, a *Stephanis* collecta, *pag. 10* & *1564.*

cognitu eſt facillimum. Literarum Romanarum fere expertes erunt, qui, hac illorum procaci libertate civitatem mixtam remque publicam in diſcrimen interdum vocatam eſſe extremum, ignorabunt. Neque etiam prius, quam renovabantur a Conſulibus, Saturnalia ſcio, an quemquam fugere poſſint, quæ a ſervis nono & ſequenti poſt reges expulſos anno, conſpiratis factionum partibus, geſta ſunt. (f) Si a capite hoc loco omnia liceret arceſſere, non reip. ſolum Saturnalium intermiſſione conſuluiſſe Romanos pateret; ſed eandem etiam ob cauſam hæc omnino habuiſſe, ſero licet, in ditione Rom. finem. Nec ulla eſſe reſpublica, nec rebus dominorum caveri, potuiſſet, ſi ſubitas hoſtium incurſiones, ſi repentinum eorundem impetum, exercitus vino epuliſque ſopitus, ut *Veſpaſiano*, invito tamen, diebus Saturnalibus acciderat, (g) vix ac ne vix quidem ſuſtinere; ſi denique ſervorum factioſorum licentia, quodam ipſorum iure quotannis recuperata, aut peccantes ad officium redire ægerrime cogi, aut ſeditiones concitæ haud facile comprimi, potuiſſent.

XXII. His coronidis loco addamus Compitalia. Scilicet, Lares fuiſſe Romanis, perhibent, principes, vel præſides, tam viarum, (h) quam familiarum, a Penatibus ſeparatos, (i) modo κατοικιδίους θεοὺς vocatos, modo Familiares, modo Præſti-

(f) Conf. *Dionyſ. Halic. Ant. Rom. Lib. V Cap. 50, 51.*

(g) Vid. *Tacit. Hiſt. Lib. III Cap. 78 n. 1.*

(h) *Plaut. Mercat. A. V Sc. 11 verſ. 25.*

(i) Leg. *Dionyſ. Hal. Ant. Rom. Lib. I Cap. 67.*

Præſtites, modo Patrios, modo Hoſtilios, Grundiles, Permarinos, Compitales. (k) Nomen vero Compitalium e compitis Laribus ſacris ceperunt. Quibus itaque cum dies feſtos agebant, habebantur Compitalia. Nam (l)

Servat uterque (canis & Lar) *domum, domino quoque fidus uterque;*
Compita grata Deo, compita grata cani.

XXIII. Erant autem feriæ conceptivæ, quia quotannis a magiſtratu, nominatim a Prætore, concipiebantur. (m) Cum enim operæ pretium, tum etiam perpetuæ veterum conſuetudinis demonſtrandæ gratia erit, verba ſolennia Prætoris ponere, quibus Romanorum more ferias concipere ſolebat, (n) quæ appellantur Compitalia. Ea verba hæc ſunt: *Die noni Populo Romano, Quiritibus, Compitalia erunt.* At, quia concepta, ſive a Prætore indicata, habebantur, non certo quotannis præfinitoque die redibant, ſed, prout ſive commodum, ſive neceſſe, erat, vel Saturnalibus non ita multo poſt, (o) vel menſe Maio, (p) vel alio

(k) Conf. *B. Briſſon. de Form. Lib. I n. 84 pag. 46.*

(l) Sunt verſus *Ovid. Faſt. Lib. V verſ. 140 ſeq.*

(m) Hac enim voce de feriis indicandis uſi ſunt Romani. Vid. *Macrob. Sat. Lib. I Cap. 16 pag. 327.*

(n) *A. Gellius* huius memoriæ auctor eſt *Noct. Att. Lib. X Cap. 24*, ac *Macrobius* eandem deſcripſit *l. c. Cap. 4.*

(o) *Macrob. Sat. l. d. Cap. 7 pag 276,* & *Dionyſ. Halic. Ant. Rom. Lib. IV Cap. 18.*

(p) Vid. *Roſin. Ant. Rom. Lib. IV Cap. 9.*

alio tempore, modo bis anno, modó ſemel, (q) inſtituebantur. Ita factum eſt, ut

Nunquam certis redeuntia feſta diebus
- - *ſua per vicos compita quisque* - -

coleret. (r)

XXIV. Compitalia celebrandi modus ac ratio a Saturnali non multum abhorret. (s) Floribus ornabant Lares ſive vernis, ſive æſtivis, (t) iisque ſupplicabatur capitibus (u) pro capitibus. Non vero ſemper, ſed aliquamdiu, a Romanis obſervatum eſt, ut pro familiarum ſalute Maniæ, Larium matri, pueros mactarent. Nam *Iunius Brutus*, primus civitatis Rom. *Tarquinio* pulſo Conſul, non amplius hominum, ſed allii & papaveris, capitibus ſupplicari iuſſit. Quo quidem aliqua ex parte præcepto *Apollinis* morem gerebant, *Tarquinio Superbo* regi quondam dato. (x) Hæc dum faciebant ſacrificia, ante cuiusque fores ſuſpenſa

(q) Vid. *Sueton. Octav. Cap. 31.*

(r) *Auſon. Eidyll. XXV.*

(s) *Macrob.* loco noviſſime laudato ita diſputat: „Qualem nunc permutationem ſacrificii, Prætex„tate, memoraſti, invenio poſtea Compitalibus „celebratam &c.

(t) *Sueton. l. c.*

(u) *Macrob. ibid.* Miror fuiſſe, qui ſemel *capitibus* ſcribendum, & *compitis* alterius loco ponendum, eſſe putarunt, quod tamen & verborum ſenſui, &, quæ ſubſequitur, orationi, repugnet.

(x) Vid. *Macrob. l. c.*

ſpenſa Maniæ imago erat, ut, ſi quod immineret periculum, expiarent. (y) Pilas etiam & effigies viriles ac muliebres ex lana in compitis Laribus ponebantur. Pilarum tot, quot capita ſervorum; imaginum vero, quot liberi eſſent. Hæc cum voto fiebant: ut parcerent vivis, & his pilis eſſent atque ſimulacris contenti. (z) Præmiis autem deinceps poſitis, (a) ludi per urbem (b) & agros (c) non ſine magnificentia (d) agitabantur.

XXV. Maxime vero ſervi ſacra hæc ludibundi, magno cum honore, perficiebant. Nam tempore Compitalium ab omni ſervitutis vinculo liberati (e) digni adeo putabantur, quorum miniſteriis in his ipſis ſacris uterentur. (f) Id hoc quidem conſilio factum fuiſſe dicunt, (g) ut humanitate iſta, cui aliquid magni venerandique inerat, manſuetiores redditi, dominos haberent cariores, & fortunæ ſuæ in clementiam quodammodo tolerabiliorem. At fuit cognatio quædam inter Lares & ſervos, potiſſimum oſtiarios & atrienſes, ex illorum communi fores & atria cuſtodiendi officio in ædibus iisdem plerumque nata. Nec ſcio,

(y) Ibid.

(z) Conf. *I. Saubert. de Sacrif. Cap. 3 pag. 47.*

(a) *Virg. Lib. II Georg. verſ. 380 ſeq.*

(b) *Macrobius* eodem, quem ſæpius citavi, loco teſtis eſt.

(c) *Iul. Cæſar Scalig. Lib. I Poet. Cap. 28.*

(d) *Dionyſ. Halic. Ant. Rom. Lib. IV Cap. 18.*

(e) *Ibid.* (f) *Ibid.* (g) *Ibid.*

ſcio, an etiam in cauſa hæc fuerit, ut tantam ſervis delectationem in compitalibus tribuerent, quantam ne hero quidem turbare liceret. (f)

XXVI. Eam vero conſuetudinem a Græcis Romani, ut videtur, ſub initium reip. acceperunt. Illi enim inibant (g)

- - - *proſcenia ludi:*
Præmiaque ingentes pagos & compita circum
Theſeidæ poſuere.

Atque ante urbem, a vicorum compitis deſignatam, ludos compitalitios habebant, (h) qui ſe rei vitæque ruſticæ dederant. Deinde intermiſſa ſunt compitalia ad memoriam usque *Servii*, Romanorum regis. (i) Quare, apud Romanos ea exordium habuiſſe, arbitrantur, A. U. C. 150. Eſt enim exemplum Romanis literis clarum, quod *Plinius* (k) his verbis memoriæ prodidit: „*Tarquinio Priſco* „regnante tradunt repente in foco eius apparuiſſe „genitale e cinere maſculini ſexus, eamque, quæ „inſederat ibi, *Tanaquilis* ancillam *Ocriſiam* ca- „ptivam,

(f) Quare *Cic. Lib. VII ad Attic. Ep.* 7 ſcripſit; „Ego, quoniam IV Non. Ian. compitalitius dies „eſt, nolo eo die in Albanum venire, ne moleſtus ſim familiæ.„

(g) Ita cecinit *Maro* vates *l. c. verſ.* 382.

(h) Vid. *I. Cæſ. Scalig. l. d.*

(i) *Ibid.*

(k) *Hiſt. Nat. Lib. XXXIV Cap.* 27. *Dionyſius Halic.* commentum id eſſe, dudum cognovit *Antiqu. Rom. Lib. IV Cap.* 2.

„ptivam, conſurrexiſſe gravidam. Ita *Servium* „*Tullum* natum, qui regno ſucceſſit. Inde & in „regia cubanti puero caput arſiſſe viſum, (l) cre-„ditumque Laris familiaris filium. Ob id com-„pitalia & ludos Laribus primum inſtituiſ-„ſe.„ *Servius* itaque, ſive nothus fuerit, quod arte celaſſe videntur, ſive nunquam natalibus re-ſtituendus, compitalia certe ſervorum gratia inſti-tuit. Quæ tamen longo temporum tractu per vi-corum magiſtros curata, & tandem etiam pæne abolita (m) anno circiter A. C. N. LVII, & A. U. C. DCXCIII *L. Piſo*, alias *L. Calpurnius* nomi-natus, renovavit. Et rurſus paulatim neglecta, *Auguſtus Cæſar* ea bis anno celebranda reſtituit. (n) Hæc fere de diebus feſtis ſervorum.

V.

M. CAROLI HENR. ZEIBICHII,

ORDIN. PHILOSOPH. VITEMBERG. ASSESS.

QVAESTIO CRITICA:

VTRVM CADYTIS HE-RODOTI

RECTE

(l) Eadem a *Livio* accepimus *Hiſt. Lib. I Cap. 39.* Num itaque res explorata? An *Livius* fabulator eſt? Nihil profecto minus. *Caput arſiſſe ferunt*, ſcripſit, imperitorum hominum rumuſculos minime aucupatus.

(m) *Vid. *Aſcon. Pedian.* in *Orat. Cic. contra Piſon.*

(n) *Sueton. l. c.*

RECTE VENDITETUR PRO METROPOLI PALAESTINAE.

I.

Duplex eſt locus *Herodoti*, Halicarnaſſenſis, quo ex Geographia vetere *Cadytin* urbem in medium produxit. Unus *Lib. II Cap. 159 pag. 152* edit. *Steph.* alter *Lib. III Cap. 5 pag. 163.* In illo enim Κάδυτιν, velut πόλιν τῆς Συρίας μεγάλην, extulit. In hoc vero eandem Κάδυτιν nomine πόλιος Συρίων, τῶν Παλαιςινῶν καλεομένων, ac πόλιος, Σαρδίων ὀυ πολλῷ ἐλάσσονος, inſcripſit.

II. Non ſine virium contentione in illa indaganda urbe laborant viri præſtantiſſimi, de eaque inter ſe magna opinionum varietate digladiantur, tametſi omnis altercatio non ultra ςοχασμὺς aſſurgere videatur, ſed in aliqua duntaxat veritatis ſpecie acquieſcat. Ex his vero non ultimi ordinis, neque inelegantis ingenii, viros in eo conſpirare invicem, videmus, quod, nomen urbis *Cadytis* ad illuſtrem Iudæorum Metropolin quam proxime accedere, eandemque, velut ſanctam illam urbem, exprimere, ſibi perſuadeant. Sic pronuntiat in illo opere, quo ingentem nominis claritatem per omnium ætatum ſeriem extendit, *Chriſtoph. Cellarius*, cuius verba legi poſſunt *Notit. orbis ant. Tom. II pag. 456* edit. Cel. *Schwarzii.* Idem ſentire *Humphredum Prideaux Connex. Vet. & Nov. Teſtam. Tom. I pag. 73 ſeq. Io. Lightfootum*

ſootum Oper. Tom. II pag. 408, *Conringium Adverſ. Chronol. Cap. 15*, *Io. Matth. Haaſium Deſcript. Regni David. & Salom. pag. 235*, intelliget, qui libros ipſorum excutere voluerit. *Io. Franc. Buddeus* laudat aliquando Obſervationem *de Cadyti, magna Syriæ urbe*, Faſciculo I Novæ Scriptorum Collectionis, Halæ divulgatæ, inſertam, cuius auctori itidem ad urbem Hieroſolymam digitum intendere *Herodotus* videtur. Ipſe tamen *Buddeus*, quomodo ea de re exiſtimet, non aperuit. Vid. eiusd. *Hiſtor. Eccleſ. Vet. Teſt. Tom. II pag. 569*. In eandem ſententiam pedibus ivit Vir doctiſſimus, *Io. Phil. Heinius*, cuius *Diſſertationum ſacrarum*, quæ Amſtelodami A. 1736 prodierunt, *Lib. II Caput VIII de Cadyti, magna Syriæ urbe*, inſcriptum eſt, quod docuerunt me *Miſcellanea Groningana Tom. I pag. 672*. Præter ceteros, qui hic nominetur, dignus eſt celeberrimus literarum Græcarum in Academia Franequerana doctor, *Ludov. Caſp. Valckenaer*. Is enim noviſſimis temporibus accurate hanc in rem & copioſe inquiſivit, in Diatriba elegantiſſima, *de Herodotea urbe Cadyti, & praelio Ioſiæ Regis, in campo Megiddo cum Ægyptiis commiſſo*, primum ſeparatim impreſſa, poſtea cum duobus aliis Viri docti *Speciminibus* edita Franequeræ A. 1737. Producitur ea in *Miſcellaneis Groning. Tom. I pag. 696*. Potiora vero illius capita comprehenduntur in *Novis Actis Erudit. Lipſ. A. 1742 pag. 70 ſeq.*

III. Non conſtitutum mihi eſt, controverſiam illam omnem, erudite iam agitatam, denuo repetere, novamque loci *Herodotei* interpretatio-

nem

nem ſuppeditare, aut urbem, ab eo excitatam, definire. Retrahit me apparatus eruditionis, qua utramque, & Doct. *Heinii*, & Celeb. *Valkenaerii*, Diatribam exornatam eſſe, ab aliis accepi, quanquam ipſe nullam earum conſpexerim. Tantum verbo indicare, ſatius duxi, quid mihi quidem dubitationis in animo reſederit, quamobrem ab ea ſententia, plurimorum ſuffragiis confirmata, hucdum fuerim alienus.

IV. Poteram hic me recipere ad diſſenſum Virorum eruditiſſimorum, qui nihil hic reperiunt, quod iure accommodari ad Urbem Sanctam poſſit, ſed, omnia redire, exiſtimant, ad urbem longe aliam, cui & nominis forma, & hiſtoria *Herodoti*, rectius conveniat. Urbem Philiſtæorum, *Gath*, quæ magna olim nominis fama ſplenduit, & ipſa Philiſtæorum regia ad tempus exſtitit, ſub involucris vocis *Herodotea* latere, opinatus eſt elegantiſſimus, ſi a *Bocharto* diſceſſeris, noſtratium, qui Geographiam ſacram compoſuerunt, *Hadrianus Relandus Palæſtinæ Lib. III pag. 499.* Aliam, ex Geographi Nubienſis deſcriptione, videlicet *Cadeſiam*, huc refert præſtantiſſimus *Iac. Palmerius*, lectione eruditorum non indignus, in *Exercit. in optimos Auct. Græcos pag. 15.* Maior vero multo numerus exiſtit eorum, qui, quæ de *Cadyti* retulit *Herodotus*, ad urbem Palæſtinæ, *Cades*, extendi, iubent. Sic *Thomas de Pinedo*, haud indoctus *Stephani Byzantii* explanator, arbitratus eſt. Sententiæ huic addictum etiam eſſe *Saurinum* in *Sermonibus hiſtorico-criticis*, opera Cl. *Roqueſii* continuatis, ex *Nov. Act. Erudit. A. 1742*

pag. 539 accepimus. Tuentur eandem *Nicol. Gurtlerus* in *Origin: mundi Lib. II Cap.* 7 *pag.* 410, *Io. Clericus Comment. in Libros Regum pag.* 512, *Iac. Perizonius Origin. Ægypt. Cap.* 23 *pag.* 417, 418, & Celeb. *Io. Chriſtoph. Harenbergius* in *Diſſertatione* quadam *de Fatali Ioſiæ prælio ad Megiddo*, quæ *Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI* inſerta eſt *pag.* 288. Magnum inprimis nomen eſt *Ioſephi Scaligeri*, ſed & is ſententiam eorum ſua munivit auctoritate in *Annotationibus ad Fragmenta veterum*, ad calcem libri *de Emend. temporum* adiecta. Quod autem *Palmerii*, quem excitavi, ſententia comparetur a Clar. *Valkenaer*, velut eadem, cum mente *Scaligeri*, ut referunt *Nov. Acta Erud. A.* 1742 *pag.* 70, admirandum duco. Haud obſcure enim, idque repetita vice, quam alienus ſit a *Scaligero*, teſtatus eſt ipſe *Palmerius*, ubi *l. c. pag.* 14, *Pace*, inquit, *tanti viri dixerim, non poteſt eſſe eadem.* Iterum *pag.* 15: *Quomodo de Cades in deſerto poteſt intelligi ?*

V. Qui a me in præſenti adducti ſunt, conſpirant in eo, quod, urbem Palæſtinorum, Cades, forma Cadytis *Herodoteæ* expreſſam eſſe, convicti ſint, diſſentiunt tamen, ubi Cades non de eadem urbe omnes intelligunt. Neque vero indigni laude exiſtimandi ſunt, qui hic diſtincte præcipiunt. Quandoquidem longe remoti ſumus eorum a perſuaſione, qui, quæ de Cades in Sacris dicuntur, ad eandem ſemper referri urbem, opinantur, cum duplicem urbem vel ſolus utriusque ſitus ſatis diſtinxerit. Alia enim Cades, proprie ſic dicta, fuit, alia Cades Barnea. Utraque in quo diffe-

differat, præclare docent *Cellarius*, *Uſſerius*, *Adrichomius*, aliique. Hanc, non illam, in enarratione *Herodotea* reſpici, haud inſcite iudicat, præter *Scaligerum*, maxime *Iac. Perizonius*, a qua etiam ſententia, licet ſtrictim ea in re verſatus fuerit, neque Celeb. *Harenbergius* alienus eſt. Illam, quæ Cades ſimpliciter dicitur, animo agitavit, niſi me omnia fallunt, *Palmerius*, ideoque a *Scaligero* diſſentit. Eandem etiam reperit in Cadeſia Geographi Nubienſis. Non autem firmamentis carere eam interpretationem, qua Cades Barnea pro Cadyti *Herodoti* non tam venditatur, quam vere habetur, ſolus *Perizonius*, ingenii felicitate atque apparatu doctrinæ nemini ſecundus, declarare poteſt. Is enim *l. c. pag.* 417 *ſeq.* montes urbis Cadytis, quorum meminit Halicarnaſſenſis Hiſtoricus, & quos prope Arabiam collocat, Hieroſolymæ minus convenire, erudite docet. Dat autem eos maiori iure Cades Barneæ. Hanc ſitam eſſe, refert, ad montes, paulo ſupra Arabiam; ac deſertum Sin. Hanc inſignem teſtatur fuiſſe ob magnitudinem, quam effert *Herodotus*, Sardibusque æquiparandam, quod idem Scriptor de Cadyti ſua dixerat. Hanc denique in finibus ſitam eſſe, indicat, eamque ob cauſam aptam ad repellendos hoſtium inſultus. Terminavit enim Cananæam ad Auſtrum, non procul remota a finibus Ægypti. Quæ deſcriptioni *Herodoteæ* apprime reſpondent, qua Cadytis & urbs Palæſtinæ dicitur, & proxima emporiis Arabiæ, ad mare extenſis, nec longe diſſita ab Ægypto. Pro urbe Gath, in Cadyti *Herodotea* recondita, variis etiam

rationibus, non contemnendis, annititur Doct. *Relandus. l. c. pag.* 499, quas hic producerem, niſi, plura de aliorum opinionibus exponere, alienum a propoſito meo videretur. Exindę tamen apparere, exiſtimo, neque eos, qui Hieroſolymæ negant nomen illud, pro auctoritate loqui, ſed rationibus, non omnino nullis, pro ſententiæ firmamentis uti.

VI. In tanta eruditorum altercatione nolim ego, qui virium mearum mediocritatem ſatis compertam habeo, certam de Cadyti *Herodoti* amplecti ſententiam, neque urbem, ab eo mente agitatam, definire. Hoc ambabus do, de urbe Palæſtinæ controverſiam exiſtere, illudque ex ipſa narrationis *Herodoteæ* ſerie relinqui, qua eam Syriæ accenſet, Syriæque ac Syrorum urbem appellat. At Syriæ nomine a Scriptoribus præſtantiſſimis, *Ioſepho*, *Ariſtobulo*, *Ammiano*, maxime vero ab *Herodoto*, Palæſtinam vocatam, ipſisque Syriæ finibus comprehenſam, præterea & *Straboni* aliisque Cœleſyriæ nomine inſcriptam fuiſſe, doctiſſime *Relandus Palæſt. Lib. I Capite 8* integro *pag. 32 ſeq.* comprobavit. Cum quo comparari poteſt, qui paucis doctrinæ & ubertate, & elegantia, cedit, *Henr. Noriſius Diſſ. III de Epochis Syro-Macedonum c. l. Oper. Tom. II pag. 154 ſeq.* Ipſeque *Herodotus*, qualem hic Syriam intelligat, in altero locorum, ex quibus omnis de Cadyti diſputatio enata eſt, clariſſime exponit, ubi, ſe de Syris loqui, qui Palæſtini dicuntur, teſtatus eſt. Hæc igitur inficiari neque volo, neque poſſum. At enim, quæ Metropoli Iudæorum, ſive urbi Hiero-

Hieroſolymæ, a plerisque in Cadyti quæſitæ, adverſari mihi quidem viſa ſunt, hæc ſola ſtrictim breviterque indicare, in animum induxi.

VII. Principio diffiteri nequeo, non ſatis ſibi in opinione ſua conſtare videri Celeb. *Valkenaerium*, ubi is, tametſi pro Vrbe Sancta, ab *Herodoto* commemorata, graviter eruditeque pugnet, unum tamen duntaxat Scriptoris noſtri locum referri huc vult, altero plane excluſo. Enimvero, cum utroque in loco idem nomen Cadytis compareat, & absque omni controverſia unus indicetur locus, ego quidem crediderim, aut nomen utrumque vindicandum Hieroſolymis eſſe, aut Cadytin in loco altero eodem referendam, quo prior locus ſpectare eſt viſus. Quæ tamen illa urbs ſit, ad quam *Herodotum* in verbis prioribus digitum intendere, exiſtimat Vir Clariſſimus, ex compendio Diſſertationis ipſius non intellexi.

VIII. Accedit aliquid, quod non ſpernendum eſt. Videlicet, admirandum videri, qui ſolus *Herodotus*, neque ullus Scriptorum reliquorum, qui Metropoleos Palæſtinæ mentionem faciunt, unquam idem nomen excitaverit, quod quin factum fuerit, haudquaquam dubito, ſi ore Judæorum ac gentium crebro enuntiatum fuiſſet. Non ignoro, *Stephanum Byzantium* afferre urbem Syriæ, cui nomen Κάλυτις dat, quamque *Libro II Herodoti* commemoratam teſtatur. Video, hanc pro Cadyti, de qua *Herodotus* primum *Lib. II* differit, venditari non ſolum a *Thoma de Pinedo*, qui integrum adſcribit locum *Herodoti*, ſed etiam a *Sam.*

Bocharto in *Notis in Steph. Byz.*, *Canaani* illius additis, *pag. 812*, præterea a *Cellario Deſcr. orbis ant. Tom. II pag. 456*, cui veriſimillimum eſt, depravato *Herodoti* Codice uſum eſſe *Stephanum* illum, in eoque literam Δ pro Λ exaratam reperiſſe. Idem *Pinedo* urbem Κάνυτιν, quam loco paullo inferiori Geographus *Byzantius*, & quidem ex *Hecatæi* Aſia, producit, cum urbe *Herodoti* confert, idemque & *Relando* videtur *Palæſt. pag. 498.* Sed, præterquam, quod *Luc. Holſtenius*, non infelix *Stephani Byzantii* enucleator, in *Not. & Caſtigat. in eundem*, tam Voc. Κάλυτις *pag. 157*, quam Voc. Κάνυτις *pag. 158*, Κάδυτιν Halicarnaſſenſis noſtri ſcriptoris plane præterit, vel ipſa urbis Κάλυτις & Κάνυτις deſcriptio, a *Stephano* adiecta, nondum conficit, Urbis Sanctæ memoriam ab Auctore illo hic fuiſſe conſervatam.

IX. Verum neque hæc ſola me retrahunt a ſententia de Metropoli Iudæorum, in Cadyti *Herodotea* reperiunda. Progredior igitur ad potiora. Ac primo quidem perſuadere mihi nequeo, Hieroſolymam ſola olim *Sancta* dictione, velut cognomine, fuiſſe enuntiatam, ore tam gentium, quam Iudæorum. Hoc iam pro ſe afferre *Relandum*, recordor, illudque ad locum *Cellarii* ex *Relando* excerpere Celeb. *Schwarzium*, qui, quid ipſe ſentiat, non addit. Cum tamen *Relandus* breviter hac de re dixerit, moveor inde, ut quædam, firmamenti cauſa, ſubiiciam. Videlicet concedendum mihi ſine omni difficultate illud eſt, illuſtri *Urbis Sanctæ* nomine Hieroſolymam olim fuiſſe inſignitam; contra vero, *Sanctam* eam, ſine

ad-

addito, fuiſſe dictitatam, ſtrenue oppugno. Priorem titulum in utriusque Inſtrumenti tabulis reperio, ubi עיר הקודש, *Vrbs Sanctitatis*, & ἡ ἁγία πόλις, graviter ſalutatur, *Ieſ. XLVIII, 2*, *Nehem. XI, 1*, *Matth. IV, 5*, *XXVII, 53*, *Apocal. XXI, 2*. Sed veſtigia poſterioris deſidero. Excito hic inprimis Numos Samaritanorum, de quibus ex Iudæis R. *Aſaria*, in *Meor Enaim*, mentionem fecit, quos tamen ex noſtratibus præter *Brian. Waltonum Appar. Bibl. pag. 81, 82*, & *Guil. Beveregium* in *Notis ad Συνοδικὸν pag. 60, 61*, *Ez. Spanhemium de Uſu & Præſt. Numiſm. Diſſ. IV pag. 334, 335*, docte non minus, quam copioſe, *Hadr. Relandus* examinavit, in quinque ſingularibus, *de Numis Hebræorum, qui Samaritani dicuntur*, Diſſertationibus. Hi enim Numi ea in parte, qua virga *Aaronis* cum amygdalis expreſſa eſt, verba inſcripta, ירושלימה קדושה, *Hieroſolyma Sancta*, exhibent. Quod clariſſimo eſt indicio, conciſius ſcribi breviusque non poſſe. In Numis enim ſcriptionem compendiariam & expetitam, & vere receptam, fuiſſe, vel ſolæ Siglæ illæ, tam Græcorum, quam Romanorum, Numiſmatum, evincunt, quas tribus *Capitibus*, videlicet *XXI*, *XXII*, *XXIII*, libri *de Siglis veterum*, ſtudioſe collegit *Io. Nicolai*. Haudquaquam igitur opus fuiſſe, crediderim, Hieroſolymæ nomine, ſi ſolum *Sanctæ* cognomen, velut ore veterum tritum ſatis, eandem urbem a ceteris omnibus continuo diſtinxiſſet.

X. Præterea, eandem urbem, Metropolin puta Palæſtinæ, tam a Iudæis, quam a gentibus, no-

mine

mine enuntiari integro, manifeſtum eſt. Sic eam *Flavio* ἱερὰν πόλιν ſalutari, *Philoni* ἱεράπολιν, *Iuliano* πόλιν ἁγίαν, *Appiano* ἁγιωτάτην, ex eorum locis comprobat Celeb. *Iac. Elſnerus Obſerv. Sacr. Tom. I pag. 17.* Hæc me movebant, ut dimitterem aliquid, quo antea inductus, credebam, Hieroſolymam *Sanctam* dici non poſſe gentibus, odio in populum Dei incenſis. Quam tamen rationem urgere pro ſe video *Perizonium Orig. Ægypt. pag. 417.* Hoc dabo, πόλιν eam ſimpliciter fuiſſe nuncupatam, ea dicendi ratione, qua Roma a Latinis, Alexandria a Græcis atque Ægyptiis, *Urbis* nomine inſignita. Quod neque ipſius Scripturæ adverſatur moribus, in qua ſæpenumero κατ' ἐξοχὴν voce הנהר, *fluvii*, Euphratem, ההר, *montis*, Libanum, הבית, *domus*, Ædem Hieroſolymitanam, expreſſam videmus. Locus de Urbe Sancta clariſſimus exſtat *Thren. I, 1: Quam ſola ſedet* העיר, *Urbs.* Conficit hoc, tam ex Miſchnæ Maſſ. *Sanhedrin*, quam ex *Maimonide*, *Anton. Bynæus Tom. I. de Morte Chriſti pag. 471 ſeq.* Idem ſex Patrum Commentariis liquidum reddit *Suicerus* in *Theſauro Voc.* Πόλις *II n. 2.* At, ἁγίαν eam, ſine addita *Urbis* dictione, dictitatam, mihi, quidem inauditum videtur. Producat quis locum ex Iudæis, ſive Miſchnici ſint, ſive Gemarici, ſive Myſtici, ſive Kabbaliſtæ, in quo Hieroſolyma, neglecta voce עיר, vel קרתא, hoc eſt, *Urbis*, ſolo *Sanctæ* cognomine uſurpata fuerit, ut ſpecies illi ſententiæ concilietur. Id quod tamen fieri difficulter poſſe, perſuaſus ſum. Magnum robur in eo reſidere putat *Humphr. Prideaux*, quod hodierno

dierno Arabum ſermone *Al-kuds*, ſive *Sancta*, nomen tritum ſit, nomine Hieroſolymæ iisdem plane incognito. Cuius rei teſtes citat *Golium* ad *Alfraganum*, *Sandyum*, ac *Baudrandum*. Vid. eiusd. *Connex. Vet. & Nov. Teſt. P. I pag.* 74. At enim, cum hic non quæſtio exiſtat de corrupto hodiernorum populorum dicendi more, verum de veteris Orientis labio, quin & illud enervari argumentum poſſit, dubitandum non erit.

XI. Nec ſubeſt ratio, ob quam, omiſſo Hieroſolymæ nomine, ſolo cognomine appellata a gentibus fuerit Metropolis Palæſtinæ. Quanquam enim illud nomen gentibus, a veri Dei cognitione alienis, viſum fuerit ſubobſcurum, ipſique *Ariſtoteli* ὄνομα πάνυ σκολιὸν, *nomen admodum tortuoſum*, teſtibus *Ioſepho Lib. I adv. Appionem*, & *Euſebio Lib. IX de Præp. Evang. Cap.* 5; non tamen ignotum fuiſſe iisdem, ex corrupta illa ſcriptione & origine perverſa evidentiſſimum eſt, de qua *Guil. Beveregius Not. ad* Συνοδικὸν *pag.* 60 quædam dixit, quam vero cum pluribus Iudæorum erroribus *Reiskius*, *Kirchmaierus*, alii, uno faſciculo a Celeb. *Schlægero* comprehenſi, caſtigarunt. Adiungatur ipſa *Schlægeri Præf. ad Faſc. I pag.* 16, 17, ubi de nomine queritur Hieroſolymæ, a *Tacito* perperam ab *Homeri* Solymis derivato, quem tamen hic ſequi *Dauſqueius* & *Lipſius* veriti non fuerint.

XII. Adiicio adhuc aliud robur, nec, probari poſſe, veriſſime convictus ſum, Hieroſolymam a veteribus *Kadotha*, vel *Kaditha*, fuiſſe dictitatam.

Vi-

Video quidem apud *Relandum Paleſt. pag. 498*, Cadytin *Herodoti* urbem קדותא, *combuſtam*, a quibusdam explicari, voce ex *Echa Rabbati f. 70, 1*, petita, ubi Hieroſolyma eo nomine inſcribitur. Sed de hoc non laboro, cum ratio nominis a *Sanctitate* ducatur. Sic *Cellarius*, cuius locum excitavi, ſic Doctiſſ. *Valkenaer*, ſic alii, quos nolim denuo in medium afferre. Clariſſime etiam *Prideaux l. c. pag. 74*, Syris, ait, Hieroſolymam *Kedutha* dici, *ſch* in *th* mutato. Ipſeque *Io. Lightfootus Oper. Tom. II pag. 408* idem aſſerere non dubitat, cui, nomen per Numos illos Samaritanos ubicunque diſperſum fuiſſe, veriſimile eſt. Quod tamen omnino admirandum exiſtimo. Non enim ſolum illi Samaritanorum Numi, de quibus a me dictum eſt, *Kedoſcha*, non *Kedotha*, exprimunt, ſed meminiſſe etiam decebat Virum, linguarum Eoarum cognitione non leviter tinctum, nomen illud a priſco Oriente nunquam per *th*, ſemper per *ſch*, ſcriptum enuntiatumque fuiſſe. Literam ש apud Chaldæos Syrosque frequentius tranſire in ת, vel ד, ſine omni hæſitatione largior. Contra vero nego illud audacter de nomine præſenti, quod ut Hebræi ſemper *Kadoſch*, *Kedoſcha*, ſic Chaldæi *Kaddiſch*, *Kaddiſcha*, Syri *Kaddiſch*, *Kaddiſcho*, conſtanter ſcribunt, ſono *ſch* ubique conſervato. Teſtis huius rei *Daniel* in Pericopis Chaldaicis, ubi vocibus קדיש, קדישא, קדישין, uſus eſt. Teſtis etiam Syra N. T. Paraphraſis, quoties Græcorum ἅγιον expreſſit. Teſtis denique Talmud Iudæorum, huiusque Gemara, Babylone ac Hieroſolymis ſtilo Syro-Chaldaico exarata. Quodſi Hiero-

Hieroſolyma ore Iudæorum nunquam *Kaddìſcha*, vel *Kaddiſcho*, elata fuit, qua ratione ſonus Cadytis potuerit ad aures gentium perferri, ego quidem, me ignorare, fateor. Prius autem infirmitate laborare, ſi quis me docuerit, gratus agnoſcam. Eſt adhuc aliquid, quod addi forſan poterit. Deſideret quis non immerito in voce *Herodoti* ſcriptionem literæ δ duplicatam. Hoc enim in dictione Chaldaico-Syriaca Dageſch & Kuſchoi efficit, quorum punctorum utrumque literas non ſolum aggravat, verum etiam duplicat, quam etiam duplicationem & labium Chriſti, & ſtilus Evangeliſtarum atque Apoſtolorum, ſolicite obſervavit, quando ii Ἀββᾶ, Μαμμωνᾶς, Γαββαθᾶ, Ἐμμανουὴλ, Γέεννα, Σάββατον, Ῥαββουνὶ, ex vocabulis Syro-Chaldaicis, literam Dageſchatam & Kuſchoiatam comprehendentibus, charactere Hellados exprimere voluerunt. Quæ tamen omnia, breviter a me diſputata, utrum forſitan inſervire poſſint inveſtigationi Cadytis *Herodoti*, ſatis vexatæ, iudicabunt rerum harum arbitri, quorum iudicio hæc qualiacunque cogitata, quanta par eſt, obſervantiæ ſignificatione commendo.

VI.
ANONYMI
DE
IOANNE BOCATIO,
E LUSATO HUNGARO,
POETA LAUREATO CAESAREO,
COMMENTATIO.

Ioan-

Ioannis Bocatii, Itali, Hiſtorici atque Poetæ Seculo XIV celebratiſſimi, nomen in republica literaria perquam notum eſt, neque eſt, quod huius commemoratione diſtineamur; *Ioannem* vero *Bocatium*, Luſatum, cui vix credimus ullam cum priore coniunctionem interceſſiſſe, quot, quæſo, ſunt, qui norunt? Quare, cum mereatur omnino, ut vindicetur ab oblivione vir, etſi cum Italo illo prorſus non componendus, doctus tamen, & ſummis Principibus in deliciis, dabimus quædam, quæ ad illuſtrandum *Bocatii* nomen ſufficiant. Patriam habuit Luſatiam noſter, quod ex Epiſtola Senatus Leutſchovienſis, qua dedicationem *Syracidæ* eius, quem, in formam locorum communium redactum, verſibus Latinis reddidit, laudibus proſequitur, colligas. Proſtat ea ad calcem poematicorum eius librorum, quos *Hungaridos* inſcripſit, de quibus infra uberius diſſerendi locus erit. Sunt quidem, qui, eum Sileſium fuiſſe, perhibent, *Iſthuanfius* puta & Scriptor Anonymus *Caſſoviæ veteris & novæ*; ſed minor teſtium iſtorum mihi videtur auctoritas. Si enim ab illo, quod eo mortuo ſcripſerint, Senatus vero Leutſchovienſis illo, quo ipſe vixit, tempore teſtimonium edidit, diſcedas; id præterea ſupereſt, fuiſſe Senatum locis quoque proximum *Bocatio*, multumque eo, diuque ſatis, uſum eſſe. Annus, quo lucem adſpexit, 1569 ex ipſius epiſtola, anno 1599 ſcripta, libroque primo *Hungaridos* præfixa, cernitur, quando ita de ſe: *Prolis iſtius Auctor vix annorum triginta. Serius cupis? Ego,*

crede

verede iuranti ſancte, ambii puer, fateor, thalamum, ſed inire tam cito nolui, niſi coactus. Diſtichon quidem, quod in effigiem ſuam fecerat, anno 1591 ſerius natum videtur indicare. Ita enim habet:

Corporis effigiem ſollers depinxit Apelles,
Cum traherem vitæ bis duo luſtra meæ.

Subducas rationes, &, aliquantulo minorem fuiſſe, invenies. Verum duos, qui addendi fuerant, annos, ut rotundum eſſet Epigramma, neglexiſſe exiſtimandus eſt. Imbutus literis, quæ ad adoleſcentem erudiendum pertinent, in Academia Wittebergenſi, primario tum temporis eruditionis bonarumque per Germaniam artium domicilio, pedem fixit; deditque literis operam, dum inde ad munus Rectoris Gymnaſii, quod Eperieſini, libera regiaque ſuperioris Hungariæ civitate, florebat, ſuſcipiendum anno 1592 evocaretur. Literas Conſulis atque Senatus Eperienſis, quibus ad munus illud vocabatur, libris ſuis *Hungarïdos pag. 468 ſeq.* adiecit, licet non conſtet omnino, cuius maxime commendatione locum illum obtinuerit, aut quibus autoribus penetraverit in Hungariam Luſatus. Id certum eſt, ante, quam in Academiam Wittebergenſem excurreret, ſalutaſſe Hungariam *Bocatium.* Witteberga Eperieſſinum delatus, exactoque in munere biennio, ſummos in Philoſophia honores Wittebergæ impetravit. Neque diu Eperieſini ſubſedit, ſed Caſſoviam anno 1599 excitus, Rectoris ſpartam in Gymnaſio illo conſecutus eſt; quam ad vitæ ter-

 minum,

minum, quantum quidem novimus, exornavit. Licet enim ſecuto tempore, Senatorio etiam ordini adſcriptus, Prætorque urbis; aut, ſi mavis, Conſul, fuerit creatus; provinciam tamen ſcholaſticam non deſeruit, titulo hinc uſus: *Reipublicæ literariæ & politicæ Rector*, quod *Daniel Kleſchius* prodidit *im Hiſtoriſchen Berichte des Einweyhungs-Feſtes der Schloſs-Kirchen zu Scharnick*, Bartphæ, 1670, 4, *pag. 21 ſeq.* Satis magna hæc Hungariæ in advenam præmia fuerunt, neque invidebat quisquam; immo ampliora fuerunt, & ſplendidiora, quæ ſequebantur. Cum enim penitus ſe animo *Simonis Forgachii*, Liberi Baronis *de Ghymes*, filiique *Michaelis*, inſinuaſſet, ille gratia, qua apud Cæſarem *Rudolphum* valuit, facile effecit, ut civitate donaretur Hungarica, atque nobilitate ornaretur. Quæ quanti fecerit *Bocatius*, ex Epigrammate, quod ad *Rudolphum* exaravit, colligas. Legitur illud altera a titulo pagina librorum eius *Hungarides*, inſigne grati animi documentum. Putares, his tantis excitatum fuiſſe *Bocatium* noſtrum beneficiis ad omnia, Cæſaris nomini debita, officia explenda. Longe tamen aliter evenit. Gratum certe in Auguſtum, cui tam invidendos honores debebat, re vera fuiſſe, neges. Cum enim *Stephanus Botskaius* arma in Regem ſuum verteret, *Rudolphi* deſeruit partes *Bocatius*, & *Botskaio* adhæſit, cui etiam anno 1604 Caſſoviam, urbis tum Prætor, tradidiſſe dicitur. Quod ample ſatis *Iſthuanſius* retulit in *Regni Hungariæ Hiſtoria Lib. XXXIII pag. 500*, Col. A. & B, edit. recentiſſ. Verba eius ſunt: *Sed illi Prætore*

urbis,

urbis, Ioanne Bocatio, Sileſio, rigido Lutherani dogmatis aſſecla, operam inprimis navante, ſtatim poſt pugnam a noſtris apud Adorianum male pugnatam, Stephanum Hercegum ad Botſcaium, Debrecenii, ſpoliis, alienæ perfidiæ partis, dividundis, intentum, miſerant, urbemque in eius poteſtate & fide futuram nuntiaverant. Quæ res partibus Cæſareanis incredibile detrimentum attulit. Neque enim ille unquam longius Tranſilvaniæ finibus abſcedere, aut Tibiſcum tranſire, auſus fuiſſet, niſi Caſſovia portas ei aperuiſſet. Ad quod peſſimum facinus patrandum, illi, non tam ob ademtum ſibi maius templum, turbatamque ibidem religionis profeſſionem, adductos referebant; falſo, ut ſunt vulgi pleraque; *quanquam id etiam moleſte ferrent, quod pagis circiter 28, quos liberali veterum Regum indulgentia civitati attributos poſſediſſent, a Barbiano, iuſſu Cæſaris, privatos eſſe, conquererentur, ita ut colonorum ope, nec ad quotidianas vitæ neceſſitates, nec ad colendas vineas, quas in Tállya ac Máda haberent, uti poſſent. Ex quarum fructibus & vino, quod nobile admodum & generoſum ibi naſcitur, omnia fere emolumenta, coementibus ea ingenti pretio Polonis, conſtare videntur.* Vapulat hoc quoque nomine *Bocatius* Anonymo *Caſſoviæ veteris & novæ Chronologice propoſitæ pag.137 ſeq.* qui libellus, inficetis narratiunculis ſic ſatis refertus, prodiit Caſſoviæ anno 1732 in 12. Quantam noſter apud *Botſkaium* hoc facinore gratiam inierit, facile augureris, quando *nihil æque ac morum ſimilitudo favorem conciliat.* Fuerat præterea res facilis *Bocatio*, feſtivi ingenii homi-

homini, penitus ſeſe, blanditiis & leporibus ſuis, in Principis iſtius conſuetudinem immergere. Comitem hinc *Botſkaius* inter ceteros eum adſcivit, cum ad ſummum copiarum Turcicarum, qui tunc Budæ erat, præfectum, (*Vizirium* vocant,) in campis Peſthienſibus admitteretur, ob fidem, velut haberet, cuius lepidis ſermonibus animum, curis ægritudinibusque obrutum, erigeret. Convictore hucdum *Botſkaius* uſus fuerat *Bocatio;* mox illuſtrem ei obeundam legationem demandavit. Miſſus enim eſt ad Principes quosdam Germaniæ, eo haud dubie conſilio, legatus, ut, ſi fieri poſſit, in ſocietatem armorum, contra Cæſarem, pelliceret. Suſcepit noſter partes illas, eventu, ut poſtea apparuit, ſpe heri minore, ipſi autem legato prorſus non expectato. Ita fit nimirum, cum ex noſtro ingenio iudicamus de reliquis; reique noſtræ undecunque quærimus ſuppetias. Prodidit iſta Vir ſummus, *Franciſcus Kazy*, e ſocietate Jeſu, quem honoris cauſâ nominamus, in *Hiſtoria regni Hungariæ*, Tyrnaviæ excuſa anno 1737 in fol. *pag. 58*, cuius verbis in rem noſtram utemur. *Johanni Bocatio*, inquit, *ſuſcepta ad Principes Germaniæ legatio minus feliciter ceſſit. Ad Henricum Julium, Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducem, per fines Poloniæ appulſus, quod ſine commeatu veniſſet, pro exploratore habitus, & in carcerem compactus eſt.* Fortuna viri vehementius affectus *Botſkaius*, nihil prætermiſit, quo legatum ſuum vindicaret. Sed altum poſthæc de *Bocatio* eſt ſilentium, quamvis, explicatum illum, Principis ſui providentia, ex vinculis fuiſſe,

dubi-

dubitandum non ſit. Exortis iterum turbis, cum Tranſilvaniæ Princeps, *Gabriel Bethlen*, fœde Hungariam laceraret; adverſæ ſe parti miſcuit *Bocatius*, ipſa etiam Caſſovia in poteſtatem Principis redacta. Immo, poſteaquam *Bethlenius* in Comitiis Neoſolienſibus anno 1620 Rex a ſuis eligeretur, *Bocatius* temporarii Regis illius Hiſtoriographus conſtitutus, invenitur. Quid ſcripſerit Hiſtoriarum, alii inquirant. Meminimus tamen audiſſe nos, hiſtorica ejus, neſcio quæ, in Manuſcriptis Codicibus ſuperare, & luctari cum Euclionis alicuius duritie. More ille quidem ſuo, Principi, cui operam addixerat, verſiculos offerendo, gnavum ſe inprimis præſtitit. Speciminis loco duo ſufficient exempla, quæ gnathonicum *Bocatii* ingenium luculenter docebunt. Primum *Epigramma* eſt *gratulatorium*, *ob Theurgiam*, *& Sabbathi fauſtiſſimam triadem*, *utpote d. 26 Iunii*, *10*, *17 Iulii bujus menſis & anni 1621*, *quibus Sereniſſimo & Potentiſſimo electo Hungariæ Regi triplex obtigit*, *& memorabilis*, *cælitus delapſa*, *contra regni Hungariæ aliquot perduelles & factioſos*, *Procerum & Nobilium*, *fugato & fuſo Ferdinandico exercitu*, *in caſtris ad præſidium Ujvarienſe 26 tormentis & aliis impedimentis metu fœde relictis*, *victoria*. Sequuntur verſiculi, quos, cum exigui ſint momenti, omittimus. Poſt carmen vero legitur:

Poſt Bukoy, *Pokoy*, *Sabbathum erit Szabatsàg*
Tyrnavia Hungaris Nagy-Szombat

(*) Innuit *Bouquoium*, Ducem Cæſareum, ad Ujvarinum

Et ſua cur voluit Nagy-Szombat dedere regi
Mœnia? quod felix, qui ſapit ante malum.

Iohannes Bocatius Regiæ Hung. Maieſt. Hiſtor. Caſſoviæ, per Nicolaum Mollerum, typographum S. R. M. anno 1621, unica admodum paginæ in folio. Alterum illud eſt: *Gabriel, Rex Hungariæ potentiſſimus, Princeps Tranſylvaniæ Sereniſſimus, Aſſertor coronæ ſapientiſſimus, in ſuperiorem Hungariam & Caſſoviam poſt integrum annum redux, cum Corona.* In medio duarum vocum extremarum inſignia regni, quibus corona impoſita eſt, effingi fecit. Sequitur hinc λογοδαίδαλον Diſtichon:

Princeps, Rex, victor, pello, conſervo, triumpho.
Marte, manu, ingenio, vim, diadema, ſolum.

Suæ R. M. Humillimus Officialium, Ioannes Bocatius, Conſularis Caſſov. & Hiſtoricus. CoMes VIrtVtIs erIt InVIDIa, Caſſoviæ per eundem. In qua poſtea fortuna vixerit, quando Poetæ vena exaruerit, quando vivere deſierit, compertum non habemus. Sed neque de poſteritate eius quidquam conſtat; quamvis ex uxorcula, *Elſula, Ioannis Belſii,* Conſulis Epperienſis, filia, quam anno 1594 duxit, filium ipſi natum legamus. Sed hæc nihil ad *Apollinem;* quin libros ipſius cognoſcamus. Venerunt ad manus noſtras duæ Poeſeon Auctoris collectiones. Uni titulus eſt: *M. Ioannis Bo-*

num in prælio cæſum, qua de re vide ſupra laudatum *Franciſcum Kazy l. c. pag. 194. Pokoy* Slavica lingua *pacem* denotat; *Szabatság* Hungaricum *libertatis* nomen eſt.

Bocatii, Poetæ Laureati Cæſarei, Hungaridos libri Poëmatum V. I) *Continet Martialia, ſive bellica;* II) *Encomiaſtica;* III) *Nuptialia;* IV) *Miſcellanea;* V) *Sepulcralia.* (Accedunt ad finem variorum epiſtolæ.) *Ad Illuſtr. Mag. & Generoſiſſ. Dominum Dn. Sigismundum Forgácz, L. Baronem de Gymes &c.* & *ad Nobiliſſ. Gener. & egregium Dominum Chriſtophorum Darboltz de Fyntha* &c. Bartphæ, excudebat *Iacobus Klæſſ*, anno 1599, in 8. Conſtat paginis 505. Alteram inſcripſit: *Hexaſticha votiva, vel ſtrena poetica, ominis boni gratia, anno Deo VoLente erIt MeLIVS* (1612) *diſtributa ac principaliter D. D. conſecrata, Reg. Hung. Palatino, Illuſtri Comiti ac Dno. Dn. Georgio Thurzo de Bethlenfalva, Comiti Arvenſi, eiusdemque Comitatus Comiti perpetuo, S. R. Mttis. Conſiliario, &c. ab Io. Bocatio.* Bartphæ, excudebat *Iacobus Klöz*, in 8. Abunde vero tum ex *Hungaridos* libris, tum *Hexaſtichis* iſtis, in omnes cuiuscunque famæ proceres, & amicos ſuos, cuſis, patefcit, ſatis *Bocatio* fuiſſe ingenii, majeſtatis autem Romanæ, inque ſententiis ac tota dictione ponderis, ineſſe parum. *Libros* eius *Syracidæ*, quos Senatui Leutſchovienſi ab Auctore dedicatos ſupra ſcripſimus, nondum videre licuit. Primum autem ſine dubio locum meretur Epiſtola illa, quam *Apparatui* ſuo *ad Hiſtor. Hungar.* inſeruit V. C. *Matthias Bel*, Hungariæ Hiſtoricus, ex cujus laciniis, in Tomum Operis eiusdem hiſtorici tertium translatis, *Bocatius* ſe ipſum ſuperaſſe videtur. Si dicendum, quod res eſt, fuerat *Bocatius* pro illo rerum habitu ſic ſatis doctus, magis au-

tem ob mores facetos, & lepidam conſuetudinem, quam doctrinam, gratioſus. Varia ſunt, ex quibus non immerito videre nobis videmur, fuiſſe eum *Botſkaio*, & *Bethlenio*, a Conſiliis iocularibus. Rem ille vero cum verſiculis, libellorumque dedicationibus, fecit; ex epiſtolis enim, Libris *Hungaridos* ſubiectis, videas, frequentibus Poetam damnatum munuſculis, nummis aureis, & ioachimicis, quid? quod & lachrymæ eius, in obitum patronorum profuſæ, aureo ſæpius ſyndone legantur abſterſæ. Nimirum habent literæ, habent ſua fata libelli. Reliqua, de *Bocatio* forte notanda, uberius legi poterunt in *Apparatu ad Hiſt. Hung.* Celeb. *Matthiæ Belii*, *Decade I*, *Monum. VII*, in Præfatione, quorſum Lectorem remittimus merito.

VII.

M. I. F. FRISCHII

DE

USU PARTICIPII PRAETERITI ROMANO OBSERVATIONES POSTERIORES AD VOSSII LIB. VII DE ARTE GRAMMATICA CAP. X, XI, & XV.

I.

Multa quidem, quod omnibus celebrandum eſt laudibus, a viris celeberrimis, linguæque Ro-

Romanæ, eiusdemque genuinæ indolis, peritiſſimis, obſervatu digna ſubinde collecta ſunt, quæ ad reſerandos literarum Romanarum theſauros pertinent; omnia vero exhauſta iam eſſe, quæ in hoc puteo latent, nemo facile erit, qui animum inducere poſſit, ut credat. Quodſi cogitationes modo noſtras ad veram participii præteriti auctoritatem advertamus, primo ſtatim intuitu apparebit, *Voſſium* (a), *Sanctium* (b), *Bangium* (c), *Perizonium* (d), aliosque (e), quam plurima nobis detexiſſe, quæ involuta, & ſqualore quaſi obſita, iacuerant, Auctorum Romanorum monumenta, dum huic rei operam ſuam diligentiſſime navarunt. Nullus tamen eorum, quantum compertum habeo, de induſtria hac ſuper cauſa quæſtionem inſtituit, & de participii huius forma certi aliquid tradidit. Ad expediendum itaque hoc negotium meam ſententiam, de hac re conceptam, in medium nunc proferam, & argumentis, atque rerum exemplis, illam, quam maxime fieri poteſt, corroboratam reddam.

II. Principii loco repetendam eſſe ex Grammaticorum accuratiſſimorum ſcitis quæſtionem illam,

(a) *De Analog. Lib. III Cap. X pag. 343 Art. Gramm. Op. Tom. II.*
(b) *Minerv. Lib. I Cap. XV pag. m. 134.*
(c) *Obſerv. Philol. Lib. I pag. 672 ſeq.*
(d) Ad *Sanct. Minerv. Cap. 2.*
(e) *Falſterus* in *Suppl. L. L.* *Freinshemius* in *Tabulis indicibus* ad *Iuſtinum & Florum.* Vid. infra plura de his. *Hadrianus Cardinalis de Modis Latine loquendi pag. 41, in Ketelii Collectione.*

illam, quam in univerſum de participiis movent, autumo, ut, quid res ſit, de qua diſceptatur, cognoſcamus. Eſt vero participium *vox* (f) *variabilis per caſus, ſignificans rem cum tempore.* Hæc (g) *Voſſius* nobis ſuppeditavit, in quibus etiam penitus acquieſcendum nobis eſt, cum, ulterius hæc rimari, ſuperfluum cenſeatur. Adſignificat participium tempus. Temporum tres inſignes dicuntur mutationes, quæ præſentia, præterita, & futura, continent. Hinc triplex participiorum recte ex uſu Romanorum ſtatuitur forma, quorum ſecunda ad præteritum tempus refertur. Actiones, & paſſiones, ſibi in præteritis temporibus ſubinde ſuccedentes, poſtulant, ut participia præterita utriusque generis adeſſe poſſint, & debeant, in lingua Romana, quod utrumque ex temporum rationibus, & linguæ natura, eiusdemque perfectione eleganti, fluit. Ergo recte datur uſus participii præteriti activæ ſignificationis, &, cum unica tantum huius participii adſit forma, *eadem & activam. & paſſivam, habet ſignificationem* in dictione Romana. Exiſtentia vero huius rei amplius, (h) cum multæ linguis accidant imperfectiones, ex certis ſignis, atque omni L. L. indole, nunc demonſtranda venit.

III. Ne

(f) Vel *vocabulum variabile*, cum *vox* ex uſu Romano hic locum habere vix poſſit.

(g) Cit. loc. Vid. *Perizonius* c. l. *pag.* 117, ubi multum de participii forma diſputat.

(h) Licet enim recte dari poſſit uſus huius participii, aliunde tamen vera eius exiſtentia eſt expedienda.

III. Ne quis vero mihi dicam ſcribat, actarumque me arguat rerum, monendo, quod *Voſſius*, & *Perizonius*, eandem de his aluerint ſententiam, atque paſſivam ſignificationem æque, ac activam, participiis præteritis tribuerint, ille ſcito, me lubentiſſime largiri, ſummos illos Grammaticos hanc rem fuiſſe edoctos; ſed, quod in univerſum participium præteritum pro vocabulo habuerint variabili, quod *actionem*, & *paſſionem*, *præteritam ſimul denotaret*, *pro cuiusque rei facultate*, id nulla ratione ex politiſſimis eorum libris erui poterit. Uterque (i) enim multas exceptiones in participiis *deponentium*, *paſſive poſitorum*, nectit; *Neutrorum* de participiis paſſivis auctoritatem ſolicite agit, & activam adſtruit ſignificationem (k); quin imo *paſſivorum* activam ſignificationem moroſius (l) recenſet; quæ tamen omnia opus non fuiſſent, ſi, in univerſum hanc propriam eſſe participii præteriti facultatem, ſibi perſuaſiſſet, quod *actionem* & *paſſionem* præteritam denotare poſſet.* Præterea, quod ad *Voſſium* inprimis attinet, notandum, illum vim huius participii aſſecutum minus fuiſſe, quia participia paſſivæ formæ, actionem ſignificantia, præſentis eſſe temporis arbitratur, cum ad præteritum tamen rectius pertineant. (m) Sicque v. g. *circumſpectus* eſt, qui *cir-*

(i) *Voſſius de Analog. Lib. IV Cap. XI pag. 344*, quæ comprobat *Perizon.* c. l. *pag. 134.*

(k) *Voſſ.* c. l. *Cap. XIII pag. 346.*

(l) Ibid. *pag. 343.*

(m) c. l. *pag. 343.*

circumſpexit, non, qui *circumſpicit*, quod *Voſſio* placet; *conſideratus*, qui *conſideravit*; *profuſus*, qui *profudit*; *cautus*, qui *cavit*; *tacitus*, qui *tacuit*. Cuius rei veritas vel ex eo patet, quia alia eſt dicendi forma, Romanis uſitata, quando eum, qui circumſpicit, exprimere volunt; eum ſcilicet *circumſpicientem* dicunt. Nec temere aſſerendum, inter ſe hæc participia confundi, quod quidem alii, (n) ſine ulla tamen neceſſitate, affirmare ſibi ſumunt. *Perizonius* (o) denique formam hanc utramque non negat, ſed *olim* modo valuiſſe, nec *iam in uſu eſſe in ſingulis verbis*, contendit. Unde vero conſtat, utramque formam in uſu non eſſe, dummodo res adſit, quæ per illam exprimi potuit? Num forte ex eo patet, quod non omnis omnium verborum forma utraque legatur, atque inveniatur. Hoc minime procedit. Sed ex univerſa participiorum iſtorum indole concludere licet, quod uſus ſingulis competere potuerit. Taceo denique, perpauca exempla utrumque ad declarandam activam ſignificationem huius participii attuliſſe, ex quibus ſatis ſuperque cognoſcitur, quibusdam modo verbis atque participiis hoc poteſtatis illos conceſſiſſe Auctores.

IV. Sed illuc redeamus, unde orſi ſumus. Neceſſitas non ſolum rei, actiones præteriti temporis adſignificantis, & eleganter illas exprimentis, exigit, ut in Romanorum ſermonibus hanc huius

(n) Ibid. *pag. 348 ſeq. Perizon.* c. l. *Lib. I Cap. XV n. 2 pag. m. 130 ſeq.*

(o) Ibid. *pag. 134.*

huius participii auctoritatem firmam atque indubitatam habeamus; ſed alia quoque adſunt rerum pondera, quæ nos hæc omnia clarius docent. Inter quæ hoc inprimis eminet argumentum, quod activam, cum caſu quarto ſæpenumero coniunctam, admittant compoſitionem, quæ luculentiſſimo eſt indicio, activam formam, & vel maxime, illis attribuendam eſſe. Excipiunt hic quidem plurimi doctiſſimi viri, quod caſus quartus, cum participio præterito connexus, rectionem ſuam non participio, ſed omiſſæ præpoſitioni, debeat, nihilque ex iſta re ad hanc iuvandam (p) cauſam repeti queat. Sed ipſi ſuo iugulantur gladio, facillime concedentes, quod in *aliquibus* ſaltem participiis præteriti temporis ſignificatio activa locum habeat. (q) Quidni etiam inprimis tunc illa eſt urgenda forma, quando & compoſitionis modus, & rei ſignificatæ ratio, ſuadent? Inconſtantia eorum omnino eſt miranda, qui illud, quod alioquin affirmant, deinde negant, contra veram rei naturam atque indolem. Sed hæc (r) ſuo loco ſunt relinquenda, ubi expedita iſta iam apparent.

V. Huc accedit & illud, quod omnibus verborum formis, ſive ſint *activæ*, ſive *neutrius*, ſive *deponentialis*, quam dicunt, ſignificationis, competant participia præteriti temporis. Nec de exiſtentia huius rei quidquam nos dubitare ſinit, cum copio-

(p) *Voſſius Lib. VII A. G. Cap. XLI pag. m. 419, Perizon.* ad *Sanctium pag. m. 118.*

(q) Conf. *§. III.*

(r) Vid. *priores* meas *Obſervationes de Uſu P.P. R.*

copioſiſſimas exemplorum tabulas indices nobis celeberrimi viri exhibuerint. Vel unicus *Voſſius*,(s) Auctor ſane graviſſimus, locupletiſſimusque huius rei teſtis, ad confirmandam hanc ſententiam ſatis laboris atque ſtudii attulit. Sed pleraque confunduntur, niſi concedatur, quod participium præteriti temporis utramque formam habeat. Nec intelligitur, qui fiat, ut in *Deponentibus* plerumque hoc participium activæ fiat ſignificationis, & quam ob cauſam *Neutra* modo activam, modo paſſivam, horum participiorum admittant auctoritatem. Denique nulla ratione conſtabit, quare *Paſſivorum* natura mutetur, & in participio præterito paſſivo activa poteſtas ſit aſſumenda. Quodſi vero utraque forma in hoc genere in univerſum, quod fieri omnino debet, conceditur, ſine ullo negotio ſingula poſſunt explicari. Summa enim verborum genera ſunt duo, *Activa* ſcilicet, quo *Neutra* & *Deponentia* ſimul referenda ſunt, quoniam in utrisque actionum continentur imagines, & *paſſiva*, quæ id oſtendunt, quod paſſionem recipit, ut paſſibile potius ſit. (t) Nec enim terminatio formam verborum mutat, ut adeoque non neceſſe ſit, peculiarem deponentium ſpeciem fingere, cum ad activa rectius referri queant. Quodſi enim *moneo*, idem facio, quod, ſi *hortor*, &, ſi *dico*, *loquor* etiam. Opus etiam non eſt, ut eadem ſigna, actionem ſigni-

(s) c. l. *pag*. 344 *ſeq*.

(t) Præclare multa de hac re diſſerit *Scaliger de Cauſ. L. L. Lib. V Cap. CX*, inprimis *pag*. 281 *ſeq*.

ſignificantia, neceſſario paſſivam ſecum connexam *omni ex parte* habeant formam. Ex his vere infertur, quod *Deponentibus*, & *Neutris*, quæ dicunt, ſi res exprimendæ adſint, omnia quatuor participia (u) conveniant, atque potiſſimum participium præteriti temporis. Quid enim in cauſa eſſet, quare *Deponentia* verba ſola quatuor gignerent participia, & non æque *Neutra*, & reliqua *Activa*? Ex his amplius evincitur, participium iſtud in Deponentibus *paſſivam*, & *activam*, poteſtatem admittere poſſe, quin imo Neutra eandem huius participii ſignificationem non reſpuere, ſive illo agendi, ſive patiendi, quod ſubinde fit, facultatem exprimant. (x) Horum participiorum exempla plurima, pro ſolita ſibi induſtria, collegit *Voſſius*, loco iam ſæpius excitato, & rem omnem diligenter excuſſit, quæ ſententiam noſtram inſigniter iuvat. Commodius quidem eſſet, ſi hæc opinio veterum animos omnium non invaſiſſet, ordinesque turbaſſet, quæ omnino maximo eſt impedimento, quo minus facile lingua Romana addiſcatur, & ſcriptores eius intelligantur. Ceterum ex rebus ipſis, & coniunctione huius participii, cum tota orationis ſerie comparato, facile conſtabit, quam ſignificationem participium iſtud in quocunque loco induat. Et hoc graviſſimum eſt argumentum, quod temere refelli nequit, quodque optime omnium confirmat, vim huius participii in adſignificatione temporis *præteriti* quam maxime eſſe poſitum.

VI.

(u) Quæ hic excipienda ſint, huc non pertinent.
(x) *Voſſ.* c. l. *pag.* 347 *ſeq.*

VI. Subnecti illis poteſt, quod participium præteriti temporis, niſi deſcendat a *Supino*, multam tamen cum illo habeat communionem, atque affinitate quaſi cum eo ſit coniunctum. Iam vero *Voſſius* (y) oſtendit, auctoritatem *Supinorum* modo *activam*, modo *paſſivam*, eſſe; ergo etiam, utramque participiis ſociis exinde competere, recte putatur.

VII. Cum vero brevior & efficacior, teſte *Seneca*, doctrinæ via ſit per exempla, eam etiam nunc inibo, quo opinioni meæ validiſſimum inde accedat robur. Ea vero non repetam, quæ a *Voſſio*, ceterisque, in medium iam ſunt prolata, ſed alia producam in ſcenam, & quidem illa, quæ communi omnium conſenſu *paſſiva* æſtimantur, & tamen *active* uſurpata fuerunt. Multum hoc facit ad ſenſum ſcriptorum veterum ex literis ſuis verum atque genuinum eruendum, qui, niſi hoc teneatur, plane percipi nequit. Primo ex *Juſtini Hiſtoriis Philippicis* quædam depromam, quæ huc pertinere videntur. Refero iſthuc illud teſtimonium, quando ſub fine *Cap. VI Lib. II* (z) ita ſcribit: *Deinde cognito, quod Athenienſes Ioniis auxilium contra ſe tuliſſent, omnem impetum belli in eos convertit.* Deprehendimus hic participium præteriti temporis in ſexto caſu active poſitum. Confirmo hoc ex his rebus circumſtantibus. Primo, quia imperſonaliter id poſitum eſſe, quod aliis in locis quidem uſu venit, hic non concedi poteſt, cum nullum huius rei adſit veſtigium. Deinde

(y) c. l. *pag.* 291.
(z) *Pag.* 82 edit. *Abr. Gronov.* L. B. 1719.

Deinde Auctor noſter de unico ſubiecto, *Dario* ſcilicet, orationem omnem inſtituit, nec de incerto quodam negotio, perſonis non circumſcripto, ac definito, aliquid narrat. Poſt ea ſuis limitibus animi ſui ſenſa ſatis luculenter complectitur, dum per pronomen reciprocum *ſe* omnino declarat eum, qui cognovit. Ille enim cognovit, contra quem Athenienſes Ioniis auxilium tulerant, & hic erat *Darius*. Senſus itaque erit: *Deinde, poſtquam cognoverat Darius*. Omiſſio hic elegans occurrit nominis, vel, ſi mavis, pronominis, cum plenius dicendum fuiſſet, *cognito Dario*, ſive, *cognito eo*. Eadem enim ratione participium iſtud, etiam *activam* ſignificationem adoptans, duorum Ablativorum conſtructionem recipit, æque, ac ſi *paſſive* poneretur. Conſtat hoc ex aliis exemplis. Sic *Cœlius Lib. IV Hiſtor.* apud *Priſcianum cuſtodibus diſceſſis* dixit, pro, *cum cuſtodes diſceſſiſſent*. (a) Nec longior hac ſuper re quæſtio eſt inſtituenda, cum conſtructionis iſtius vera forma non ſolum ex his exemplis pateat, ſed ex uſu etiam activo *participii præſentis* conſtet. Sine vitio dicitur, *me inſciente, me cognoſcente*, quidni etiam *me cognito hanc rem?* Deinde omiſſio nominis, vel pronominis, in participii præſentis conſtructione ſubinde accidit, quam ob rem non mirum videtur, ſi participium præteritum eadem poteſtate gaudeat. Quo ad liquidum perducto, nemo in dubium vocabit, quin *cognitus* activæ & paſſivæ formæ ſignificationem obtineat.

VIII.

(a) *Voſſ.* c. l. *pag.* 200, *Falſterus* c. l. *pag.* 98.

VIII. Sed & alia eiusdem vocabuli exempla id docent. De *Antiocho* idem rerum ab aliis geſtarum (b) enarrator, ab *Eumene* victo, & tandem ad ſocerum ſuum *Artamenem*, regem Cappadociæ, profecto, recenſet, quod *benigne primo exceptus ſit, interiectis diebus, cognito, quod inſidiæ ſibi pararentur, ſalutem fuga quæſiverit.* Cave, putes, *cognito* hic impersonaliter, ut dicunt, eſſe uſurpatum, cum pronomen, ad latus poſitum, perſonam nobis indicet, & digito quaſi monſtret, nihilque aliud nos cogitare ſinat, quam quod *Antiochus cognoverit*, ſibi inſidias parari. Elegantiæ vero & brevitatis ſtudio, participio præteriti temporis utitur, cum nomine omiſſo. Ceterum eiusdem vocabuli, imperſonaliter uſurpati, ratio ex *Lib. XXXII Cap. III §. 14* conſtat, ubi res circumſtantes tale quidpiam monere videntur.

IX. Excipit hanc dicendi formam alia, in eodem ſcriptore obvia, (c) quando *Philopoemenem*, nobilem Achæorum imperatorem, captum a Meſſeniis, & in carcerem deductum, enarrat. Illi Meſſenii, verecundia magnitudinis eius permoti, venenum dabant, quod ille etiam lætus, ac ſi viciſſet, accipiebat, prius tamen *quæſito, an Lycortas, præfectus Achæorum, quem ſecundum a ſe eſſe rei militaris ſcientia ſciebat, incolumis effugiſſet.* Hic *quæſitus*, eodem modo, quo *cognitus*, ſexto caſu adhibetur in forma *activa.* Nullus enim alius quærebat, quam ipſe *Philopoemenes*, adeoque hæc

(b) *Iuſtinus Lib. XXVII Cap. III §. 8 pag. m. 556.*
(c) *Lib. XXXII Cap. I §. 9 pag. m. 602.*

hæc actio illi ſoli recté omni ex parte tribuitur. *Quæſito* itaque ponitur, pro, *cum quæſiviſſet prius.* Alienum enim a veritate rei, quin imo ridiculum, plano foret, ſi contenderemus, imperſonaliter hic poni participium præteriti temporis, ubi nominatim deſcripta inveniatur perſona, quod utrumque, re bene putata, inter ſe pugnat. Ceterum in hoc exemplo conſenſum, in ſuperioribus vero diſſenſum, *Freinſhemii* deprehendo.

X. Ultimum denique huius Auctoris exemplum, ad opinionem meam corroborandam multum faciens, (d) acceſſo ex *Lib. XLIII Cap. V* §. 5. Ibi memoriæ *Iuſtinus* prodidit, quod *Catumandus* ultro pacem cum Maſſilienſibus fecerit, *petito, ut intrare illi urbem, & Deos eorum adorare, liceret.* Nec *paſſive*, nec *imperſonaliter*, *petito* hic exponendum eſt, ſed *active*, quia actio innuitur, & perſona indicatur ſine ulla ambiguitate, quæ *Catumandus* fuit. Ille dicitur pacem feciſſe, urbem intraſſe, Deos adoraſſe, in arcem *Minervæ*

 veniſſe,

(d) Cum varia huius verbi ſcriptio inveniatur, virique doctiſſimi modo *arceſſo*, modo *accerſo*, ſcribant, multum inter ſe diſſentientes, originem illius verbi ſecutus, quam ab *accedo*, cui & ſignificatio illius favet, repeto, omnium litium ſecurus, *acceſſo* non ſine omni omnino cauſa ſcribo. *Arceſſo*, inquiunt quam plurimi, rectiſſime ſcribitur, & hi etiam, ne quid fingere videantur, rerum ſuarum pondera addunt. Inprimis urgent, quod a præpoſitione *Ar* deſcendat, quæ nunc eſt *Ad*. Sed quid inde? Nonne recentiori modo melius *Adceſſo*, ſive *Acceſſo*, ex hac cauſa ſcribendum eſſet?

veniſſe, & quæ ſint reliqua. *Petito* hinc ſimpliciter pro *petito eo* dicitur, quod recte ita explicatur, *poſtquam petierat*. Ergo & hic participium præteriti temporis activam ſuſtinet ſignificationem.

XI. Nec *Juſtino* tantum hæc loquendi ratio eſt propria, ſed *Tacitus* (e) quoque eadem utitur forma eiusdem, quod ante ea expoſitum fuit, vocabuli. *In ripa*, inquit, *Viſurgis cum ceteris primoribus Arminius adſtitit, quæſitoque, an Cæſar veniſſet?* Ipſe *Freinshemius* active in hoc loco explicat *quæſito* pro, *qui quæſiviſſet*, quod ex tabulis ipſius indicibus conſtat. Nec aliam facile hoc participium admittit ſignificationem in iſto teſtimonio, cum de *Arminio* unico *Tacitus* ſermones, quos recenſet, facit. Dubia magis & ambigua res eſt de vocabulo *comperto*, quod idem ille Auctor *Annal. III. 36, 3*, ſuum fecit. Verba ipſius ita ſeſe habent: *Fronteius Capito, qui Proconſul Aſiam curaverat, abſolvitur, comperto, ficta in eum crimina, per Vibium Serenum. Neque tamen id Sereno noxæ fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat. Perizonius*, (f) acutiſſimus ille Grammaticus, pro imperſonali conſtructione, vel elliptica dicendi ratione, iſtud habet, in qua Subſtantivum aliquod ſit intelligendum. Sed, omni re accuratius perſpecta, paſſivæ tamen formæ hoc *Perizonio* participium eſſe, invenio. Supplet enim ipſe omiſſionem Subſtantivi, per *negotium*, ita, ut

(e) *Annal. II Cap. IX §. 1.*
(f) c. l. *pag. 461 ſeq.*

ut ille exhibendus ſit ſenſus, *comperto negotio*, ſeu, cum *negotium compertum eſſet*. Pace vero illius tanti viri meliori iure contendere videar, quod activæ hoc vocabulum ſit poteſtatis. Id ex his evinco, quoniam *negotium*, quod ille ſupplendum eſſe in noſtra loquendi forma cenſet, ſuperfluum omnino eſt, ideo, quia *Tacitus* id negotium pluribus verbis enarrat. Erat enim illud, *crimina in Fronteium ficta eſſe*, quæ verba ſtatim addit, & cum *comperto* connectit. *Elegantius* quoque, ſi hanc dicendi rationem *Tacitus* adoptare hic voluiſſet, ſcripſiſſet, *compertis criminibus in eum fictis*. Quin imo *per negotium compertum* nihil aliud, quam *ficta crimina*, poteſt declarari. Ergo Auctor noſter, brevitatis ſtudioſiſſimus, per plura id effectum non dediſſet, quod per pauca fieri potuiſſet. Has itaque difficultates vitaturus, *comperto* activæ formæ aſſeram; & ad *Serenum* illud reducam. Enarrat enim *Tacitus*, abſolutum fuiſſe *Fronteium* criminibus ſuis, ſimulque cauſas huius rei addit. Quarum altera fuit diligentiſſima, teſte *Tacito*, cognitio cauſæ, quæ per *Serenum* agebatur. Altera quærenda in *Sereno* ipſo, qui, nec timore, nec periculo, deterritus, iuſtam de eo pronuntiabat ſententiam, atque de eo ita ſtatuebat, quemadmodum negotium perſpectum habebat. Ex quo etiam factum eſt, ut *Tacitus* addat, id iudicii *Sereno* noxæ non fuiſſe, quia odio publico ſatis tectum ſe arbitrabatur. Quæ omnia etiam obſtant, quo minus de imperſonali quodam genere aliquid cogitemus, & exponamus, *poſtquam compertum erat*. Hoc enim omnino fieri nequit,

quoniam uni modo perſonæ ſumma cognitio cauſæ mandata erat, nec reo id ſolatio fuiſſet, quod alii homines, qui cognitores dati non erant, innocentiam ipſius exploratam habuiſſent. Ac, qui demum *Serenus* illum abſolvere recte valuiſſet, ni ipſe rem omnem comperiſſet? Iungitur itaque hoc in loco, quod & alibi fieri ſolet, caſus quartus cum participio præteriti temporis, & nobis activam ſignificationem illius quam maxime declarat, eum in modum proponendam: *poſtquam compererat ficta in eum crimina.* Ex aliis quoque eiusdem ſcriptoris teſtimoniis huius vocabuli æqualis poteſtas ſtabiliri poteſt, imprimis quando *Lib. I An. Cap. LXVI §. 2* ſcribit: Cæcina *comperto*, i. e. *cum comperiſſet*, variam eſſe formidinem. Addi his etiam recte putamus *Lib. XI Cap. XIII §. 3*, *Lib. XIV Cap. LVII, 3*.

XII. Præter ea, quæ ſuperiori loco iam ex *Iuſtini* monumentis eruta ſunt, neſcio, an ſequentia etiam verba illuc pertineant, in quibus *nudatus* formam activam admittere ſignificatur. Verba ita fluunt: (g) *Itaque cum inter ceteros & ipſe Artabanus armatus aſſiſteret, rex ſimulat, ſe breviorem loricam habere; iubet Artabanum ſecum commutare; exuentem ſe ac nudatum, gladio traiicit.* Ex filo orationis huius patet, quod duo hæc participia ita ſint reſolvenda, *cum ſe iam exueret, atque nudaſſet;* qua ratione pronomen reciprocum repetendum eſt, quod elegantiæ cauſa omni-

(g) *Lib. III Cap. I §. 8.*
(h) Omiſſo pronomine reciproco.

omnino omiſſum putatur, ne ſubinde ſibi illud ſuccedat. Quæ elegans compoſitionis ratio non ſolum in lingua Romana frequentiſſima occurrit, ſed in aliis etiam obſervatur. Vernaculo noſtro ſermone hoc *Iuſtini* teſtimonium ita exprimi poſſet: *Da er ſich auszoge, und nun* (i) *entblæſset hatte.* Hoc certe veriſſimum eſt, commodius activam, quam paſſivam, poteſtatem adſtrui huic participio, quia ipſe *Artabanus* ſe exuens, atque denudans, deſcribitur, quæ omnia ad actiones eius pertinent.

XIII. Unicam adhuc his ſymbolam conferam, quam *Livii Patavini* (k) monimenta a Romanis geſtarum rerum nobis recludunt. Dicitur ſcilicet Rex *Philippus* ad Erigonum amnem conſediſſe, *inde, ſatis comperto, Herodæam petituros Romanos; ad occupandas anguſtias, ne ſuperare hoſtes arctis faucibus incluſum aditum poſſent, praceſſiſſe.* In hac rerum enarratione deprehendimus iterum vocabulum *comperto*, eadem ſub forma, qua nobis *Tacitus* illud exhibuit. Nec dubium, quin active ſit poſitum, cum perſona unica commemoretur, quæ conſilia Romanorum comperit, ut *comperto* idem ſit, quod *cum comperiſſet.* Huc etiam refertur teſtimonium *Tullii* ex *Ep. V Lib. III ad Div. Tibi*, ſcribentis, *de noſtris rebus nihil ſum ante mandaturus per literas, quam deſperato*, i. e. cum deſperaverim, *coram me tecum agere poſſe.* Ille enim, qui deſperabat, fuit *Cicero*,

(i) *H. R. Lib. XXXI Cap. XXXIX §. 5.*

ro, adeoque nulla incerta perſona. Nec *negotium* deſperatum fuit, quod *Perizonius* c. l. intelligit, quia ipſe *Tullius* addit hoc negotium circumductis verbis, & minus commode alias intelligi illud teſtimonium *Ciceronianum* poterit.

XIV. In aprico itaque poſitum nunc videtur, tam *multis adductis exemplis*, *rerumque argumentis*, participii præteriti eam eſſe auctoritatem, ut cum adſignificatione temporis, quod caput rei eſt, *activam* & *paſſivam* inferat ſignificationem. Nec plura defutura eſſe exempla puto, ſi literas Romanas penitius excutiendi, & ſingula diiudicandi, facultas præbeatur. Multa inde concidunt, quæ vulgo certo fundamento poſita fuerunt. Nec ex præteriti temporis participio, *active* uſurpato, ad uſum verbi deponentis eſt concludendum, quod in pueris quidem, hoc ita edoctis, lubentiſſime toleratur. Multo minus hoc vitio vertendum erit, ſi huiusmodi participia in forma adhibeantur activa, quam innumera teſtantur exempla, dummodo ceteræ conſerventur compoſitionis regulæ. Ceterum & hoc ruit, quod *paſſiva*, ut *deponentia*, adhibita cenſeantur, ſi participium præteriti temporis *active* ponatur. Id enim eſt, quod ad naturam atque eſſentiam participii huius pertinet. (k) Forma paſſiva manet talis, licet participii huius ſignificatio ſit activa.

XV.

(k) Conf. *Freinshem.* ad *Flor. Lib. II Cap. XVII* §. *n pag. m. 195*, ubi *affectatus*, *communicatus*, *cenſus*, *multatus*, *punitus*, & reliqua *paſſiva* exhibentur participia pro *deponentiali* forma. Sed non opus eſt iſto effugio.

XV. Ceterum, quod ad ſignificationem temporis præſentis pertinet, monendum eſt, quod, auctore *Voſſio*, (l) idem participium ſignificationem præſentis temporis non induat, licet induere videatur. *Spiritus* enim ad miniſterium *miſſi*, (m) ſunt ii, qui miſſi ſunt ad exequenda mandata divina; quin imo aquæ *exhauſta* atque *infuſa Plinii*, (n) non ſunt eæ, quæ *exhauriuntur* atque *infunduntur*, ſed illæ, quæ *exhauſta* atque *infuſa* ſunt. Nec in reliquis exemplis aliquid difficultatis hæret, quæ ſine multo negotio ita poſſunt expediri, ut *ſola præteriti temporis ſignificatio* huic participio vindicetur.

VIII.
P. CORNELII SEVERI
DE AETNA
CARMEN ANTIQVVM
A PRAEPOSTERIS
IOANNIS CLERICI
CONIECTVRIS VINDICATVM,
STVDIO
FRID. OTTONIS MENCKENII.

PARS PRIMA.

Non mihi propoſitum eſt, Cenſorem agere Viri, etiam poſt fata, magni, nedum laudibus eius,

(l) *Analog. Lib. IV Cap. XIV pag. 349.*
(m) *Ebr. I, 14.*
(n) *Lib. XI Cap. CIII.*

eius, quæ ſunt eximiæ ac ſingulares, obtrectare. Eſt hoc ita a meis moribus alienum, ut mediocris etiam famæ hominibus ſalvum hoc, quicquid ipſis eſt famæ, velim; tantum abeſt, ut male eſſe iis cupiam, quorum & ingenium excellens, & doctrina non vulgaris, & præclara in literas merita, communi omnium ore celebrantur. Quæ ſint aliorum, & quam diverſa, de *Ioanne Clerico*, Batavorum cive nobiliſſimo, iudicia, bene ſcio, ita mihi perſuaſum certiſſime habens, poſſe in laudando æque ac in vituperando ab his, qui, ſive amore nimio, ſive odio quodam intempeſtivo, abrepti, ad iudicandum accedunt, modum excedi. Ego ex librorum, quos ille literarum commodo inſigni olim edidit, attenta lectione id cognoviſſe mihi videor, non eum eſſe *Clericum*, in quo macularum agnoſci nihil debeat, aut cuius ingenio inveniri felicius nullum ac divinius potuerit; neque tamen iuſte ſatis cum eo agi ab his, qui ita eius laudes deprimunt, ut ne cum infimo quidem hominum doctorum comparandum putent. Nam, ſi ab his diſcedas, quæ nimium, nova omnia excogitandi, & vetera damnandi, ſtudium produnt: quod ille ſane cum multis, etiam doctiſſimis, commune habet vitium; in ceteris mira eius ac pæne incredibilis ſagacitas, admirabilis iudicandi ſolertia, & omnium illarum animi facultatum, quibus magnum aliquid in literis conanti opus eſt, ſingularis quædam vis, apparet. Nec, ſi hoc ei detur, fuiſſe & Philoſophum ſubtilem, & diligentem rerum geſtarum ſcriptorem, & ſacrorum librorum interpretem felicem, minori ſane iure a nobis poſtulabit,

bit, ut inter Criticos, ſi non omnium acutiſſimos & principes, at tolerabiles & ſatis bonos, ei locum concedamus. Atque hanc ei laudem, re bene cogitata, ego lubentiſſime tribuerim, non ſolum natura ad extollendam, quam deprimendam, aliorum laudem pronior, ſed hoc etiam in loco veris certisque ad laudandum rationibus adductus. Nam, ſi Critici nomen nullo iure negari poteſt his, quos ita videmus in interpretandis ævi veteris Scriptoribus verſatos, ut rarius deſiderari ſtudium induſtriamque ſuam paſſi ſint, quid eſt, quod laude hac fruſtrandum *Clericum* putemus, qui niſi fuiſſet, fortaſſe adhuc multa in *Heſiodo*, & *Æſchine Socratico*, & *Pedone Albinovano*, & *Cornelio Severo*, & *Hieronymo*, iisdem, quibus olim, involuta tenebris iacerent. Habent ſane hoc nomine, cur multum ei & Auctores illi, & bonæ literæ, debeant; nec, ſi quis ideo nullius æſtimanda pretii hæc dixerit, in quibus feliciter ei ceſſit interpretandi labor, quod talia non deſint, in quibus eum aut ingenium, aut doctrina, deſtituit, is mihi ſatis intelligere artis criticæ; qua nec amplior ulla, nec cum ceteris ſcientiis coniunctior, excogitari poteſt, difficultatem videtur. Præſtitit ſane, quantum potuit, *Clericus*, &, ſi factum eſt aliquando, ut ad ſcopulos, per immenſum illud mare navigantibus nunquam non periculoſos, offenderet, hæc non tam *Clerici*, quam ipſius artis, culpa eſt putanda. Et quidem, ne quid iam de aliis Auctoribus, miro ſtudio a *Clerico* aut explicatis, aut illuſtratis, memorem, in antiquum illud *P. Cornelii Severi* Carmen, *Aetna* inſcriptum, tam eruditos

ille,

ille, tamque ſucci plenos, aſſumto *Theodori Goralli* nomine, Commentarios excudit, ut ducem hunc ſequentes, iam per horrida illa & vepribus ac dumetis undique veſtita montium iuga tutum ſibi eſſe ac expeditum iter gaudeant. Eſt inter eos Scriptores numerandus *Cornelius*, quorum genus dicendi valde perplexum ac diſtortum eſt; ut habeant hic, in quo explicando exercere poſſint ingenium ſuum, etiam Criticorum maximi & acutiſſimi. Fuerunt igitur, qui purgando huic ſtabulo manum admoverent, pauciſſimi; & hi ipſi laboris, ſatis per ſe operoſi ac moleſti, parum proſperos ſucceſſus habuerunt. Vel unus ille *Scaliger*, cuius & magnum omni tempore inter Criticos nomen, & eximia in hoc genere eruditio, fuit, quam inutilem in emaculando *Severo* operam poſuerit, ſatis docere illa poſſunt, quæ multis eius, iisque veri ſpecie non deſtitutis, animadverſionibus ſunt a *Clerico* oppoſita. Is, omnibus illis, quibus opus eſt carminis antiqui, & explicatu per ſe difficilis, interpreti, ſubſidiis inſtructus, & eorum Auctorum, unde ſua hauſerat *Cornelius*, lectione imbutus, tam probabiles in emendando æque ac explicando ſecutus eſt rationes, ut, ita, non aliter, emendari, ita, non aliter, explicari, debere, nemo lectorum invitus agnoſcat. Eſt hoc meum de *Clerici* in *Severum* meritis iudicium, cuius nec ideo pœnitere me debet, quod in moleſto hoc & maxime infeſto itinere ita lapſum aliquando virum bonum, ſicut in longe expeditiori via Criticorum maximos, appareat. Si quis igitur, id nunc agere me videns, ut, quicquid mihi in pulchro il-

lo

lo corpore notatum macularum eſt, id aut mei ipſe ope ingenioli eluam, aut certe eluendum aliis proponam, eo nomine malum mihi animum, & carpendi quoddam ſtudium, obiiciat, næ eum eſſe valde moroſum, & in æſtimandis hominum factis parum humanum, oportet. Eam nobis, qui literarum ſacra procuramus, poſitam eſſe legem ſcimus, ne dictis aliorum, niſi diligenter examinatis, aſſenſum præbeamus; eſtque ea res, ſi nec cum contemtu eorum, qui inter præclaros multos feliceſque conatus aliquando errarunt, nec cum vana oſtentatione doctrinæ, ſit coniuncta, bona, & ſalutaris literis, putanda. In quo ipſe nobis exemplum, quod imitemur, *Clericus* præbuit, qui, bene intelligens, quantum a parte altera *Scaligero*, ab altera veritati, deberet, utrique eum honorem habuit, ut nec de obtrita laude ſua *Scaliger* conqueri, nec neglectam ſe dolere veritas, poſſit.

Itaque *verſu* huius Carminis 24, & qui hunc ſequuntur, ita *Severus*:

Fortius ignotas molimur pectore curas,
Qui tanto motus operi, quæ cauſa perennes
Explicet in denſum flammas, *eructet ab imo*
Ingenti ſonitu moles, & proxima quaque
Ignibus irriguis urat.

Ubi verba: *Quæ cauſa perennes explicet in denſum flammas*, in *Interpretatione*, Carmini adiuncta, ita explicat *Clericus*: *Quæ nimirum perennis cauſa per denſam terræ molem flammas in Ætna expediat;* & in *Nota* hæc addit: *Expediat flammas in tam denſa materia, eamque comburat.* - -

poſt

poſt denſum *ſubaudiendum* ſolum, *aut quidpiam ſimile.* Hoc igitur magiſtro ſub voce *denſum* intelliges *ſolum*, & formulæ, *expedire flammas in denſum*, hunc ſenſum tribues, ut notet *flammas expedire in denſa materia.* In quo ſatisne aſſecutus ſit mentem *Cornelii*, duplex mihi dubitandi cauſa eſt: altera, quod, ſi verbis hæc ſubeſſe vis exiſtimetur, rem eandem bis dixiſſe putandus ſit Poeta; habent enim, quæ ſequuntur, verba: *& proxima quæque ignibus irriguis urat*, nihil diverſam ab hac, quam alteri formulæ *Clericus* tribuit, ſignificationem; quæ cum ita manifeſta ſit, ut dubitationi nulli locum relinquat, hinc recte colligas, alio, quæ paulo ante leguntur, verba accipienda ſenſu eſſe; altera, quod ipſa Latinæ linguæ ratio doceat, illud *in denſum* non de loco, *in quo*, ſed de eo, valere, *in quem* explicantur flammæ, vixque adeo dici poſſit, *explicare flammas in denſum* idem eſſe, quod *expedire in denſa materia*, quæ, cum flammis ſit domicilii loco, & cum his nata, materia, non eſſe poteſt locus, ille, quem, cum explicantur, petunt flammæ. Non enim formula hæc *Severi*, *explicare in denſum*, aliter explicari debet, ac *Ovidiana* illa, *explicare in longum*, quæ eſt in *Carminis ad Liviam Auguſtam*, ſi quidem *Ovidio* id recte tribuitur, *verſu* 251:

Paret: & in longum *ſpatioſas* explicat *undas;*

ubi *in longum* idem eſſe, quod *in longo*, ſcilicet *ſpatio*, hoc minus aliquis dixerit, quo clarius patet, illud formula hac ſpatium notari, quod occupatur ab undis, loco ſuo motis, &

curſu

curſu celerrimo huc illuc profluentibus. Accedit his alia, ſatis & ipſa momenti habens, ratio: quod vix oſtendi ex vetere Auctore locus poſſit, in quo *ſolum*, aut ſimile quidpiam, dicatur *denſum*. Præſtat igitur, meo iudicio, *denſum* hoc ad vocem ſatis antiquis cognitam, quam ad inſolitam & nuſquam auditam, referre, inprimis ſi, quæ uſitatior fuit, melius accommodari ad mentem Poetæ, quam inſolita altera, poſſit. Et quidem obſervaſſe mihi videor, vix rem ullam aliam Auctoribus antiquis, maxime vero Poetis, frequentius vocari *denſam*, quam immenſum illum & concretum aerem, qui totum terrarum orbem ambit, & hunc imbribus, nimbis, procellis, auget. Sic enim *Horatius Lib. II Od. VII v. 14:*

> *Sed me per hoſtes Mercurius celer*
> Denſo *paventem ſuſtulit* aere;

& ſic *Ovidius*, cuius verba *Cornelianis* prorſus ſunt ſimillima, & egregie nobis Poetæ noſtri mentem aperiunt, *Met. XV, 250:*

> *Ignis enim* denſum *ſpiſſatus in* aera *tranſit.*

Etiam *Quinctiliano denſatus aer* dicitur *Inſt. Or. V, 9: Nam ſi vento rubet Luna, ſignum venti eſt rubor.* *Et ſi, ut idem Poeta colligit,* denſatus *&* *luxatus* aer *facit, ut ſit inde ille avium concentus, idem ſentiemus.* Hinc nempe *nubes, nebulæ, venti*, & ſimilia, *denſa* ſunt *Virgilio Ge. I, 445:*

> *Aut ubi ſub lucem* denſa *inter* nubila *ſeſe*
> *Diverſi rumpent radii;*

& *III*, 196:

Qualis hyperboreis Aquilo *cum* denſus *ab oris*
Incubuit;

& *Æn. V*, 696:

— — — *ruit æthere toto*
Turbidus inter aquam, denſisque *nigerrimus* auſtris;

& *VI*, 592:

At pater omnipotens denſa *inter* nubila *telum*
Contorſit;

& *Ovidio Met. XI*, 572:

— — denſis *texit ſua* nubibus *ora;*

& *XV*, 537:

— — denſas *obiecit Cynthia* nubes.

Bonum igitur hoc, & veterum Auctorum uſu commendatum, ſi in mente fuiſſe Poetæ noſtro vocabulum, *aer*, fingatur; planum omni ex parte, certe planiorem, quam ſi *Clericum* ſequaris, verborum ſenſum habebis. Eſt, ut omnes ſciunt, proprium hoc ignis, ut in ſublimem aera feratur, &, quo fortior eſt, hoc flammas ſuas longius emittat. De illis igitur flammis, quæ in profundis montis Aetnæ cavernis generantur, hoc verius dicere Poeta potuit, has *in denſum aera explicari*, quo certius conſtat, vehementiſſimo has impetu efferri, &, ſuis quaſi viſceribus egreſſas, per finitimas quasque regiones, cum magna harum calamitate & pernicie, diſſipari. Nec in ipſo verborum Poetæ contextu, huic contrarium interpretationi, quidquam invenio. Bene enim & probabiliter *Seve-*

rus

rius dixit, in eo operam ſe poſiturum, ut oſtendat, quæ ignium Ætnæorum cauſa & origo ſit, qua vi eædem flammæ in ſublimem illum, qui univerſum ambit montem, aera ferantur, magnæ molis ſaxa eructent, & proxima quæque aut adurant, aut infelici incendio perdant.

In his *v. 132:*

Quodſi præcipiti conduntur flumina terra,
Condita ſi redeunt, ſi qua ante incondita *ſurgunt,*

rejecto, quod eſt in editione Veneta, *incondita*, legere nos *incognita* iubet *Clericus*. Cauſam non addit, niſi hanc unam: quod minus placeat *incondita*. Quæ ſi locum habere poteſt; mihi viciſſim hæc venia detur, ut dicere liceat: minus mihi *incognita*, quam *incondita*, placere, & mirum videri, quod in hoc uno ab editione Veneta diſcedat *Clericus*, qui in ceteris fere omnibus conſtanter hanc ſequitur. Nimirum hic, non quid diſpliceat, ſed quid placeat magis, quæritur. Si qua igitur vox melior non ſuppetit; facile patior, *incognita* legi; iam, cum *incondita* exſtet in caſtigatiſſima editione, lubens hanc vocem alteri prætulerim. Nihil enim hac accommodatius ad mentem *Cornelii*, qui, ſub ipſis terræ viſceribus vias quasdam & meatus eſſe, hoc argumento oſtendit, quod flumina alia, quæ præcipiti terra fuerant condita, elabendi, & quaſi in lucem redeundi, viam inveniant, alia, quæ minime conſtet terra ante condita, repente, per terræ rimas emiſſa, magno impetu in diſſitos quosque agros excurrant. Ipſa igitur orationis ſeries, & verborum nexus, probabilem hanc, quam habet Veneta editio, lectionem facit, parte

magis hanc, quam alteram, a *Clerico*, ni fallor, ef-fictam, commendat. Nec ſuſpecta eſſe hæc, quæ eſt in verſu *Severi*, vocis *inconditus* ſignificatio debet, quæ, ſi inter parum uſitatas recte numeratur, non ideo nulla eſt dicenda. Satis eſt, ſi *conditus* idem notet, quod *abſconditur*, etiam *inconditus*, quod idem eſt, ac *non conditus*, eam habere vim debere, ut *non abſconditum* ſignificet. Nam, ſi voci huic præter eam, qua *inconcinnum*, *inſulſum*, notat, ſignificationem eſſe nullam contendis, quid dices de verſu *Lucani*, qui eſt VI, 101:

> *Sed languor cum morte venit, turbaque cadentum*
> *Aucta lues, dum mixta iacent* incondita *vivis*
> *Corpora;*

ubi *incondita* eſſe idem, quod *non ſepulta*, vix dubium lectorum uni erit. Taceo, in verſu *Virgilii Ecl. II*, 4:

> — — *ibi hæc* incondita *ſolus*
> *Montibus & ſilvis ſtudio iactabat inani*,

ita hanc vocem interpretari *Servium*, ut idem valere poſſit, quod *inconſcripta*, & huc trahere illa *Salluſtii* in Fragmento *Iugurthini*: *At illi, quibus vires aderant, ruere cuncti ad portas*, incondita *tenere;* ubi tamen, nunc ſunt, qui legant *incognita*, quo auctore, aut qua fide, neſcio. Id certe, ſi quid aliud, convenit Latinæ linguæ rationi, ut, quæ habet vocabulum *conditus*, eadem alteri *inconditus* genera ſignificationum tribuantur.

A *Scaligero*, verſum *Severi* 171:

P Hinc

Hinc venti rabies dum ſævo quaſſat hiatu
Fundamenta, ſolo *trepidant, urbesque caducæ,*

ita emendante, ut pro *ſolo* legat *ſola,* ideo diſſentit *Clericus,* quod raro *ſola* in plurali numero occurrat, nec aliud ipſe exemplum, niſi unius *Columellæ,* proferri videat. Quæ ſi una ei, reiiciendi emendationem *Scaligeri,* ratio fuit, non erit, cur *Clerici* potius, quam *Scaligeri,* me partibus adiungam. Nam, quod, præter illum *Columellæ,* quem nec ipſum mihi ſatis fateor cognitum, ullum exſtare locum alium, *ſola* plurali numero exhibentem, negat, id minus verſatum in lectione Auctorum veterum oſtendit, quam eſſe oportet eum, qui tale quid perſuadere aliis conatur. Non, ſi diligenter ſatis *Catullum* & *Virgilium* legiſſet, effugiſſet interpretis noſtri oculos illius *verſus* 40 *Carminis LXIII:*

Sed ubi oris aurei ſol radiantibus oculis
Luſtravit æthera album, ſola *dura, mare ferum;*

in hoc autem legiſſet *verſum Ge. I, 80:*

— — — *arida tantum*
Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola.

Quæ loca coniecturam *Scaligeri* egregie tuentur, etiamſi non utendum putes auctoritate *Rufi Feſti Avieni,* ſatis antiqui Scriptoris, qui in *Deſcriptione orbis terræ* (a), non ineleganti carmine, adeo a vocis *ſolum* numero plurali abſtinendum non putavit, ut vel ex uno hoc carmine exempla proferri

(a) Habes hanc in *Geographiæ veteris Scriptoribus Græcis minoribus,* a *Io. Hudſono* editis, *Vol. IV.*

ferri pæne infinita poſſint. Mihi inter legendum hæc ſunt collecta: *v.* 133:

Ac procumbentis ſola *propter pinguia Phaſti*
Prona maris cautes extenditur;

v. 272:

— — *qui nigras propter Erembas*
Extremi Libyæ curvo ſola *vomere*] *ſulcant;*

v. 388:

Iſtius extenti ſola *ceſpitis undique ſulcant*
Gentes innumeræ;

v. 488:

Hunc circa multa ſola *ſulcant proxima gentes;*

v. 503:

— — *ſcrupus* ſola *creber iniqua*
Aſperat;

v. 747:

Hæ numero geminæ, pingues ſola, *ceſpitis amplæ;*

v. 754:

— — — *aera pulſant*
Vocibus, & crebris late ſola *calcibus urgent;*

v. 884:

Ceſpitis eoi tenuit ſola;

v. 1027:

— — — *undaque longe*
Vicina Euxino rupti ſola *ceſpitis urget;*

v. 1073:

Nec minus hic Tripolis pingui ſola *porrigit agro;*

v. 1201:

Aurum tecta operit, ſola *late contigit aurum;*

v. 1245:

v. 1245:

Sed quadrupedum sola ſemper curſus æquorum; & denique *v. 1312:*

Pars ſubit abrupti ſola *ceſpitis.*

Alia exempla idem *Avienus* in alio carmine, *Ora maritima* (b) inſcripto, præbet. Hic enim *v. 442:*

orba cultorum ſola
Squalent jacentque;

& *v. 637:*

Hiantis antri vi truci ſulcat ſola.

Quod in *verſu 175:*

Hæc primo cum ſit ſpecies naturaque terræ,
Introrſus ceſſante ſolo, trahit *undique* venas;

pro *venas Clericus* legendum putat *ventos*, in eo, nollem, indulſiſſet ingenio, nimis ad emendandum proclivi. Eſt hæc eorum, qui de re critica ſapienter judicant, communis ſententia, tuendam inprimis, ſi ſanum habeat commodumque ſenſum, lectionem vulgatam eſſe, nec conjecturis ſupervacaneis minusque neceſſariis bonos Scriptores onerandos. Legatur, per me licet, *ventos*, cum *Clerico*, & ad eam firmandam lectionem locis, quæ attulit *Juſtini* & *Ariſtotelis* utatur, ſi emendatione opus eſſe huic loco, ſat certo conſtet; jam, cum nihil ſit cauſæ, cur tollatur illud *venas*, idque prorſus accommodate ad mentem *Cornelii* explicari poſſit, antiquæ lectionis patrocinium ſuſcepturi non immerito videmur. Lege Poetam, & ex contextu

(b) Exſtat & hoc in *Geographiæ veteris Scriptorum Græcorum minorum*, ab *Hudſono* editorum, *Volumine IV.*

carminis intelliges, id velle *Severum*: terræ hanc naturam eſſe, ut, ceſſante hic & illic ſolo, ex omni parte rimas agat, quæ non tam ventis, (etſi etiam, his,) quam ipſis flammis, de quibus ſermo Poetæ, viam præbeant. Hæc deinde quaſi explicantem, & pluribus confirmantem, Poetam audi:

Ætna ſui manifeſta fides, & proxima vero eſt.
Non illic, duce me, occultas ſcrutaberè cauſas,
Occurrent oculis ipſæ, cogentque fateri;
Plurima namque patent illi miracula montis.
Hinc vaſti terrent aditus, merguntque profundo;
Corripit hinc artus, penitusque quod exigit ultra.
Hinc ſpiſſæ rupes obſtant, diſcordiaque ingens
Inter opus; nectunt varias, mediasque coercent,
Pars igni indomitæ, pars ignes ferre coactæ;
Ut maior ſpecies Ætnæ ſuccurrat inanis.

Nimirum *venæ*, non *venti*, occurrunt oculis; nec eſſet illa, quam ait Poeta, in iis, quæ intra Ætnam ſunt, *diſcordia*, niſi a venis illis eſſet, quæ ſpeluncas a rupibus diſtinguunt, & igni patent, elabendi viam quærenti. De ventis hic ne verbum quidem; etſi hæc ita interpretantem videam *Clericum*, ut ubique ventos nominet, qui, ſi in illo *Severi* verſu *venas* potius, quam *ventos*, legas, recuſant nominari. Nec quidquam eſt in formula, *terra trahit venas*, quod ſuſpectum eſſe aut *Clerico*, aut tibi, Lector, ipſi, debeat. *Venam*, cum de terra uſurpatur, notare *rimas*, ſeu *meatus ſub terra occultos*, & aliunde notum omnibus puto, & ex ipſius *Severi* loco non uno patet. Nam *v. 98*:

Non

Non totum eſt ſolidum; deſit namque omnis hiatu,
Secta eſt omnis humus, penitusque cavata latebris,
Exiles ſuſpenſa vias agit, inque animantis
Per tota errantes percurrunt corpora venæ,
Ad vitam ſanguis omnis qua commeat idem,
Terra foraminibus conceptas digerit auras;

& *v.* 153:

Hinc terræ tremor, hinc motus; ubi denſus hiatu
Spiritus exagitat venas, *ceſſantiaque urget;*

quem ad locum ipſe *Clericus* illa adducit *Senecæ Natur. Quæſt. Lib. VI Cap.* 14: *Cum aliquid peccatur, tunc velut ægri corporis motus eſt, ſpiritu illo, qui modeſtius perfluebat, icto vehementius, & quaſſante* venas *ſuas.* Quæ ut melius intelligantur, addimus, quæ deinde *Seneca: Deinde per aliquam* rimam *maligne fugit* (ſpiritus), *& hoc acrius fertur, quo anguſtius. - - - At, ſi nec* rimam *quidem, per quam effluat, invenit, conglobatus ille furit,* &c. Sed ita etiam *v.* 283 *Cornelius:*

— — *ſeu terra minutis*
Rara foraminibus in venas *abſtrahit auras;*

& *v.* 323:

Haud ſecus adſtrictus certamine tangitur ictu
Spiritus, involvensque ſuo ſibi pondere vires
Denſa per ardentes exercet corpora venas;

ubi rectius legi *venas*, quam *nervos*, quod habet antiquior Veneta editio, ideo videtur ipſi *Clerico*, quod *venas* vocare ſoleat *Severus meatus ſubterraneos*, per quos venti feruntur. Nec male ita *Se-*

verus, habens, quem ducem ſequeretur, *Virgilium Ge.* I, 91:

Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua ſuccus in herbas:
Seu durat magis, & venas adſtringit hiantes;

&, præter hunc, multos alios, ſed quorum loca addi, non eſt opus. De verbi autem *trahere* ea, quæ eſt in formula, *trahere venas*, ſi quis dubitandum notione putet; ei ignotas eſſe oportet tot, uſurpatas probatiſſimis Auctoribus, formulas, in quibus *trahere* vim, quam *capere, accipere*, eandem habet. Tales ſunt *maturitatem trahere*, apud *Columellam de R. R.* I, 6, 20: *Vina celerius vetuſteſcunt, quæ fumi quodam tenore præcocem* maturitatem trahunt; & *noxam trahere*, apud eundem *Columellam* VI, 27, 13: *Nam id præcipue genus pecudis amore natorum, niſi fiat poteſtas, no*xam trahit; & *ſaporem trahere*, apud eundem XII, 50, 21: *Si excoctus eſt, etiam vermiculorum, ceterarumque immunditiarum*, ſaporem trahit; & *colores trahere*, apud *Virgilium Aen.* V, 89:

— — — — ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo ſole colores.

In his & harum ſimilibus ſexcentis, ſi, quod reprehendas, nihil eſt, nec erit, cur miniata cerula hæc, quam dixi, generis & ſignificationis eiusdem formula *Severi* notetur. Quid? quod ipſum hac utentem *Ciceronem* videam *Lib.* II *de Nat. Deor. Cap.* 55: *Huc adde nervos, - - qui, ſicut* venæ *& arteriæ, a corde* tractæ *& profectæ, in corpus omne*

omnes dicuntur. In quo tamen *Ciceronis* loco, facile patior, proprium magis, quam in verſu *Severi*, formulæ ſignificatum agnoſci.

Quid ſit *parvum, aut tenue, diſcrimen* in his *Cornelii v. 188:*

Nunc opus artificem incendit, cauſamque repoſcit,
Non illam parvi, aut tenuis, diſcriminis; *ignes*
Mille ſub exiguo ponent tibi tempore veras
Res, oculique duces certo rem credere cogent,

ita nos docet *Clericus*, ut difficile ſit, ei aſſenſum præbere. Cauſam, quam non facile diſcriminare ab aliis commentitiis queamus, quippe parvo & tenui diſcrimine ſecernendam, hanc *parvi*, ait, *aut tenuis, diſcriminis* vocari *Cornelio*. Longius petita, & ob id parum probabilis, explicatio; quam ſi admittas, obſcurius locutum *Severum* patet, quam aut ipſe, aut alii Scriptores quicunque, ſolent. Minus difficiles illa *Severi* verba explicatus habent, modo cognitam ſatis ex Auctoribus antiquis vocis *diſcrimen* vim & notionem habeas. Proprie *diſcrimen* dicitur illud *ſpatium, quo res altera ab altera diſtinguitur,* & quod interiectum inter utramque eſt. Hoc ſenſu *Tullius* in *Or. II contra Rullum Cap. 32: Erat enim* (Corinthus) *poſita in anguſtiis atque in faucibus Græciæ, ſic, ut terra clauſtra locorum teneret, & duo maria maxime navigationi diverſa pæne coniungeret, cum* pertenui diſcrimine *ſepararentur;* & *Plinius Hiſt. nat. Lib. VIII Cap. 33* de Chamæleonte: *Oculi in receſſu cavo,* tenui diſcrimine *prægrandes, & corpori concolores;* quod recte explicat *Harduinus,*

tenui diſcreti inter ſe ſpatio, iidemque prægrandes. Ita etiam *Virgilius Aen. V*, 154:

— — *Poſt hos æquo* diſcrimine *Priſtis*
Centaurusque locum tendunt ſuperare priorem;

& *Lucretius V*, 689:

Diſtinet æquato cælum diſcrimine *metas.*

Eadem vocis ſignificatio eſt in uſitatiſſima Poetis antiquis formula, *tenui*, aut *parvo*, *diſcrimine leti*, aut *rerum*, quæ eſt in *Maronis Aen. IX*, 143:

— — *quibus hæc medii fiducia valli,*
Foſſarumque moræ, leti diſcrimina parva,
Dant animos;

hoc eſt, ut recte interpretatur *Ruæus*, *quæ parum eos diſterminant a morte;* & *X*, 511:

Nec iam fama mali tanti, ſed certior auctor,
Advolat Aeneæ, tenui diſcrimine leti
Eſſe ſuos;

hoc eſt, parum diſtare ſuos ab exitio; et *III*, 685:

— — *Scyllam atque Charybdim*
Inter utramque viam, leti diſcrimine parvo,
Ni teneant curſus.

Etiam *Ovidius Met. VII*, 426:

Attonitus tantum, leti diſcrimine parvo,
Committi potuiſſe nefas;

& *Columella Lib. X v.* 410:

At nunc expoſiti parvo diſcrimine leti,
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi;

& *Valerius Flaccus III*, 712:

Sæpe

Sæpe metu, ſæpe in tenui diſcrimine *rerum,*
Herculeas iam ſerus opes, ſpretique vocabis
Arma viri.

Taceo alia loca, quæ paſſim ſunt obvia. A proprio hoc ſignificatu ortum habet minus proprius, ſeu translatus, quo *ſpatium quodcumque*, *ſumma rei & momentum*, *diſcrimen* vocatur. Habes hunc in illis *Tullii de Fin. Lib. II Cap. 14: Quam quidem certationem homo & acutus & diligens, Chryſippus, non contemnit, totumque* diſcrimen *ſummi boni in eadem comparatione poſitum putat*; hoc eſt, quæ ſit natura ſummi boni, & in quo illud conſiſtat, optime poſſe intelligi, ſi virtus cum voluptate comparetur. Eandem vocis vim agnoſco in his *Tullii Orat. XIV in Anton. Cap. I: Vos vero, patres conſcripti, conſervate auctoritatem veſtram, manete in ſententia, tenete veſtra memoria, quod ſæpe oſtendiſtis, huius totius belli in unius viri fortiſſimi & maximi vita poſitum eſſe* diſcrimen, hoc eſt, omne momentum belli in huius viri ſalute verti. Et hoc ſenſu accipio *diſcrimina* in verſu *Maronis X, 529:*

— — *Non hic victoria Teucrum*
Vertitur; aut anima unna dabit diſcrimina
tanta.

Quis enim dubitet, ita hæc debere explicari: Non multum adeo momenti ad belli eventum unius hominis interitus habet. His illa *Lucretii* accedant *III, 726:*

— — *Hoc tamen eſt ut*
Quærendum videatur, & in diſcrimen *agendum;*

ubi

ubi formulam, *in diſcrimen agere*, non male interpreteris: *rem præ aliis omnibus dignam, in quam inquiramus, iudicare.* Hanc ipſam, ni fallor, notionem vocis in mente habuit *Cornelius*, cum *parvi, aut tenuis, diſcriminis cauſam* dixit. Nihil his verbis aliud ſignificare voluit, quam *parvi & exigui momenti cauſam*, quæ lubrico fundamento, dubiis coniecturis, incertis narrationibus, nititur. Optimus enim verborum ſuorum interpres ipſe *Severus* eſt, &, quam dixi, eſſe vim verborum, ipſa hæc, quæ illis ſunt ſubiecta, docent.

— — — *ignes*
Mille ſub exiguo ponent tibi tempore veras
Res, oculique duces certo rem credere cogent.

Non eſt, inquit, illa cauſa parvi æſtimanda, quæ a tot rebus certis arceſſitur, & quam veram eſſe, modo oculis tuis fidem habeas, negare non potes.

In his *Severi v. 223*:

Non oculis ſolum pecudum miranda videre
More; nec, effuſis in humum, grave paſcere corpus;
Noſſe fidem rebus, dubias agnoſcere cauſas,
Sacra perurgentem, capitique attollere cœlum,

ubi *Clericus* cum *Scaligero* legendum ſtatuit, *caput atque attollere cælo*, liceat mihi pugnare pro vulgata lectione, in qua, nihil video, quod offendere lectores poſſit. Hypallagen agnoſco in his *Severi* verbis, veteris ævi Poetis uſitatiſſimam, nec ipſi *Severo* incognitam. Quid enim? Si nihil abſoni habent illa eiusdem *Severi v. 55*:

— — *removet caligine mundum,*

hæc-

hæcque pro *removet mundo caliginem* per hypallagen dicta, ipſe *Clericus* agnoſcit; cauſam non video, cur minus ferendum putetur *capiti attollere cælum*, pro *caput attollere cælo* poſitum, in qua quippe formula inverſus ſimiliter, ac in altera illa, ordo verborum apparet. Sane ipſum ita loqui *Maronem* haud puderet, qui, eadem dicendi licentia, *Aen. III, 61:*

Linqui pollutum hoſpitium, & dare claſſibus auſtros;

& *VIII, 542:*

Et primum Herculeis ſopitas ignibus aras
Excitat;

nec adhuc, quod ſciam, in Criticorum eo nomine reprehenſiones incurrit. Utatur igitur eodem iure *Cornelius* meus, & de tali dicendi genere, quod mutuo ſumtum eſt a Poetarum Romanorum principe, laudem aliquam ferat. Taceo, numeroſiorem multo & ſonantiorem eſſe verſum hunc:

— — *capitique attollere cælum,*

quam illum, a Criticis noſtris effictum:

— — *caput atque attollere cælo,*

qui duri aliquid habet, & ab imitatore *Virgilii* vix exſpectandus videtur.

Ab his, quæ ad *verſum 279:*

Unde repente quies, & multo fœdere pax ſit,

notata ſunt a *Clerico*, vellem abſtinuiſſet Vir doctiſſimus, ne, quam parum ipſe verſatus in proſodiis eſſet, manifeſtum omnibus faceret. *Tametſi*, inquit, *hic nihil mutari volo, attamen libentius*

tius legerem, & inito fœdere. Quæ ſi ſtare debet emendatio, ſyllabam mediam in *inito* eſſe longam oportet, quæ non ex Grammaticorum tantum legibus, quas ignorare non debebat *Clericus*, ſed ex veterum etiam Poetarum uſu, brevis eſt. Ex *Naſone*, ut alios nunc taceam, nota ſunt hæc *Ep. her. IV*, *67*:

Tempore, quo vobis inita *eſt Cerealis Eleuſin*;

& *Faſt. III*, *147*:

Hinc etiam veteres initi *memorantur honores.*

Valeat igitur hæc emendatio, in quam vix puer aliquis ex ſchola incideret. Me ſi ſequendum ducem putes, aut in lectione vulgata, quæ nihil inepti habet, & commode explicari poteſt, acquieſce, aut pro *multo* lege *iuncto*, quod & forma literarum proxime accedit ad *multo*, &, quam *inito*, vim eandem habet. Adde, quod formulæ, *iungere fœdus*, magna ex *Marone*, quem imitatum in multis *Severum* apparet, auctoritas eſt. Illius hæc ſunt loca: *Aen. IV*, *112*:

Miſcerive probet populos, aut fœdera iungi;

VII, *546*:

Dic, in amicitiam coeant, & fœdera iungant;

VIII, *56*:

Hos caſtris adhibe ſocios, & fœdera iunge;

VIII, *641*:

Stabant, & *caſa* iungebant fœdera *porca*;

& *XII*, *822*:

— — *cum iam leges* & fœdera iungent.

Simili errore ridendum ſe nobis dedit *Clericus*, cum in *verſu Severi 319*:

His

His igitur cauſis extra, penitusque coacti
Exagitant venti, pugnantque in faucibus, arcte
Pugnantes ſuffocat & intus, *ut unda profunda*
Terque quaterque exhauſta graves ubi pertulit
Euros,

pro *pugnantes ſuffocat & intus*, quod eſt in *Aldina* editione; & aptum omnino ſenſum habet, legere nos, inverſo verborum ordine, *pugnantes & ſuffocat intus*, iubet. Cauſam ita emendandi requiris? At, ideo factum hoc, ait *Clericus*, ut ſtaret verſus, quem tamen paulo duriorem agnoſcit, quod cæſura careat. Quaſi vero non melius ſtaret verſus, ut in *Aldina* legitur, quam ex *Clerici* hac emendatione, quæ inelegantem valde verſum nobis exhibet, nec exſpectari niſi ab homine imperito admodum ſyllabarum poterat. Non brevem, ſed longam, vocis *ſuffoco* ſyllabam mediam eſſe, ſi forte ex Poetarum exemplis non habebat cognitum, quorum luculentiſſimum illud eſt *Lucretii III, 904*:

Aut in melle ſitum ſoffocari, *atque rigere*
Frigore;

vel inde coniicere ſat certo poterat *Clericus*, quod origo ſit huic vocabulo a voce *faux*, quam, una ſyllaba conſtantem, nec eſſe, nec eſſe poſſe, brevem, vel tirones ſciunt. Nam, quod *Scaliger*, & cum eo nonnulli, a *focus* verbum aliquod *ſuffocare* ducunt, idque inveniſſe ſibi videntur in verſu *Propertii III, 8, 84*:

Dein, quemcunque locum externæ tetigere puellæ,
Suffocat, & pura limina tergit aqua;

dudum oſtendit *Ianus Brouckhuſius*, vir doctiſſimus,

mus, in caſtigatiſſimis *Propertii* exemplaribus pro *ſuffocat* legi *ſuffit*. & ſic recte emendateque le- gi; cumque hi, qui verbum *ſuffoco*, media brevi, defendunt, nulla ſe alia, niſi huius ipſius loci, auctoritate tueantur, hinc aliis tibicinibus opus futurum verbo tam novo; ſi ei in veteri Latio lo- cus ſit tribuendus. Nec, ſi vel illud detur *Clerico*, eſſe aliquod, a *focus* ductum, verbum *ſuffocare*, ideo recte ab eo factum, quod hoc potius ver- bum, cuius, ſi qua eſt, alieniſſima a loco Poetæ noſtri ſignificatio eſt, quam alterum illud, a *fauce* compoſitum, &, ut ex locis Auctorum bene mul- tis patet, vim *ſupprimendi* habens, in verſu hoc *Severi* agnovit.

Ad reliqua proxime progrediemur.

IX.

GISBERTI CUPERI
AD
THEOD. IANSSONIUM AB ALMELOVEEN
EPISTOLÆ,
QUINTUM CONTINUATÆ,
ET FINITÆ.

EPISTOLA XXII.

Argum. *Inter leviora nonnulla, Paſſionei Comitis laudes hic leguntur.*

Do-

Doleo vehementer, te *Paſſioneum* Comitem non vidiſſe vel Amſtelædami, vel Harderovici. Perſpexiſſes enim ſumma tua cum voluptate, virum illuſtrem in penetralia humanioris ſtudii, ſive ſacri, ſive profani, admiſſum eſſe, & ſummo amore caſtas illas & perpulchras Muſas proſequi.

Fuit mecum per decem dies,& verbis vix tibi exprimere poſſum, quam hilares & alacres inter libellos meos, & præcipue MSS. eos transmiſerimus.

Conſtituerat te adire, & frui dulciſſima tua confabulatione, ſed mare clauſum & acerba hyems fecerunt, ut hodie petierit Traiectum ad Rhenum, idque vel ideo, quia iter brevius, & quia, huc a vobis veniens, una cum curru deiectus fuit ab auriga, cui propterea a me præſide dictum eſt iuſſu ſenatus, ut per ſex hebdomadas domi ſedeat.

Caro tibiæ læſa fuit, & vix dum ſanata; nec preces, vel rationes, retinere potuerunt virum inſignem, quia propediem conſtituit traiicere in Britanniam, & antea cum eruditis Traiectenſibus colloqui, fidemque mihi fecit, reducem te etiam viſurum, ad quod faciendum ipſe currenti addo calcaria, quia optime novi, tibi variarum ineditarum Diſſertationum, vel epiſtolarum, eſſe magnam copiam, & quia ipſe dives es inſigni penu, & quotidie ſingulari meo cum gaudio promoves pomeria eruditæ reipublicæ.

Lætor autem, villicam tuam recepiſſe *Paſſioneum* noſtrum ædibus tuis, & laudat valde illius munditiem & humanitatem; nec non officia, quæ eidem præſtiterunt *Weſtenbergius* & *Houtenus*. Quin & ego plurimum me *Weſtenbergio* debere confiteor libens lubens, quod, te abſente, non deeſſe nolit viro illuſtri, quem procul dubio perſpexit eſſe optimis artibus innutritum,et aliis præclaris virtutibus fulgentem.

Reſponde literis meis prioribus, ubi commodum erit. Noſti ingenium meum, & me cauere, ut amicis moleſtus ſim; &, quanquam me inprimis oblectem talibus reſponſis, qualia a te ſolent proficiſci, tamen maiorem rationem habeo negotiorum tuorum, quam meæ voluptatis.

Antonium noſtrum obiiſſe doleo; ſed ſenex erat, & ſenectus ipſa morbus. Vix credo hæredes aliquid ſervare, quod in lucem dari poſſit, quia moleſtiæ, quibus conflictatus per aliquot fuit annos, ipſi eripuerunt omnem illum eruditum impetum. Vale. Dau. 14 Dec. 1708.

EPISTOLA XXIII.

Arg. *De Caſaubono varia commemorari in Colomeſianis, refert. An exſtet aliquis Salmaſii de Annulis liber, requirit.*

Quod me tam amice exceperis, gratias ago, & meminero, ſemper confabulationis, quam tecum & cum celeberrimo *Meyero* habui.

In

In ſuburbano meo dum per diem fui frigida hac & incommoda tempeſtate anni, incidi in *Colomeſiana*, quæ inſerta ſunt auctiora *Tomo VI Miſcellaneorum*, vel Gallice, *Oeuvres melées de Mr. de Saint-Evremond*, animadvertique *pag.* 207, 222, & 223, nonnulla commemorari, quæ vitam *Caſauboni* ſpectant, quæ, ſi te fugerunt, digna certe ſunt, quæ inſerantur vitæ viri maximi, quam nobis dabis accuratam & politam.

In prima *Colomeſianorum* editione illa non inveniuntur, & ſecunda careo, ſed invenies ea in libro, quem deſignavi.

An unquam legiſti, *Salmaſium* ſcripſiſſe *de annulis?* De illo libello ita loquitur *Colomeſius pag.* 229, tanquam iuris publici factus ſit.

Ultimæ epiſtolæ reſpondebo, ubi plus otii nactus fuero, & ab amicis Gelris ero vacuus; & tunc varias animadverſiones ſimul mittam, unde Faſti tui vel illuſtrari poſſunt, vel certe materia tibi ſuppeditari, in quam incumbere poſſis; ſunt enim capita nonnulla difficiliora. Vale etiam atque etiam. Dav. 24 Maii 1709.

EPISTOLA XXIV.

Arg. *Tota occupatur in Faſtis Romanis & augendis, & emendandis, & illuſtrandis.*

Nullus dubito, quin acceperis a *Meyero* noſtro literas, quas XXIV proximi menſis die ad

te dedi; nunc, licet faſces penes me ſint, tantum tamen mihi otii eſt, ut poſſim reſpondere tuis, ſcriptis ad me a. d. Cal. April. huius, quem vivimus, anni.

Ego viros doctos, & inter eos *Harduinum*, ſecutus, putavi, notam numeralem I. non adiici Conſulatui, quem aliquis primus geſſit; addebamque, me tamen alicubi exemplum eiuſcemodi obſervaſſe, ſed illud propterea damnari περιοδευμένως. Nunc muto ſententiam, & perſuaſus omnino ſum, rem aliter ſeſe habere, & ſcriptum ſubinde fuiſſe CONS. vel COS. I. Nec te ea de re dubitaturum arbitror, ſi legere velis ea, quæ annotavit *Noriſius pag. 90 & ſeq. Parænéſeos* ad *Ioannem Harduinum*, quæ nuper typis Amſtelædamenſium deſcripta eſt. Sed exempla ſunt omnia poſterioris ævi, nec puto illud vel libera rep. vel ſub primis Cæſaribus, uſitatum fuiſſe; id quod & ipſe *Noriſius* fatetur *pag. 93: Cum veteres ſcriberent, in Conſulatu Marii VI. ac Valerii Flacci ſine nota I, quam poſteriori ætate pro libito addebant, vel omittebant.* Adductus in exemplum Conſulatus ille facit, ut ex te quæram, unde cognomen *Nepos* expiſcatus ſis, quod *Mario* das in *Faſtis* tuis, quodque ego a nemine factum eſſe puto. Scio, apud *Tacit. II Annal. 48* memorari *Marium Nepotem*; ſed, annotante *Freinshemio*, a *Seneca* is vocatur *Nepos Mallius*, & deinde *Marius* ille forte nepos fuit *Marii* ſeptimi Conſulis, & propterea videri poſſet ſibi hoc do-

gno-

gnomen ſumſiſſe, quod aliis etiam familiis fuit familiare.

Et, ut hoc addam hac occaſione, anno V. C. 671 attribuis Conſules *C. Marium* & *Cn. Papirium Carbonem*, quos etiam iungit *Val. Max. VII, 6*, 4, uti vidi poſtea annotatum eſſe *Onuphrio.* Vir ille egregie doctus etiam obſervat, alios hunc *C. Marium* facere filium fratris *C. Marii*, ſepties Conſulis, alios vero *C. Marii* filium, auguraturque, illum fortaſſe a *C. Mario* fuiſſe adoptatum, & inde in Tabulis Capitolinis ſcribi *C. Marius C. F. C. N.* In Faſtis, quos *Noriſius* publicavit, notatur hic annus *Gratidiano & Carbone III. Coſſ. Glandorpio* memorantur *M. Marius Gratidius*, *C. Marii* propinquus; *M. Marius Gratidianus F.* bis Prætor, & *M. Marius Gratidius*, *Q. Ciceronis* in Aſia legatus, unde coniecturam facio, apud *Faſtorum* auctorem ſcribi debere *Gratidianum*, & ita forte non *C. Marius*, ſed *M. Marius*, *Gratidianus* annum ſignaſſet, niſi *Caius* ille *Marius* cognomen habuerit *Gratidiani*; videtur enim omnino prænomen illud retinendum eſſe, quia ita in *Faſtis* ſcribitur. *Ciceroni III de Leg. 16* memoratur *M. Gratidius*, & eius filius *Marius Cap. 45 Bruti; M. Gratidius*, *M. Antonii perfamiliaris, cuius præfectus, cum eſſet, in Cilicia eſt interfectus*, & *Lib. I de Orat. M. Gratidianus*, & *Lib. III de Offic. Cap. 16 M. Marius Gratidianus, propinquus Ciceronis*; &, cum idem Orator alibi etiam de his viris loquatur, ego tibi campum iſtum relinquo, & rogo, ut diligenter

iterum inquirere velis in Conſulem anni V. C. 671, vel 672; neque enim mihi tempus eſt illud faciendi.

Lætor ſummopere, tibi probari, quæ de *Eutropio* & *Frontino* monui, & quæ de Conſulatibus variis accuratius annotaſti, mihi utique valde arrident.

De Conſulum nominibus modo propoſitis ab his, modo poſtpoſitis ab aliis, Auctoribus, amplius deliberandum eſt; &, ſi quid obſervo doctrina tua dignum, protinus illud communicabo tecum. Eſt enim profecto ardua quæſtio, maxime cum videas, poſtponi ſæpe eos, qui plus quam ſemel Conſulatum geſſerunt.

Sigonio & tibi facile aſſentior, *Aulum Manlium Livio* reddendum eſſe *II*, 54, quia ita ab ipſo Latino Auctore vocatur in Decemviratu.

Maiorem Conſulem Feſto explicari, *penes quem faſces ſunt, vel is, qui prior factus eſt*, annotavi diu ad *Lipſium* de Magiſtratibus Romanis, quem plurimum augere poſſem; ſed notulæ plane diſperſæ & inconditæ, negotiaque mea non permittunt, ut unquam eas digerere poſſim; & tecum fateor me nondum obſervaſſe, aliquem Auctorem veterem ita appellaſſe unum Conſulum.

Ita eſt, *Dion. Halicarnaſſ. Lib. V Cap.* 2. diſtinguit inter *faſces* & *ſecures*, & ego quidem puto, unum Conſulum habuiſſe faſces & ſecures quas ſimpliciter πελέκεις vocat, alterum vero tan-

tum-

tum *faſces* absque ſecuribus. Idque ita ſeſe habere, vel inde patet, quod dicit, ante regibus duodecim ſecures prælatas, &, ſi uterque Conſul totidem haberet, videri poſſet civibus, ſe duos dominos loco unius habere; inde *ſecures* ademerunt uni Conſuli, voluerùntque, *ſolos faſces* eum cum lictoribus præcedere. Nam reges ante ſe iuſſiſſe geſtari ῥάβδους τε καὶ πελέκεις, patet ex exemplo *Romuli* apud *Dion. pag. 99*, cumque idem dicat *Lib. IV pag 268*, *Brutum* cenſuiſſe, ut Conſules retinerent ex inſignibus regiis δώδεκα πελέκεις, *duodecim ſecures*, procul dubio etiam ea voce complexus eſt *faſces*; uti *Florus I, 5*, *faſcium* nomine etiam comprehendit *ſecures*; id quod utique vulgatum eſt. Addit autem loco laudato *Dionyſius*, lictores illos, qui *ſolos faſces* gerebant, etiam geſtaſſe ex nonnullorum ſententia κορώνας, *furcas*, ut vertunt; id quod tamen mihi nunquam lectum alibi eſt. Putabam nonnunquam, *virgam* ſuperiore parte *incurvam*, quo vox κορώνη ducit, deſignari; quia omnibus lictoribus multi Auctores *virgas* ad ſubmovendum, & ad percutiendas fores, tribuunt, uti docet *Lipſius* in Electis. *Caſaubonus* in *Notis* ad *Dion. Halicarnaſſ.* nihil putat lictori cum *lituo*, vel *bacillo*, *incurvo* fuiſſe, & inde melius in Vaticano Codice legi κορύνας, i. e. *clavas capitatas*; ſed & *Heſychio* Κορύνη exponitur ξύλον ἐπικαμπὲς, & ita res ad *virgam* inſtar litui incurvam rediret. Sed, ut hoc obſcurum eſt, ita conſtat ex eodem *Dionyſio pag. 292*, *Valerium ſecures faſcibus* ademiſſe, eumque mo-

rem ad illius Auctoris tempora fuiſſe ſervatum, ita ut tantum extra urbem ſecuribus uterentur, id quod etiam notat *Libro XII pag. 683.* Et vel idem dicit *Suetonius Caeſ. Cap. 20*, vel poſtea aliquid adhuc in more illo mutatum eſt; *Antiquum etiam retulit morem, ut, quo menſe faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur.* Ecce *antiquum* vocat, & forte introductum a *Valerio.* Cum enim initio unus Conſulum haberet *faſces & ſecures*, alter vero *ſolos faſces*, ablatis in urbe ſecuribus, videntur ambo Conſules etiam inſignibus debuiſſe diſtingui, id quod fieri non poterat, ſi ante eos ſingulos irent XII lictores cum faſcibus; adeo ut tunc conſtitui potuerit, ut alter Conſul ante iuberet procedere *accenſum*, & poſt ſe *lictores*, qui forte etiam potuerunt abſque faſcibus fuiſſe.

Eruditi Galli, & inter eos *Bignonius*, gaudent, *Caſauboni* Epiſtolas auctiores longe fore, & ita Vir illuſtris de eo loquitur: *Cet Auteur eſt plein de reflexions excellentes, & joignoit un gouſt ſeur à une profonde erudition.* Cupio certior fieri, an, quae ex *Colomeſianis* ſuppeditavi, tibi inſervire queant. *Apicium* in Anglia typis editum poſſideo, uti memini me coram tibi dixiſſe. Haec ſunt, quae literis tuis, quae mihi veniunt ſemper acceptiſſimae, reponi debere iudicavi. Forte prolixior ſum, ſed amo tecum confabulari. Aurem velle Clariſſimo *Meyero* de libellis Gallicis remittendis, & de elucidandis dubiis, de quibus cum eo egi nuper. Vale. Dav. 30 Iun. 1709.

EPI-

EPISTOLA XXV.

Arg. *Varia, quæ pertinent ad Faſtos illuſtrandos, expromit Cuperus. Therapevtas non fuiſſe Chriſtianos, docet.*

Lætor ſummopere, tibi placere mediocrem operam, quam *Faſtis* tuis, ubi inter legendum ſeſe offert occaſio, impendo; & ſpero, illos ita etiam emendatiores plenioresque exituros, ſi quando novis typis deſcribuntur. Ego non darem cognomen *Nepos Mario*, nec mihi ſatis idonei Auctores ſunt *Pighius*, *Glareanus*, vel *Funccius*. *Pighius* profecto vir fuit inſignis, ſed vix credo eum audiendum, ubi, quæ docet, non firmat veterum Auctorum teſtimoniis. Et plus quam mirum mihi equidem videtur, eiuſmodi cognominis non meminiſſe *Ciceronem*, qui tam ſæpe *Marium* nobis inculcat, *Velleium*, *Florum*, vel alium Auctorem, qui a ſepties Conſule res geſtas memoriæ & poſteritati conſecravit, & inde ſtatuerem fere, eum nullum habuiſſe cognomen. Scribit quidem *Pighius*, *Caſſiodorum* ſic nominare eius anni Conſules; ſed apud eum, nec non alios, non invenitur cognomen illud *Marii*.

Gratidiani familiam, a me digeſtam & illuſtratam, tibi probari, gaudeo itidem vehementer; & iterum te rogo, ut in Conſulem A. V. C. 672 diligenter, ut ſoles, inquirere velis.

Bignonio ſignificavi, te ſummopere lætari, nomen *Caſauboni* viro illuſtri in pretio eſſe; non-

dum tuli reſponſum; & *Gallandus* mihi ſignificavit, eundem hac æſtate & autumno ægrotaſſe, ſed illo tempore, quo me alloquebatur, cœpiſſe reddi ſanitati, & reſtitui in locum, unde vis morbi illum deiecerat.

Hæc, Vir celeberrime, ſcripſeram medio autumno anni proxime elapſi, & occupatione mea factum eſt, ut tunc epiſtolam non abſolverem, atque ad te mitterem. Præter occupationem cauſa erat huius ἀναβολῆς ſylloge quinque & quinquaginta notularum, unde lucem puto *Faſtis* tuis accendi poſſe. Sed, quo minus easdem nunc a me ferre poſſis, faciunt negotia, quæ mihi tantum temporis vix concedunt, ut illas iterum legere, &, ſi quid peccatum eſt, corrigere, queam. Habebis tamen tandem omne hoc, quicquid eſt, propediem, ea lege, ut mihi avtographum remittas, & in uſus tuos exſcribi cures.

Therapevtæ Philonis me valde abhinc aliquot hebdomadibus occuparunt. *Montfauconius* libellum illum vertit Gallice, conaturque omnibus viribus probare, eos Chriſtianos fuiſſe, D. *Marci* diſcipulos; id quod mihi plane ſecus videtur; & proinde, cum ſententiam meam rogaret, multis argumentis oſtendi, nulli fundamento inniti eam opinionem; & mirareris profecto, (vide, quantopere mihi placeam,) ſi legeres ea, quæ Gallice in chartam conieci, hanc quæſtionem cauſam eſſe tam præclararum obſervationum.

Bigno-

Bignonius ſanitati eſt reſtitutus. Frequens mihi cum eo literarum commercium. Accepi Smyrna Inſcriptiones pulcherrimas &, ut ſic loquar, eruditiſſimas; nec non rariorum nummorum catalogum. Cimeliarchii Ducis Wurtembergiæ etiam ad me delatus index, quem percucurri, & multis in locis correxi. Saluta Doctiſſ. Collegas tuos. *Meyero* reſpondebo propediem. Vale. Dav. 11 Iunii 1710.

EPISTOLA XXVI.

Arg. *Laur. Patarolli conſilium, edendi Quinctiliani Declamationes, explicat, Almeloveenium, ut ferat ſuppetias, rogans.*

Non dubito, quin acceperis verboſam & longam epiſtolam, quam proximo Aprili ad te ſcripſi, & quin inde bona fide intellexeris, nihil in me tibi claudi, quod *Faſtis* tuis ornandis, ſi modo is ſum, qui id facere queam, inſervire poſſit.

Nunc paucis te volo, rogoque vehementem in modum, ut petitioni meæ, ſimul ac poteris, ſatisfacere velis. Eſt Venetiis eruditus amicus meus, *Laurentius Patarollus*, qui publici fecit iuris elegantem ſeriem *Auguſtorum*, *Auguſtarum*, *Cæſarum*, & *Tyrannorum*; nec non Panegyricos veteres ad MSS. correctos, cum notis, Italica verſione, & numiſmatibus; quos lepidos libellos mihi donum miſit.

Is mihi nunc ſignificat, ſeſe vehementer velle edere *Quintiliani* Declamationes; iisque ſingulis contrarias addere; delectari ſeſe immodice *Quintiliani* ſtilo & charactere; & totis viribus incubuiſſe, ut Auctorem illum imitetur, & genus dicendi eius ſuum faceret, quantum poſſet; præiviſſe ſibi *Io. Ludov. Vivem* in componenda una, aut altera, Declamatione, quas *Quintiliano* oppoſuit, ſed non ſatis feliciter; meque vehementer rogat, ut ipſi ſignificare velim, an alii idem opus ſint aggreſſi, quot ſint Declamationum illarum editiones, & qui docti easdem annotationibus illuſtraverint.

Vides, quæ petit, vir egregie doctus, cumque id operam dederis, ut tot editiones Inſtitutionum oratoriarum *Quintiliani* annotaveris, catalogumque typis curaveris deſcribi; ſpes mihi hinc facta eſt, te etiam cognoſcere Declamationum editiones, viroſque doctos, qui eas illuſtrare conati ſunt. Atque inde eſt, quod te etiam atque etiam rogem, ut ad me mittere velis, quæ tibi harum rerum nota ſunt, idque reſciſſis moris, quia propediem Venetias mittere conſtitui epiſtolas.

Multum ita mereberis de *Quintiliano*, & *Patarollus* tibi plurimum eo nomine debebit; & ego non deſinam laudare eruditionem, diligentiam, & humanitatem tuam. Vale plurimum, & Collegas tuos ſaluta verbis meis amantiſſimis. Recepi literas *Meyeri*. Dau. 8 Iun. 1711.

Mitte,

Mitte, ſi placet, exemplum Catalogi editionum Inſtitutionum oratoriarum.

EPISTOLA XXVII.

Arg. *Io. Schultingii in Quinctiliani Declamationes merita commemorat. Ad Faſtos illuſtrandos varia ediſſerit.*

Debeo reſponſum binis literis, quas ad me dediſti a. d. III Cal. & a. d. III Id. Iun. Utque iis reſpondeam, ſequar illud *Ciceronis* ὕϛερον πρότερον ὁμηρικῶς.

Multum igitur tibi debeo, quod mecum communicaveris editiones Declamationum *Quintiliani*. Miſi eas ad *Patarollum*, eumque rogavi ſerium in modum, ut tibi præſtare velit, quæ deſideras, & ab eo petis. *Io. Schultingius* ὁ μακαρίτης conſtituerat easdem Declamationes edere, contulitque, me iuvene admodum adiutore, illas cum binis *Voſſii* MSS. Collationes ad me miſſæ ſunt a filiis, Profeſſore, & myſteriorum divinorum interprete, viris utique doctiſſimis. Adiecerunt initium commentarii patris ſui, ex quo patet, eum prolixum valde & eruditum fuiſſe futurum, niſi in florenti ætate raptus nobis eſſet vir exacti iudicii & ſingularis doctrinæ, quo ductore me creviſſe, cum voluptate etiam nunc confiteor. Hæc omnia mittam, ubi commoda ſeſe obtulerit occaſio, ad *Patarollum*, ut ita eius editio pulchrior procedat.

Nunc

Nunc ad alteras literas tuas accedo; quæ certe eruditione multa refertæ ſunt, quibuſque amice reſpondes iis, quæ putabam aliquo modo poſſe inſervire illuſtrandis *Faſtis* tuis. Et primo quidem magnas gratias tibi habeo, quod quæſtiunculas & dubitationes meas tam accurate examinaveris, quod pleraſque probes, quod alias emendes, & quod novas adieceris.

Quod ad nummum *Fabiæ* gentis attinet, in quo Conſules memorantur *C. Fabius Ambuſtus*, & *C. Valerius Potitus*, puto, nihil neceſſum eſſe mutare literas initiales nominum *Lucii* & *Numerii* in *C.* quia alii ſunt *L. Valerius* & *Numerius Fabius Ambuſtus*, memorati *Livio IV, 58*, a *Caio Valerio Potito Voluſo* & *Kæſone Fabio Ambuſto*. Illi fuerunt Tribuni militares conſulari poteſtate A. V. C. 347, hi vero anno 349, teſte *Livio IV, 61*, ubi, ut hoc obiter dicam, *Sp. Nautius Rutilus* dicitur Tribunus fuiſſe *iterum*, qui in *Faſtis* tuis III, *tertium*, notatur. Non autem memini, me unquam legiſſe, vel obſervaſſe, Tribunos illos dictos fuiſſe *Conſules*. Credit tamen id fieri eo in nummo *Vaillantius*, id quod & antea monui, ſed mihi nullum præter illud, ſi recte hoc explicat vir eruditus, exemplum occurrit. Et ſic *C. Valerius Potitus Voluſus*, qui A. V. C. 338 Tribunus fuit, & *C. Valer. Potitus Voluſus*, Coſ. A. 343, unus idemque fuit; certe inde argumentum duci poteſt, Tribunos nec Conſules dictos, nec habitos, quia tunc debuiſſet addi ultimo anno numerus II, qui reperitur

ritur A. 346, ubi *C. Val. Voluſin. Potitus Voluſus* dicitur ſecundum geſſiſſe Tribunatum: &, hunc eundem fuiſſe cum Conſule, videtur patere ex *Faſtis Sigonii*, in quibus vocatur *C. Valerius L. F. Voluſi N.* (typographus in *Faſtis* tuis errat *pag.* 15 *Part. I*, edendo *Voluſin.*) *Potitus Voluſus*.

Quare *Catium* cognominaverim *Calerinum*, & non *Celerem*, ego equidem tibi ſignificare nequeo; & nunc me fugiunt rationes, quas procul dubio tunc habui.

Gronovius nobis dat apud *Cicer. II Acad. Quaeſt. Cap.* 26 *M. Cottam*, quod ego mutarem in *C. Cottam*, quia in *Faſtis* ita legitur. Te monente, video, tres Inſcriptiones, editas a me in *Monum. antiqu.* diſcrepare ab iisdem, prout in publicum datæ ſunt ab ampliſſ. *Altingio*. Quis noſtrum erret, neſcio equidem; illud ſcio, me illas cum cura ipſum exſcripſiſſe, neque tamen ita etiam me erroris abſolvere volo.

Putas, *L. Valerium Poplicium Balbinum Maximum*, qui Conſul ordinarius dicitur fuiſſe apud *Gruter.* 8, *MCI*, potuiſſe hunc magiſtratum geſſiſſe in aliquo municipio. Sed dubito valde, an illo tempore *Duumviri* fuerint vocati *Conſules*. Diſputo de hac re, uti noſti, in *Monum. antiqu.* eamque multis haud illepidis animadverſionibus augere poſſem.

Nihil cauſæ video, cur dubitare debeamus de Inſcriptione, edita a *Fontanino*; & ſi conſidero

can-

candorem viri illius ſummum, non ſecus ac parilem eruditionem, ego certe dubitare non poſſum, quin in genuino illo monumento ita ſit ſcriptum; et, ſi *Faſtis* credi debere contendis, dicendum eſt, vel erraſſe quadratarium, vel Conſulem illum dictum eſſe & *Fulvium* & *Manlium*.

Fateor, ſcripſi, doctiſſime amice, me in *Faſtis* tuis invenire alios Conſules anno 886 & 887; ſed credo, me alibi habuiſſe mentem occupatam, vel hæc *Fontanini* me induxiſſe, ut id ſcriberem: *item*, ait, *ex Panvinio in Faſtos* A. V. C. DCCC LXXXVII, *ubi notatur Conſul M. Erucius Clarus.* Error ibi procul dubio eſt, cujus occaſione illud credo me addidiſſe, cum in anno illo & præcedente nullus *Erucius* vel in tuis, vel aliis, inveniatur.

Ego non video, uti ad quæſita tua veniam, quomodo excuſari poſſit *Pagius*, cum ſcribit, Chriſtum natum eſſe A. V. C. 754, & alibi, Salvatorem noſtrum in mundum veniſſe ante annum urbis DCCLI. Ita certe, te duce, invenio in editione prima, ſed tuum erit, videre, an non vir perfectæ doctrinæ aliter ſcripſerit in editione Genevenſi ſecunda, qua adhuc careo. Et, quamcunque in partem verſem hanc contradictionem manifeſtam, profiteor, me illi remedium reperire nullum poſſe.

Recte mones, in prima parte operis tui non legi nomen *C. Velleii Tutoris*, Conſulis ſuffecti; ſed

ſed nec ibi invenio *Marcum Silanum*, quem recte ex *l. 2 § 1 D. ad SC. Vell.* etiam facis ſuffectum; ſed doce me, quæſo, cur in binis apud *Gruterum* Inſcriptionibus ſcribatur *L. Silanus*, & an non ille cum *Tutore* ultimo anno Conſules ſuffecti fuerint, quia monumenta illa poſita dicuntur eſſe PRIDIE. NON. DECEMB.

Quod ad tertiam difficultatem attinet, ego Inſcriptionem veterem præferrem *Golzio*. Nam in illa diſerte Conſules nominantur *T. Statilius Taurus*, & *L. Caſſius Longinus*, cumque *Taurus* fuerit ordinarius, ſequi omnino debet, *M. Æmilium Lepidum* alterum ordinarium magiſtratu abiiſſe. Ego in Faſtis Capitolinis ita ſcriptum invenio:

Lepidus. T. Statilius. T. F. T. N. Taurus
Ex. Kal. IulIs. L. Caſſius. L. F. L. N. Longinus.

Et credo fere inde putaſſe nonnullos, *Statilium* abdicaſſe, & illi ſucceſſiſſe *Longinum*, quia nomen illius alterius nomini ſupponitur, ſed inde mihi argumentum nullum videtur poſſe duci, quia ſemper priori nomini illud *ex Cal. Iuliis* ſubiicitur, licet & duo ſint ſuffecti; id quod cum dubium ſit, & aliunde ex iisdem *Faſtis* refelli queat, mallem tamen præferre celebrem illam Inſcriptionem, cum mihi non videatur veriſimile, in eo Narbonenſes erraturos publico monumento; idque eo magis credo, quia in medio illius memorantur *Pridie K. Iunias T. Statilius Taurus. MV. Æmilius Lepidus Cos.* ubi *MV. Noriſius* expli-

cat *Manius*, adeo ut ſit A inverſum, cui literæ ſæpe linea media ſolet abeſſe.

Atque ita quidem puto me reſpondiſſe acceptiſſimæ tuæ epiſtolæ, nec dubito, quin daturus ſis παρορáματα mea occupationi perpetuæ.

Nunc mitto ad te alias obſervationes, ex quibus ſi maiore luce *Faſti* tui non poſſunt circumdari, videbis ſaltem, me nihil prætermittere earum rerum, quas perſuaſus ſum ſaltem aliquo modo tibi inſervituras. Tumultuarie & fortuito hæc omnia in chartam coniecta ſunt; &, quo minus ea incudi reddere potuerim, factum eſt mea occupatione. Quare equidem veniam peto, ſi quid eſt, uti erit procul dubio, peccatum; & accipe inſuper, me hæc ea lege, qua priora, mittere, meque te etiam atque rogare, ut per ſtudioſum, quales plures tibi facile a manu erunt, exemplum indeſcribere, mihique mea remittere, velis. Non ſunt quidem illa tanti; ſed tamen iuvat ſubinde perluſtrare, de quibus rebus tam amice, & aliquo, ut ſpero, cum fructu, egerimus. Vale, & clariſſimos Collegas verbis meis amantiſſimis ſaluta. Dav. VI. Id. Aug. 1711.

EPISTOLA XXVIII.

Arg. Philippi a Turre *nonnullas ad Faſtos Romanos Annotationes cum* Almeloveenio *communicat. Varias Inſcriptiones Romanas explicat & illuſtrat.*

Mul-

Multum tibi debeo, quod me varia docueris, quæ ad *Quinctilianum* ſpectant. Miſi ea ad *Patarollum*, ſed nondum a viro egregiæ doctrinæ reſponſum accepi.

Exſpecto avide iudicium tuum de ultimis literis meis, lætaborque valde, ſi aliquid contulero ad *Faſtos* tuos elucidandos. Remitte tamen mea, & adde tuas animaduerſiones ea lege, ſi reſtitutus es in ſanitatem. Religio enim mihi eſt, aliquid a te petere, quod illi nocere poſſet.

Epiſcopus Adrienſis, *Philippus a Turre*, celebris *Monumentis veteris Antii*, a me petiit, ut tecum communicare vellem nonnulla, quæ ad eosdem *Faſtos* pertinent. Ecce tibi illius verba:

„Poſtremam do ante annos IV Romæ pari-„ter effoſſam, inſignem illam quidem, qua prælu-„cente corriguntur *Faſti* conſulares anni 96 æræ „commun. qui fuit *Domitiani* Cæſaris emortua-„lis. Nam pro *Fulvio* reponendus eſt *Manlius*. „Qua occaſione non diſſimulaverim, me ſæpius „miratum, *Almeloveenium* in ſuis *Faſtis pag.* 280 ma-„luiſſe inter ſuffectos reponere *Aſinium Pollionem* & „*L. Flavium Silvam*, quam ex meis tabulis fra-„trum Arvalium, quas citat, corrigere *Faſtos* an-„ni 81, cum de eorum fide dubitandum non ſit; „eosque Conſules *ordinarios* eſſe, dies tertius men-„ſis Ianuarii, in ipſis tabulis notatus, palam faciat. „Quid vero illud eſt, *forte ſuffecti vel Campaniæ?* „Sane nusquam legi, nec perſuaderi poſſum, Romæ

„ monumentis publicis *Campania* Coſſ. inſignitos
„ fuiſſe. De hoc doceri velim a viro illo erudito,
„ & amico tuo, ut memoras in altera ex tuis
„ literis.

Ecce tibi etiam Inſcriptionem, de qua loquitur:

D. M.

P. FANNIVS. AVJLIVS. PROCVLVS. FECIT
TITIÆ. FIRMÆ. ET. P. FANNIO. PROCVLO
PARENTIBVS. BENE. MERENTIBVS. ET. P
FANNIO. PRIMIGENIO. LIBERTO. ET. FANNIÆ
RANAVSIDI. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM
C. ANTISTIO. VETERE. MANLIO. VALENTE
COS.

Si quid habes, quod hiſce de rebus deſideras, ut ſcribam ad Epiſcopum Adrienſem, communica illud mecum hoc menſe, quo eundem convenire conſtitui; vel ad ipſum virum ſcribe. Ego diligenter literas una cum meis curabo.

Egimus in literis de Conſulibus, quorum nomina nunc primo, nunc ſecundo, loco ponebantur; & nunc animadverti, *Fabrettum Cap.* 7 ſtatuere, nihil myſterii latere, ſi unus tantum Conſul ponatur, & ſecundo, ſi alter modo præponatur, modo poſtponatur; quæ ſi animadverſio vera, incaſſum nos laboravimus, & inquiſivimus in cauſas illius moris.

In

In *Actis Trivultienſibus Art. XXV Menſium Sept. & Octob. 1701.* Ieſuita *Colonia* talem publici fecit iuris Inſcriptionem:

SALVIS D. D. N. N. THEO
DOSIO. ET. VALEN
TINIANO. P. F. V. AC
TRIVM. SEMPER
AVG. XV. CON. VIR
INL. AVXILIARIS
PRÆ. PRÆT. GALLIA
DE. ARELATE. MA
MILLIARIA. PONI
S. M. P. I

Vir egregie doctus, uti patet ex aliis Diſſertationibus, explicat hæc verba: *XV Con. Quintum decimum Conſulibus*, datque eos Conſulatus *Auguſtis*, quorum nomina præceſſerunt; ſed nec in tuis, Vir doctiſſime, nec in aliis, *Faſtis* tot Conſulatus *Valentinianus Iunior* geſſit; ſed *Theodoſius Iunior* uſque ad XVIII pervenit; unde puto memorari ſolum quintum decimum Conſulatum *Theodoſii*, qui incidit in annum D. N. I. C. 435, quo alter Imperator *Fl. Placidius Valentinianus* gerebat quartum; atque hoc eo magis mirandum, quia *Theodoſius* ordinarie erat Orientis, & alter, qui ipſi iunctus erat, Occidentis. Aveo cognoſcere, an non obſervaveris ſimilia exempla.

Anno Chriſti 314 ex Inſcriptione 3 *pag. 387* *C. Ceionium Rufium Voluſianum* facis Conſulem.

 Sed

Sed in eadem Inſcriptione, quam dicit ſe correctiorem edidiſſe *Mabillonius Tom. IV Anal. vet.* bis dicitur *Conſul ordinarius* fuiſſe. Supponam illam, ſi forte tibi liber ille non eſſet: (*)

CEMONIVM. RVFIVM. ALBINUM

V. C. CONS. FILOSOPHUM. RUFI. VOLUSIANI. BIS ORDINARII. CONS. FILIUM. SENATUS. EX. CONSULTO SUO. QUOD. EIVS. LIBERIS. POST. CÆSARIANA. TEM PORA. ID. EST. POST. ANNOS. CCCLXXX. ET. I. AVCTO RITATEM. DECREVERIT. FL. MAGNVS. IANVARIVS V. C. CVR. STATUARUM.

Et, quamvis eruditus Benedictinus loquatur emendatiorem Inſcriptionem, ego tamen puto, primum nomen ſcribendum eſſe *C. Ceionium Rufium Albinum*, qualis & tibi memoratur anno ſalutis noſtræ 335. Sed verbum non addam, nec examinabo illud *poſt Cæſariana tempora*. Vale quapropter, & vive lætus atque felix. Dat. a. d. IV. Non. Dec. 1711.

Collegas, quæſo, tuos ſaluta, & recrea animum meum, ſi quid habes, uti procul dubio tibi abunde eſt, quod ad rempublicam literariam pertinet.

EPISTOLA

(*) Extat apud *Phil. a Turre Monum. vet. Ant. pag.* 111.

EPISTOLA XXIX.

Arg. *Varia, quæ faciunt ad illuſtrandos Faſtos, exponit. Vocis revincire rariorem ſignificatum oſtendit. In notæ NP. ſenſum inquirit. Gloſſaria Philoxeni & aliorum emendat.*

Spero te reſtitutum eſſe in locum, unde vis morbi te deiecit; & te remiſſurum propediem ſchedulas meas, una cum tuis obſervationibus, quæ non poſſunt niſi pulchræ atque eruditæ eſſe, quia tam bona fide rationem perpetuo cum Muſis deducis.

Nimis prolixa de ſtudiis meis ſentis, quanquam facile tibi dem, neminem fere tam diligenter colere commercium literarium cum eruditis, tota Europa diſperſis; unde certe fit, ut multa raritatis eximiæ mecum communicentur. Accepi certe nuper Smyrna rariſſimorum nummorum Græcorum indicem, quorum non modo multi ſunt anecdoti, verum etiam quorum varii continent urbium nomina, quæ non modo non recenſentur *Harduino*, (quem valde augere & emendare poſſem,) verum etiam quæ nobis latent.

Optas, ut exoriatur aliquis, qui *Faſtos* det integros & reprehendi neſcios. Recte tu quidem, Vir egregie, id facis; ſed, ut verum dicam, ipſum te reſpice & advoca. Neque enim quiſquam alius tam pulchre illud præſtare poſſet; & optima tute Pharus es in mari illo ſcopuloſo atque infeſto. *Fabrettum* ut conſulam, obſtant negotia; faciam

 id

id alio tempore. Errore typographi *Cemonium* pro *Ceionium* ſcribi, facile tibi aſſentior, &, quomodo quis *bis Conſul ordinarius* extra *Faſtos* dici queat, mihi latet, niſi eos corruptos admodum velit. Ex qua editione *Martinus* verba *Servii* ſumſerit, ignoro plane; in *Commeliniana*, qua unica utor, non inveniuntur.

Revincire apud *Colum.* I, 8, videtur omnino ſumi pro *ſolvere*, quia ſequitur, *villicum niſi permiſſu domini aliquem compedibus eximere non poſſe*; id quod etiam mirifice firmatur aliis verbis, quæ mox ſequuntur: *Et quem ipſe ſua ſponte vinxerit ante, quam ſciat dominus, non reſolvat;* adeo ut vix dubitem, quin recte animadverteris, *Theſaurum Fabri* poſſe ea ſignificatione huius vocis augeri, maxime cum & ſimiliter illud *re* in aliis vocibus uſurpetur, ut *refigere*, ſolvere, tollere, v. c. *leges*.

Quæ ad *Feſtum* notas, pulchra ſunt; ſed vide, an non ſimpliciſſime NP. exponi poſſit *Nefaſtus primo*, quomodo illas ſiglas exponi a Romanis annotavit *Urſatus*, ita ut deſignentur dies, quibus tria verba fari vel mane, vel ante meridiem, non licebat; ſed inſuper non capio, quomodo mox addi poſſit, *quorum pars anterior fas*, cum mihi ratio ſuadere videatur, ſcribi debere *poſterior*, i. e. poſt meridiem, cum matutinum tempus tantum foret religioſum. Atque ita video, poſtquam hoc annotaſſem, vel iurato crede, verba

Feſti

Faſti nobis exhibere *Siccamam Cap.* 2 *Faſtorum* ſuorum, adeo ut exiſtimem, te facile huic emendationi manus daturum, quanquam vetus lectio ſervetur in editione *Dacerii* Pariſina.

Habeo rationem valetudinis tuæ; &, licet de variis rebus tecum agere poſſem, iisque haud vulgaribus, tamen illas in aliud tempus reiiciam, & levidenſes tibi proponam ad examinandum, quia intenſio nimia animi ad morbum etiam facit, uti tu optime omnium noſti, cum ſis ex gente Aſclepiadarum.

Apud *Ioſephum Lib. XIV Cap.* 17 memoratur *Caius Fanius* (vel *Fannius*) *Caii filius Imperator* ὕπατος *Conſul*; & alio loco *Caius Rabilius Caii filius* ὕπατος *Conſul*; quorum nomina in *Faſtis* non invenio; neque enim hic locum habere poteſt *C. Fannius Strabo*, qui Conſul fuit A. V. C. 592.

Invenio in Gloſſario *Philoxeni* & aliorum hæc verba: Θυσεια, *Agonalia*, *Agonaria*: Θυσία ἐγκύμονος βοὸς, *Forba*; Θυσίας ἱερέων, *Colla*; Θυσίαι ἀπαρχῶν οἴνε, *Calcar*. Ipſe fateberis, multa hic difficilia eſſe; & primo nota ſunt *Agonalia* ex *Feſto*, & puto, *Philoxenum* dicere, die *Agonio* fuiſſe ſacrificatum; non autem *Agonalia* per excellentiam appellari Θυσεια: alterum locum illuſtrat idem *Feſtus*, *Fordicidiis boves fordæ, id eſt, gravidæ, immolabantur*; quomodo etiam in Gloſſario ſcribi debet, legiturque in Latino, *Forda*

βοῦς

βοῦς ἐγκύμων. Sed tertius mihi crucem figit, nec, quid *colla* ſibi velit, ſatis capere poſſum. Explicant quidem viri docti *collativum*, ſed hoc mihi nequaquam placet, cum etiam in altero Gloſſario non modo legatur *Colla* Θυσία ἱερέων, verum etiam, *Colliſana* πρόβατα ἱερά. *Damium* quid ſit, ex *Feſto* patet, & recte reprehendit *Meurſius* Gloſſarum Auctorem, quod ſacrum illud faciat ὑπαίθριον, cum fuerit *opertum*, & puto itidem, ſcribi debere γινόμεναι. Pro *Calcar* reponendum eſt *Calpar*, uti conſtat ex *Feſto* in ea voce. Vale, & celeberrimos Collegas tuos amantiſſimis meis verbis ſaluta. Dau. prid. Cal. Maias

1712.

INDEX
DISSERTATIONVM,
QVAE
VOLVMINIS QVINTI
PARTE PRIMA
CONTINENTVR:

I. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Diſſertatio Apocalyptiea de Cantilena Moſis, ſervi divini, eaque agni cantilena, ad *Apoc.* XV, 3. Pag. 1 - 31.

II. PETRI ZORNII Diſſertatio de ימים טובים, ſive diebus magnis Ebræorum. Pag. 31 - 43.

III. GOTTLOB FRID. GVDII Epiſtola Apologetica, pro Diſſertatione ſua de Sadducæorum in Iudaica gente auctoritate, ad S. Rev. *Conr. Ikenium*, Theologum Bremenſem, perſcripta. Pag. 44 - 61.

IV. M. THEOPH. LVDOLPHI MÜNTERI de Honoribus ſervorum Romanorum *Specimen prius*, de honore, ſervis Romanis habito in rebus ſacris. Pag. 61 - 98.

V. M. CAROLI HENR. ZEIBICHII, Ordin. Philoſoph. Vitemberg. Aſſeſſ. Quæſtio critica: Utrum Cadytis Herodoti recte venditetur pro Metropoli Palæſtinæ. Pag. 98 - 111.

VI. Anonymi de *Ioanne Bocatio*, e Luſato Hungaro,

garo, Poeta Laureato Cæſareo, Commentatio. Pag. 111 - 120.

VII. M. I. F. FRISCHII de uſu participii præteriti Romano Obſervationes poſteriores ad *Voſſii Lib. VII de Arte Grammatica Cap. X, XI, & XV.* Pag. 120 - 137.

VIII. *P. Cornelii Severi* de Ætna carmen antiquum a præpoſteris *Ioannis Clerici* coniecturis vindicatum, ſtudio FRID. OTTONIS MENCKENII. *Pars prima.* Pag. 137 - 160.

IX. GISBERTI CUPERI ad *Theod. Ianſſonium ab Almeloveen* Epiſtolæ, quintum continuatæ, & finitæ. Pag. 160 - 186.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS
ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS QVINTI PARS SECVNDA.

LIPSIAE,
IN OFFICINA HAEREDVM LANCKISIANORVM
MDCCXLVII.

I.

G. G. N.

DISSERTATIO DE ELIA, AVCTORE EPISTOLAE, AD IORAMVM DATAE,

AD 2 CHRON. XXI, 12.

Auctor epiſtolæ illius, ad *Ioramum* datæ, quæ *2 Paralip. XXI* legitur, licet expreſſis verbis אליהו appelletur, nihilo tamen ſecius, quisnam proprie hoc nomine indigitetur, interpretes fugit. Placet igitur, in perſonam eius brevibus inquirere, atque epiſtolam, modo commemoratam, genuino ſuo auctori, pro exiguo ingenii modulo & parva librorum ſupellectili, vindicare.

In tres potiſſimum abeunt partes, quotquot demum circa inſcriptionem huius epiſtolæ conſului Commentatores. Quidam audacter nimis pro

Elia Eliſam ſubſtituunt (a), alii pro *Elia Thisbite* hic diſputant (b), ceteri *Eliam* quendam intelligunt, ab *Elia Thisbite* diverſum (c), ſed, ut iam noſtra fert opinio, hi omnes coniecturis ſuis a veritate rei adhuc aberrarunt, & perſonam ſcriptoris obumbrarunt magis, quam manifeſtarunt. Quodnam autem accurate ſingulis horum interpretum coniecturis ſtatuendum ſit pretium, ex ſequentibus patebit.

Eam, quam primo loco poſuimus, ſententiam ruinoſo admodum, vel plane nullo, niti fundamento, atque in integritatem ſacri Codicis valdopere eſſe iniuriam, vel ex iis cognovimus, quæ contra eandem attulerunt Auctores, *not. b.* iamiam a nobis citati, adeoque hæc nobis ſe nunquam probavit opinio, tantopere alioquin viris maximi

(a) Prout poſt *Calviſium*, quem citat *Pfeifferus Dub. vex.* ad *h. l.* id faciunt *Clericus Comment. ad h. l.* & *Mr. Roques dans la Continuation de Diſcours critiques de Mr. Saurin Tom. V pag.* 481.

(b) Pertinent huc inprimis feliciſſimi illi ſacrorum oraculorum interpretes, *Hackſpanius Not. philologico-theol. P. I pag.* 769 *ſeq. Sebaſt. Schmidius* in Diſſ. *de Epiſtola Eliæ ad Ioramum, Regem Iudæ*, Exſtat in *Faſciculo III Diſſertat. theol. Argent.* 1683 excuſo, & *Io. Andr. Schmidius* in Diſſ. *de Libris & epiſtolis cælo & inferno delatis*, Helmſt. 1704 *pag.* 1 *ſeq.*

(c) Ut *Caietanus* ad *h. l.* & *Lightfootus*. Scripſerat hic quidem olim: *Ridiculum eſt, opinari cum Iudæis, Eliam has literas e cælo miſiſſe, poſtquam eo abreptus fuerat, ſed ſine dubio ſcripſit eas in terra adhuc degens, ante aſſumtionem.* Vid. *Chronic. temp. T. I Oper. pag.* 85. Sed, adhibitis curis ſecundis, ſententiam in eam mutavit, quam hic eidem adſcribimus. Vid. *Hora Hebr.* in *Luc. I, 17.*

maximi ingenii atque famæ, *Clerico* & *Roqueſio* amata, ut eam omnium veriſimillimam pronuntiaverint (d). De ſententia autem interpretum, cui medium locum aſſignavimus, non poſſumus, quin ingenue confitear, me eandem, feliciſſimorum illorum Hermenevtarum, *Hackſpanii* puta atque *Schmidiorum*, qui eidem ſubſcripſerunt, auctoritate permotum, omnium huc usque veriſimillimam reputaſſe. Sed diſputet iam, qui velit, pro *Elia Thisbite*, aut ſuo litans genio, verbis ſacri Scriptoris (prout propria auctoritate idem fecerunt LXX *Mal. IV*, *5*, aut ſecundum *Ebr. III*, *23*,) addat vocabulum *Thisbites*: tantum abeſt, ut in ſua me trahat caſtra, ut potius arma cum ipſo conferre conſtituerim. Quo ſucceſſu, benevoli lectoris arbitrium eſto.

Argumentis quidem quatuor *Hackſpanius* ſententiam ſuam ſtabilire conatur, quibus autem refutandis ob brevitatis ſtudium exiguumque eorum pondus haud immoror. Reliquit inprimis permultas eiusmodi difficultates, quæ tamen, cum argumentis ipſis longe ſint maiores, neceſſario e medio tolli debuiſſent. Quodſi enim *Elias Thisbites* hic intelligitur; vexatiſſima illa ſtatim oritur quæſtio: quonam tempore epiſtola ab eodem fuerit conſcripta, regique tradita, num ante, aut poſt, ſublationem eius in cœlum? *Lutherus* (e) quidem & *Phil. Melanchthon* (f) ſic eandem ſolvunt. A-

 iunt:

(d) *Loc. cit.*
(e) In *Chronol. Millen. 4 Tom. IV Ien. Lat. p. 782.*
(f) In *Chronic. Carionis p. 58.*

iunt: vatem tum temporis adhuc in terris degiſſe, illamque ipſam epiſtolam, a ſe ſcriptam, ad *Ioramum* detuliſſe; nominari vero hunc regem *Iudæ*, quia, vivente adhuc patre, licet in ipſum regis ſolium nondum conſcenderit, rex tamen iam ſalutatus ſit. Verum, cum accuratior *Scaligeri*, *Helvici*, & *Calviſii*, calculus luculentiſſime demonſtret, literas, ab *Elia* confectas, ipſo ad aſtra iam evecto, ad regem *Ioramum* eſſe perlatas, non eſt, cur aſſenſum noſtrum iisdem præbeamus. Adſtipulamur potius in his *Hackſpanio*, ex 2 *Reg. II*, 11 *ſeq.* præeunte *Kimchio*, demonſtranti, *Eliam* ante obitum *Ioſaphati*, adeoque *Ioramo* nondum rege, ſed prorege tantum, exiſtente, in cœlum raptum eſſe. At, licet in hoc, nimirum quod *Elias* iam in cœlum receptus fuerit, antequam literæ, ab eodem ſcriptæ, ad *Ioramum* venerint, nobiſcum conſentiant quam plurimi, nihilo tamen ſecius id non impedit, quo minus *Eliam Thisbitem* epiſtolæ, ad *Ioramum* datæ, auctorem habeant. Eruditiſſimus ille iam ſæpius laudatus *I. A. Schmidius* diſerte inquit: ***Nulla eſt conſequentia in hoc argumento: Si Propheta Elias ſublatus in cælum, ſequitur, illum non ſcripſiſſe epiſtolam, regi traditam*** (g). Nec habemus, quod illi reponamus. Videamus autem, quomodo ſe expediant, quotquot pro *Elia Thisbite*, tanquam auctore noſtræ epiſtolæ, diſputant, cum tamen concedant, eundem tum temporis, quo epiſtola ad *Ioramum* venit, iam in cœlum translatum fuiſſe. Sunt, qui dicant, ſcripſiſſe

(g) Loc. cit. §. *III pag.* 3.

pſiſſe *Eliam* ſuam epiſtolam ex loco, in quem translatus fuerit, &, ſi de via quæritur, qua epiſtolam ad *Ioramum* miſerit, ex *Clerico* obſervo, hos homines ad miniſterium angelorum provocare, quo in perficiendo hoc negotio uſus ſit *Elias*. Sentiunt ſic Iudæorum (h) ac Pontificiorum (i) nonnulli, quos ſequitur vix ſibi conſtans papizans ille *Grotius* (k). At video quoque horum omnium ſententiam apud utrumque *Schmidium*, *Clericum*, atque *Roqueſium*, ſatis iam refutatam. Et quis eſt, qui, me haud monente, ipſe non odoretur, poſſe ea, quæ ſibi hi homines fecerunt, figmenta facillimo negotio abſurditatis convinci. Alii ergo, hoc forſan perſpicientes, aliam ingreſſi ſunt viam, atque ſtatuerunt: *Eliam* libellum ſuum ante diſceſſum ſuum ſpiritu fatidico ſcripſiſſe, atque cuidam imperaſſe, ut, quæ Deus revelarat, ſuo tempore impio *Ioramo* perſcripta exhiberet. Tribuit *Hackſpanius* hanc, quam ipſemet tuetur, ſententiam Iudæis (l), *Waltherus*, *Lyra*, *Helvico*, Tre-

(h) *Waltherus Harm. Bibl. ad h. l.* loca quædam ex *Seder Olam Rabba Cap. VI*, itemque ex *Kimchio*, affert.

(i) Quo probent, ſanctos cœlites ſcire, quicquid in terris agatur. Eſt inter hos præcipuus B. *Nibuſius*, qui, teſtante *Hackſpanio*, ad ravim usque hoc argumentum Ducibus Vinarienſibus inculcavit, ad defectionem eos ſollicitans. Conf. *Comment.* ejusd. *in Cap. II Lib. IV Reg.* *Calmetus* in *Comment. ad h. l.* ita ſcribit: *L'opinion la plus commune eſt, que le Prophete Elie ecrivit cette lettre à Ioram du paradis terreſtre, ou du lieu, ou il eſt encore à preſent en corps & en ame.*

(k) *Comment. ad h. l.*

(l) *Loc. cit. pag. 777.*

Tremellio, *Piſcatori* (m). *Pfeifferus* (n) & *Zeltnerus* (o) eandem totidem verbis aſſerunt, a quibus parum abſunt *Calovius* (p), *Seb.* & *I. A. Schmidius* (q) & *Deodatus*, qui in verſione ſua verba ſacri ſcriptoris ita eſt interpretatus: *Allhora gli venne uno ſcritto de' parte del Profeta Elia.* Sed neque hæc hypotheſis ſuis caret dubiis. *Prophetæ enim*, (quæ verba ſunt *Clerici* (r),) *mittebantur ad eos, qui ipſorum tempore vivebant, ut mandata Dei eis exponerent, non ad ſcribendas literas, quæ, poſtquam demum ex hac mortali vita migraſſent, traderentur.* Et cui porro *Elias* literas ſuas ante ſuam in cœlos ἀνάληψιν ſcriptas concredidit, qui eas *Ioramo* ſtatuto tempore traderet? Reſpondent *Calovius* & *Zeltnerus*: Eliſæo. Sed unde id probatum dabunt? Pugnat potius contra eos, quod *Eliſæus*, vel minora perpetrans facta, ſemper nominetur, in hoc vero negotio nulla eiusdem mentio fiat, & credibile ſit, fatidicum hunc, qui in Iſraele Propheta erat, Iudaicum regnum haud attendiſſe. Accedit, *Eliſæum*, duplici portione ſpiritus *Eliæ* inſtructum, magiſtro *Eliæ* nequaquam poſtponendum eſſe, adeoque nec opus fuiſſe, ut *Elias* ſcriptum aliquod ad *Ioramum* relinqueret, ſi Deus per Prophetam Iſraeliticum *Ioramo*, regi Iudæ, voluntatem ſuam aperire voluiſſet,

(m) *Loc. cit. p.* 459.
(n) *Dub. vexat. pag.* 471.
(o) In *Gloſſis ad Verſionem Bibl. Luth.*
(p) *Bibl. illuſt. ad h. l.*
(q) *Locc. citt.*
(r) *Loc. cit.*

iſſet, cum *Eliſæus*, pari auctoritate inſtructus, idem negotium conficere potuiſſet. Sin forſan incertus quidam, (ὅδεινα, qui apud LXX ſupplendus eſt,) hic in cenſum veniat, cui *Elias* ſcriptum ſuum reliquerit, quantum ego quidem iudico, una concedendum eſt, quod ignobilis quædam perſona ſcriptum *Eliæ* aſſervaverit, idque *Ioramo* regi exhibuerit; at, qua ratione tunc *Ioramus* rex de theopnevſtia huius epiſtolæ perſuaſus fieri potuerit, non perſpicio. Adderem hiſce, quæ ad componendas circa hanc controverſiam lites percelebris ille *Bailius* ſibi fecit figmenta, niſi quilibet cordatus lector ipſe ſatis augurari poſſet, callide quidem ea eſſe excogitata, re vera autem parum habere firmamenti atque virium. Conſideretur modo eius iudicium, his verbis expreſſum: *Le vray ſens de ce paſſage eſt, que l'on porta au Roi Ioram un ecrit, qui avoit été trouvé parmi les papiers d'Elie* (s). Num idem fortaſſis ſacrorum oraculorum ſcrutatoribus licet, quod pictoribus atque poetis? Verum ponamus, animi gratia, id omne, contra quod huc usque diſputavimus, ſic ſe habere. Ponamus, *Eliam*, in terris adhuc degentem, ſcripſiſſe hanc epiſtolam, eamque, vivente adhuc patre *Ioſaphato*, ad *Ioramum* veniſſe. Ponamus, *Eliam* quidem tunc, quando epiſtola *Ioramo* fuit tradita, rebus humanis iam ereptum fuiſſe, ipſumque ſcriptum hoc, ante ſublationem ſuam exaratum, alicui commendaſſe, qui id ſuo tempore ad *Ioramum* perferret. Ponamus & ea, quæ *Bailius*

 ſibi

(s) *Dictionar.* ſub voce *Elias not. c.*

ſibi fecit, figmenta; ponamus, inquam, hoc omne; nihilo minus tamen quidam adhuc apud animum remanet ſcrupulus. *Elias* ſcilicet *Thisbites* regnum Iudaicum nunquam attigit, adeoque nec ad regem Iudæorum ſcriptum quoddam dediſſe, minis refertum, ſine ratione quadam graviori putandus eſt. Hanc autem cum afferre nequeant, qui pro *Elia Thisbite* verba faciunt, aut ad minimum hactenus nondum attulerint, quantum ego hariolando quidem poſſum aſſequi, manifeſtum eſt, de alio hic cogitandum eſſe Propheta, in regno Iudaico verbis & factis inclyto. Et ecce! fecerunt iam quondam interpretes, quos ſupra ultimo loco nominavimus, idem fere, ac nos, hac de re iudicium. Sic enim *Caietanus* expreſſe aſſerit, literas iſtas ab alio eiusdem nominis Propheta, qui tum docuerit, fuiſſe profectas, nullo tamen fundamento nixus, quam quod *Elias Thisbites* diu ante tempora *Iorami*, regis *Iudæ*, imo vivente adhuc patre *Ioſaphato*, in cœlum raptus ſit. Fortaſſis autem auctores gloſſæ Belgicæ eodem, quo nos, argumento adducti ſunt, ut dubium reliquerint, numne de alio *Elia*, quam *Thisbite*, hic cogitandum ſit.

Sed ecquis iam eſt hic alius, quam interpretes non determinant, *Elias*? Quod ad me attinet, diu quaſi Scyllam inter atque Charybdim fluctuatus ſum, de inveſtigatione *Eliæ* huius Iudaici perquam ſollicitus, at, circumſtantiis omnibus ultro citroque ſedulo examinatis, nullus iam dubito, quin auctor epiſtolæ, ad *Ioramum* datæ, Pro-

pheta

pheta ille ſit, qui alias in ſcriptis ſuis *Ioel* audit. Nec vanus mihi ſum augur, fore, ut benevolus lector aſſenſum ſuum huic aſſerto præbeat, ſi modo duo illa momenta, quibus hæc noſtra conjectura originem debet, accuratius paululum penſitaverit. Primum ſcilicet momentum nomen ſpectat, quo auctor huius epiſtolæ inſignitur. Alterum ad tempus pertinet, quo *Ioel* vaticinia ſua edidit. Dicamus de ſingulis ſeorſim, & quidem primum de nomine.

Quod ad nomen ſpectat, id manifeſtum ſatis eſt, ſcriptori epiſtolæ noſtræ nomen אליהו fuiſſe, cum ab auctore *Libri II Paralip.* diſerte ſic vocetur. At, cum inexpugnabiles illas videremus tricas, quibus ſe implicari ſolent, quotquot *Eliam Thisbiten* hoc nomine inſignitum volunt, & nusquam inſuper apud interpretes eiusmodi quidquam inveniremus, in quo tuto acquieſcere poſſemus, aliam quæſivimus ex omnibus difficultatibus elabendi viam, & ecce! vetuſtiſſimus ille Iudæorum mos nominum variandorum eandem nobis ſubminiſtravit. Scimus videlicet, hoc apud Iudæos moris fuiſſe, ut nomina ſua non cum cognatis ſolum, ſed etiam diſparibus, ſæpenumero commutaverint. Quidam ipſorum ob ſingularia fata, alii ob alias rationes, binomines exiſtebant. Exempla huius rei in Scriptura ſacra ubivis ſunt obvia. Sic enim nomen *Abram* mutatum eſt in *Abraham*, *Sarai* in *Sarah*, *Iacob* in *Iſrael*. Sic *Eſavus* alio nomine ſalutatus eſt *Edom* (t), *Ioiadas*

(t) *Geneſ. XXVI, 1.*

ex plurimorum ſententia etiam *Berechias* (u) *Chileab*, *Davidis* ex *Abigaele* filius, *Daniel* (x), ut nomina varia coniugum *Eſavi* (y), aliaque exempla, taceam. Quemadmodum autem perſonæ nominum diverſitatem admittebant, ita vel ipſa quoque nomina varios ſubibant metaplaſmos. Nam præter defectum literæ, vel ſyllabæ, redundantiam, & enallagen, etiam metatheſin patiebantur, eamque non ſolum literarum, ſed etiam vocum (z). Metatheſis autem vocum tunc potiſſimum obtinebat, quando nomen quoddam divinum cum alia quapiam voce in unum nomen coaleſcebat. Sic dicitur חננאל & אלחנן (a), אליאם & אמיאל (b), יכניהו & יהויכין (c). Quodſi iam יואל idem eſt ac יהוהאל (d), duobus ה tanquam ſpiritibus

(u) Videantur interpretes ad *Matth. XXIII*, 35.
(x) Vid. 2 *Sam. III*, 3, coll. 1 *Paralip. III*, 1.
(y) Quæ *Gen. XXVI*, 34, *Iuditha*, eadem *Cap. XXXVI*, 2, *Okalibama*, &, quæ priori loco *Basmatha*, eadem in poſteriori *Ada*, appellatur. Sic quoque, quæ *Cap. XXVIII*, 9, *Machulatha*, eadem *Cap. XXXVI*, 3, *Basmatha* audit.
(z) Vid. *Chriſt. Bened. Michaelis* Diſſ. inaug. *de Nominibus propriis ſacris* §. *XIX p.* 34, 35.
(a) *Elchanan* fuit ex numero heroum *Davidis* 2 *Sam. XXI*, 19. *Chananel* vero turris quædam erat in urbe Hieroſolyma, ab exſtructore eius fortaſſis ita nuncupata.
(b) 2 *Sam. XI*, 3, coll. 1 *Par. III*, 5.
(c) *Ier. XXIV*, 1, coll. 2 *Reg. XXIV*, 6.
(d) Sentiunt ita *Chytræus*, teſte *Tarnovio*, & *Io. Henr. Michaelis*, *Proleg. in Ioel*, atque nobis ideo hæc ſententia præ ceteris, quas *Tarnovius* allegat, placet, quoniam hac ratione regulis grammaticis nulla vis inferenda eſt, quod tamen in omnibus fere, quas alii habeant, derivationibus fieri debet.

ritibus in compoſitione ob celeritatem pronuntiationis, Iudæis inprimis familiari, per craſin omiſſis; quid impedit, quo minus ex יהוה אל, nomine *Ioelis* plenario, vocibus his duabus in unam coaleſcentibus, & ה tantum poſteriori in voce יהוה abiecto, אליהו factum eſſe, atque *Ioeli* Prophetæ utrumque nomen & *Eljahu* & *Iehoel* competiiſſe, ſtatuamus. Id minimum manifeſtum eſt, quod variatio eiusmodi nominis auctori libri *2 Paral.* res inſueta non ſit, cum vel in ipſo *XXI Cap.* in quo ſcripti illius ad *Ioramum* dati mentio fit, idem ille rex, qui *Cap. XXII, 1,* אחזיהו dicitur, יהואחז nominetur; exemplo caſui noſtro in omnibus parallelo. Concedimus quoque quam lubentiſſime, vim argumentorum, quæ a nominis convenientia derivantur, admodum exiguam, imo plane nullam, eſſe; poterunt tamen ea, quæ circa nomen noſtri ſcriptoris hactenus diſſeruimus, vel apud hos ſententiæ noſtræ conciliare favorem, qui in diſcutiendis Scripturæ ſacræ diſſonantiis ad ſimiles fontes recurrunt (e), aut indagationem nominum haud negligendam eſſe cenſent (f).

Alterum, quod nobis proponendum ſumſimus, mo-

(e) Qua ratione illæ de uxoribus *Eſavi* lites componantur, conf. ſupra *not. y.*

(f) *M. Hillerus, Onom. S. p.* 2 in neglectum ſtudii huius invehens, *At vero*, inquit, *gravitas rei merebatur, ut in eo maior induſtria ponerctur. Quot enim loca ſacræ Scripturæ iſtius artis ignorantia reliquit? Quot ſenſus divinos nobis eripuit? Quot errores in patrum ſcripta, in verſiones, in genealogias, in hiſtoriam, invexit?*

momentum ætatem *Ioelis* reſpicit. Fuit quidem ea denſis involuta tenebris, propterea que nobis non minimam fixit crucem; noluimus tamen cum *Paræo* (g) aliisque ἐπέχειν eligere, ſed, quo difficilior res videbatur, eo libentius dedimus operam, ut eam inveſtigaremus, inveſtigatam argumentis, iis ad minimum, quæ apud alios leguntur, non minoribus, ſtabiliremus. Audiamus autem prius alios, quam ipſimet animum noſtrum oſtendamus. Quo tempore *Ioel* floruerit, nec in ſcriptis ipſius, nec alibi in ſacra Scriptura, diſerte proditum eſſe, monent *Tarnovius* (h), & *I. H. Michaelis* (i). Varias hinc variorum exortas eſſe concertationes annotat *Io. Marckius* (k). Conſideratis ſingulorum ſententiis, obſervavimus, omnes, in determinanda huius fatidici ætate, vel aliquem eodem nomine inſignitum, vel ordinem, quem *Ioel* inter alios Prophetas nactus eſt, vel famem tandem, *Cap. I* commemoratam, reſpexiſſe. Qui ob nominis convenientiam ſe eo induci paſſi ſunt, ut ad comma *Ioelis* primum, de *Ioele* iſto, *Samuelis* filio, *1 Sam. VIII*, 2, cogitarent (l), non conſiderarunt, quod neque tempus, neque conditio filiorum *Samuelis* (m), eidem congruat, licet quidem alias ultro largiamur, quod per Antonomaſiam *Samuel*, *Pethuel*, dici potuerit.

Alii,

(g) *Proœm. in Ioel Oper. Tom. I fol.* 568.
(h) *Comment. in h. l. p. m.* 401.
(i) *Prolegom. in Ioel Vatic.*
(k) In *Analyſi Ioelis exeget. p.* 236 *n.* 3.
(l) Reiicit fabuloſam horum opinionem pluribus *Marckius loc. cit. n.* 2.
(m) Vid. 1 *Sam. VIII*, 1, 3, 5.

Alii, qui cum iis, quos citat *Tarnovius* (n), ut & cum *Lightfooto* (o), *Vitringa* (p), *B. G. Carpzovio* (), & *C. B. Michaelis* (r), *Ioelem Eſaia, Hoſea,* & *Amoſo*, coævum faciunt, ad ordinem inprimis provocant, quo *Ioel Hoſeam* inter & *Amoſum* in XII Prophetarum volumine compareat. Quaſi neſcirent, ex ordine Scriptorum ſacrorum non poſſe de huius illiusve ætate ferri iudicium, cum tamen id iam ſuis temporibus cognoverit *Theodoretus*, ad *Ier. XXI, 1,* ita commentatus: Sciendum eſt: ὡς ȣ κατα ταξιν κειντα αἱ προφητειαι, quæ verba de ordinis chronologici neglectu explicanda eſſe, ex verborum συναφεια demonſtrari poſſe, *Spierius* aſſerit (s). De ordine librorum N. T. res in vulgus eſt nota (t). *Ieremiam* autem nunc ante, nunc poſt, *Ieſaiam* collocatum eſſe, *Danielem* nunc inter hagiographa legi, nunc *Heſekielem* ſequi, perantiquorum Codicum collatio docet. Taceo *Tarnovii*, quod de *Iona* affert, argumentum. Id *C. B. Michaelis* quam lubentiſſime concedimus, *Amoſum* auſpicalia prophe-

(n) *Loc. cit. p.* 401 *n.* 11.
(o) *Chron. temp. V. T.*
(p) *Typ. Doctr. Prophet. Cap. IV* §. 12 *p.* 35.
(q) *Introduct. ad lib. prophet. p.* 310.
(r) In Diſſ. *de Vaticinio Amoſi Propheta, Hal.* 1736 §. *XXI pag.* 30.
(s) In Diſſ. *de rationali, non confuſo, ordine Concionum Prophetarum,* Vitemb. 1734, §. *III p.* 5.
(t) Circa diſpoſitionem Epiſtolarum *Pauli* non temporis, ſed dignitatis cuiuslibet civitatis, habitam eſſe rationem, vel ex eo apparet, quod alias ſecundum ordinem chronologicum *Epiſt. I ad Theſſ.* omnium foret prima.

phetiæ ſuæ verba *Cap. I, 2*, ex *Ioelis IV, 16*, deſumſiſſe, atque hoc argumentum efficere, ut, quo tempore *Amoſus* vaticinari occœpit, *Ioelis* prophetiam iam exſtitiſſe credamus; non poterit tamen quisquam inde concludere, *Ioelem Amoſo* æqualem fuiſſe, niſi eo ipſo ſimul concedere velit, *Ieſaiam* iam *Moſis* tempore vixiſſe, cum ille *Cap. I, 2*, huius verba ex *Devt. XXXII, 1*, repetat (u). Aequali fere ratione res ſe habet cum argumentis, quæ *Camp. Vitringa* pro ſtabilienda hac ſententia in medium produxit (x). Ex parte enim id ſaltem probant, quod *Ioel* non poſt, ſed ante, *Amoſum* vaticinatus ſit, quod nemo negabit. Ex parte autem nulla iisdem vis ineſt, modo attendatur, *Amoſum* eadem vaticinia, quæ a *Ioele* olim prolata erant, attamen nondum impleta, poſt multorum annorum intervallum iterum ex mandato divino repetere debuiſſe. *Oſiander*, cuius decreta *I. C. Deckerus* recoxit (y); non multum a ſuperiori ſententia abit, & vatem noſtrum ad tempora *Abaſi* & *Hiskiæ* refert (z), ſed habemus, cur nec ei ſubſcribamus. Apud Hiſtoricos ſacros enim nullibi famis cuiusdam, quam tamen *Ioel* deplorat, mentio fit, quæ tum temporis terram Iudaicam preſſerit, imo ne quidem apud *Amoſum* & *Zachariam*, qui tamen terræ motum temporibus *Hiskiæ* ter-

(u) Vid. *I. C. Schrammii* Diſſ. *de Dictis V. T. in V. T. repetitis*, Helmſt. 1723, *p.* 1 *ſeq.*

(x) *Loc cit.*

(y) In Diſſ. *de Prophetarum ordine chronologico*, Halæ 1739, §. *V pag.* 12.

(z) In *Not. Bibl.*

terram vaſtantem, ab iisdem ſilentio prætermiſſum, notarunt.

Maxima tandem interpretum cohors famem, *Ioel I* commemoratam, reſpicit, atque ex hoc ſolo caſu genuinam *Ioelis* ætatem conſtituere audet. Unus ipſorum ordo, ob famem, a *Ieremia XIV*, *1*, *2*, clamatam, *Ioelem* ad huius Prophetæ tempora refert (a). Alter vero famem, *2 Reg. VIII*, *1*, deſcriptam, reſpicit, atque *Ioelem Eliſæi* æqualem facit (b). Sed incertam ineunt viam, quotquot ex ſolo famis phænomeno certum Prophetæ cuiusdam ævum colligere ſtudent. In terra enim Iudaica, ob clima cœli & naturalem terræ ſiccitatem, quippe quæ plurimis in locis vix ac ne vix quidem rupes tegebat, perfrequens erat annonæ caritas. Quare etiam nihil valet hæc argumentandi ratio: Hoc, vel illo, tempore fames regionem preſſit, ergo *Ioel*, famem deplorans, hoc, vel illo, tempore ſcripſit. Vaga enim ſemper atque ambigua nihilo minus vatis manet ætas, niſi aliæ circumſtantiæ accedant, quibus extra omnem dubitationis aleam ponatur. Si tamen dicendum, quod res eſt, illi utique quam minimum a veritate aberrarunt, qui famem, *2 Reg. VIII* commemoratam, reſpexerunt, & *Ioelem* hinc eiusdem ætatis cum *Eliſæo* fuiſſe autumarunt, quemadmodum hoc ex ſequentibus clarius patebit.

Fuit

(a) Pertinent huc *Danæus*, *Tarnovius*, *Calovius*, *Cornel. a Lapide* in Comment. & plerique alii, ab his citati, Auctores.

(b) Fecerunt hoc Ebræorum nonnulli, ut *Kimchius* & R. *S. Iarchi.* ad *Ioel. Cap. I.*

Fuit nimirum, quemadmodum *Eliſaeus* in terra Iſraelitarum, ita *Ioel* inter alios quam plurimos, vates in Iudaea inclytus (c). Praedicaſſe enim eum ſolis Iudaeis, praeter *Corn. a Lapide* & *Tarnovium*, *Calovius* ſatis abunde ex eo demonſtravit, quod X Tribuum non meminerit, domus autem Dei *Cap. I, 9, 14, 16*, & Sionis *Cap. II, 1, 15, 23, 32*, *Cap. III, 16, 17, 21*, mentionem faciat, & *Cap. III, 1, 6*, Deus promittat, ſe multitudinem Iudae & Hieroſolymorum reducturum (d). Coepit autem *Ioel* ſcribere ſub *Ioſaphato*, rege Iudaeorum, atque vaticinationis terminum ad tempora *Iorami*, filii *Ioſaphati*, produxit. Id quod ex inſpectione prophetiarum ipſius, variis ſchedulis olim inſcriptarum, ab *Esdra* autem, aut alio viro theopnevſto ante ipſum, in unum volumen iam collectarum, earundemque ſedula cum hiſtoria dictorum regum ſecundum potiora momenta inſtituta collatione, evidenter ſatis apparet. Deplorat ſcilicet *Ioel. I* famem ingentem, temporibus ſuis terram Iudaicam prementem. *Capite* ſequenti maiores calamitates, ex bello inprimis naſcituras, niſi reſipiſcant, minatur, adhortationis argumentum ſimul a felicitate petens, poenitentibus olim Iudaeis ex aquilonaris illius ſtrage oriunda. Tandem *Cap. III* iudicium Dei, in valle *Ioſaphat* adverſus gentiles exercendum, commemorat, at-

que

(c) Vid. *I. Uſſerius Annal. V. T. p.* 43 *ad annum M.* 3197.

(d) Mentionem quidem *Ioel* iniicit Iſraelis *Cap. II*, 27, *III*, 16, ſed X tribus regni Iſraelitici hoc nomine non complectitur, quod vel ex ipſa inſpectione locorum ſatis elucet.

que Philiſtæis, Sydoniis, ac Tyriis, fata triſtiſſima obnuntiat, hoſtibus Iudæorum diriſſimis, totam regionem vaſtantibus, regnoque Iudaico fere exitialibus. Age, quæſo, quibus temporibus hæc magis accommodata ſunt, quam *Ioſaphati* & *Ierami*, regum Iudæ? En, quam accurate circumſtantiæ commemoratæ cum horum regum hiſtoria collineent!

Ioel certe nullam aliam deplorat famem, quam quæ temporibus *Eliſæi* terram vaſtavit. Faciem enim deſcribit famis cuiuſdam diriſſimæ, qualis illa præ aliis fuit. Reiicit quidem hanc ſententiam *Tarnovius* ob repugnantiam annorum. Putat enim, famem, a *Ioele* clamatam, quatuor tantum annorum fuiſſe, famem vero, *Eliſæi* temporibus regnum Iſraeliticum prementem, ſeptem annos duraſſe. At vero, quemadmodum de poſteriori adhuc ſub iudice lis eſt, ita & prius ex *Cap. I, 3*, precario aſſumitur. Cl. *Deckerus* ſic argumentatur: *Iudaeos Ioelis prophetiam maxime reſpicere, ex argumento eiusdem abunde conſtat. Septennii autem famem Iudæam invaſiſſe*, 2 Reg. VIII *non aſſeritur. Ergo, quam Ioel clamat, famem eandem eſſe, quam Eliſæus prædixit, nullo poteſt iure affirmari* (e). Sed reſpondemus, poſſe id eodem iure affirmari, quo negari, immo maiori. Ex ſilentio enim Scripturæ debilia admodum nectuntur argumenta. Demonſtret nobis quoque *Deckerus*, quomodo poſſibile ſit, ut terra

(e) *l. c. §. V pag.* 11.

terra quædam, dira eiusmodi ex annonæ caritate redundante fame, prematur, ac terra Iſraelitarum, ut proxime ei adhærens regio, nullum inde perſentiſcat incommodum, aut eandem non experiatur, quam confinis ipſi terra, calamitatem. Id nobis potius probabile videtur, quod, licet Iudæi, quemadmodum communiter de Iſraelitis creditur, ſeptem annorum fame fatigati non ſint, famem tamen quandam per tres quatuorve annos ſint paſſi.

Sic autem & *Tarnovii* & *Deckeri* obiectiones nobis non obſtant. Bellum illud dirum, quod Propheta noſter *Cap. II* populo minitatur, cuius tamen diſcrimina tantum non omnia a pœnitentibus Iudæis avertenda erant, nullum aliud reſpicit bellum, quam quod *Ioſaphatus* adverſus Moabitas, Ammonitas, & Idumæos, geſſit. Erant hi populi Iudæis maximam partem ab aquilone (f). Unde quoque facile intelligi poterit, quid *Ioel* ſibi velit cum *aquilonari* iſto, *Cap. II, 20*, commemorato. Veniebant autem contra Iudæos cum tanto armorum ſtrepitu, ut his utique bellum diriſſimum formidandum eſſet. Sed populus ad exemplum regis pœnitentiam agebat, Deumque ieiuniis & precibus placabat. Quo facto, *Ioſaphatus* cum ſuis, hoſtes vix adortus, illos fudit,

(f) De Ammonitis patet hoc ex ſitu, quem regioni ipſorum adſcribit *A. Relandus* in *Palæſtina pag.* 104. De Moabitis idem cognovi ex Mappis quibusdam geographicis, inprimis ex ea, quam ex Archetypo, a Cel *Herm. von der Hardt* delineato, calamo deſcriptam poſſideo.

fudit, aut fuſos illos prius vidit, quam aggrederetur, prout hæ circumſtantiæ, a *Ioele Cap. II* prædictæ, *2 Chron. XX* prolixius narrantur.

Quæ *Cap. III, 7 ſeq.* habet vates noſter, apprime coincidunt cum ſtatu Iudæorum ſub *Ioramo*, ubi Philiſtæi & Arabes invaſerunt & ſpoliarunt Iudæam, ac in ea Hieroſolymam, prole regia cæſa, omnibusque theſauris ablatis. Qui quidem hoſtes, licet a Deo excitati eſſent, crudelitatem tamen atque tyrannidem in Iudæos nimis acuebant. Reprehenduntur ergo a Propheta aliquando propterea in valle Ioſaphat, hoc eſt, modo eodem, quo hoſtes in valle Engeddi ceciderant (g), indicandi. Et quis iam eſt, qui ex harmonia vaticiniorum *Ioelis* cum hiſtoria, *2 Chron. XX & XXI* deſcripta, ſatis abundeque non intelligat, *Ioelis* ætatem in tempora *Ioſaphati & Iorami*, regum Iudæ, incidere? Quis non perſpicit, principum horum res geſtas optimum quaſi commentarium in libellum *Ioelis* ſuppeditare, cum ceterorum regum hiſtoria, ad quorum tempora vaticinia *Ioelis* vulgariter referuntur, ad explicationem eius non æque collineent (h). Iam examinen-

(g) *2 Chronic. XX, 2, 24.*

(h) Hæc dum ſcribimus, ecce! in manus venit Celeb. D. *Baueri Introductio in Prophetiam Ioelis*, ex qua maximo cum gaudio intelleximus, nos, quod ad *Ioſaphatum* attinet, eundem habere conſentientem. Verum in eo ſaltem eſt, ut probet, totum vaticinium ad tempora *Ioſaphati* eſſe referendum, cum nos, ob maiorem paralleliſmum cum hiſtoria, libellos ultimos *Ioelis* ad *Iorami* tempora retulerimus. Hypotheſi tamen no-

tur noſtræ, quas circa nomen & ætatem *Ioelis* fecimus, obſervationes, & quid iam de auctore epiſtolæ, ad *Ioramum* datæ, dicemus? Num *Ioel* noſter is fuit, aut *Elias Thisbites*? Si noſtrum poſcis iudicium, Lector benevole, fallimur, aut conſultius erit, ſcriptum hoc *Ioeli* tribuere, quam *Eliæ Thisbiti*. Prior enim ſententia ex iis, quæ huc usque diſputavimus, maximam probabilitatis ſpeciem induit, in eaque omnia plana ſunt ac perſpicua. Poſterior vero inſuperabilibus premitur difficultatibus, & plurima ſupponit incongrua magis ac ficta, quam conſonantia atque probata. Ut res uno quaſi obtutu ſe nobis offerat, repetamus breviter ac conferamus ſententias. Qui pro *Elia Thisbite* diſputant, præter alia, poſtulata magis, quam demonſtrata, hæc ſupponunt momenta: ſcilicet, quod *Elias*, Propheta, in Iſrael quidem & verbis & factis clarus, in Iudæa autem non itidem cognitus, epiſtolam quandam ad *Ioramum* miſerit minis refertam; quod eandem, cum adhuc in terris verſaretur, exaraverit, atque cuidam concrediderit, qui *Ioramo* olim eam redderet; quod eiusmodi denique vir, cui *Elias* ſuam concrediderit epiſtolam, tanta apud *Ioramum* fuerit auctoritate, ut hic de theopnevſtia libelli huius dubitare non potuerit. Nos autem aſſerimus, *Ioelem*, qui tempore *Iorami* vaticinabatur in Iudæa, per ſuperius dicta, eundem eſſe *Eliam*, cuius epiſtola *Ioramo*

noſtræ ſagaciſſimus hic ſacrorum oraculorum ſcrutator multum affundit luminis, ideoque, circa hanc materiam *Introductionem* eius conſuluiſſe, neminem pœnitebit.

ramo fuit tradita, atque id tantum nobis expetimus, quod facile concedi poteſt, vatem noſtrum pro more Iudæorum ob unam eandemque utriusque vocis ſignificationem & *Ioelem* & *Elijahu* dictum eſſe. Aequa lance utramque perpendant ſententiam eruditiſſimi ſaerarum literarum ſcrutàtores, &, quam probabiliorem iudicabunt hypotheſin, illi inhærebimus. Linquimus iam vatem, epiſtolæ ad *Ioramum* datæ auctorem, filumque abrumpimus, memores illius μέγα βιβλίον, μέγα κακὸν, nihilque magis optamus, quam ut cum lectore benevolo ſit in perpetuum

יהוה אל.

II.

IO. CHRISTIANI BIEL,

PAST. AD VLR. ET IOH. BRVNSVIC.

OBSERVATIO AD VERBA EZECH. XVI, 8.

ואפרש כנפי עליך

ET EXPANDI ALAM MEAM SVPER TE.

ARGVMENTVM.

I. *In contextu Deus fœdus, quod cum populo Iſraelitico inierat, tanquam fœdus matrimoniale deſcribit, & phraſes a ritibus nuptiarum deſumit. Hebræi, matrimonium ineuntes, iuramen-*

to illud firmarunt. Ita & Græci & Romani. Theocritus *illuſtratus.* Heſychii *emendatio firmata.* II. *Deus alias etiam de nuptiis loquitur, cum populo ſuo celebratis, & Iſraelitæ, ad idola confugientes, & a Deo deſciſcentes,* ſcortari & adulterari *dicuntur.* Ier. II, 2, *exponitur.* כלולות *non* ſponſalia, *ſed* nuptias, *ſignificat, ut apud LXX* τὲλείωσις. III. IV. *Uxorem ducentes, alas ſuas in illam expandere dicebantur.* Ruth. III, 9, *explicatur.* כנפים *aliquando* oras, *vel* extremitates, veſtium *ſignificant, ut Græcis* πτερύγια. *Veſtes pro ſtragulis olim adhibitæ. Sub pallio, læna, vel chlamyde, alicuius olim dormiviſſe dicuntur, qui una cum illo dormiverunt.* Euripides *dilucidatus.* I. B. Carpzovius & Th. Haſæus *notati.* V. VI. *Senſus verborum* Ezech. XVI, 8, *declaratur.*

I.

Verba: ואפרש כנפי עליך, *& expandi alam meam ſuper te,* inter alia loquebatur ad populum Iſraeliticum Deus, cum fœdus illi in memoriam revocaret, quod cum illo olim inierat, quodque tanquam fœdus matrimoniale illi ob oculos ponebat. Sic enim verbis ſtatim ſequentibus: ואשבע לך ואבוא בברית אתך נאם אדני יהוה ותהי לי: *Et iuravi tibi, & inii fœdus tecum, inquit Adonai Iehovah, ut eſſes mihi.* Nam poſtrema verba, *ut eſſes mihi,* bene exponuntur *Seb. Schmidio: ut eſſes mihi in uxorem.* Sic phraſis alias de fœminis, quæ nubunt viris, & uxores eorum

eorum fiunt, occurrit *Lev.* XXII, 12: *Et filia ſacerdotis*, כִּי תִהְיֶה לְאִישׁ, *ſi fiat viro*, ſcilicet in uxorem, vel *nubat viro*. Vid. & *Num.* XXX, 7, *Iud.* XIV, 20, & conf. *Ezech.* XXIII, 4, ubi Deus de Iſraelitis, ſub nomine *Obola* & *Oboliba*, duarum ſororum, repræſentatis: וַתִּהְיֶינָה לִי, *& fiebant mihi*, ſcilicet in uxores, *& pariebant filios & filias.* Cumque Deus ea occaſione, qua fœdus cum populo Iſraelitico feciſſe ſe dicit, ut ſibi eſſet in uxorem, etiam illi *iuraviſſe* teſtatur, procul dubio alludit ad conſuetudinem, qua Hebræi, matrimonium ineuntes, ad mutuum amorem & fidem iuramento ſe obſtrinxerunt. Vide *Malach.* II, 14, ubi Deus ſe *teſtificatum* eſſe *inter Iudæum & uxorem eius* propterea dicit, quod ille coniuglum, cum illa initum, iuramento confirmaverat, eoque teſtem Deum invocaverat, ſe infidelem illi non futurum eſſe. Conf. *Ier.* XLII, 5, unde patet, quod iurantes teſtem Deum invocaverint. Inde & fœdus matrimoniale *pactum Dei*, ſive *divinum*, dicitur *Prov.* II, 17. Vide *Geierum* ad *h. l.* Eadem conſuetudo & apud Græcos obtinuit. Inde enim puella apud *Theocritum Idyll.* XXVII, 34, ad *Daphnidem*:

Ὄμνυε· μὴ μετὰ λέκτρα, λιπὼν ἀέκουσαν, ἀπέλθῃς.

Iura igitur, ne poſt concubitum abeas, invitam relinquens.

Et *Daphnis* reſpondens *v.* 35:

Οὐ, μ' αὐτὸν τὸν Πᾶνα, καὶ ἢν ἐθέλῃς με διῶξαι.
Non, per ipſum Pana, etſi me velis abigere.

Μὰ αὐτὸν τὸν Πᾶνα, *per ipſum Pana*, ibi eſt formula jurandi, ut apud *Ariſtophanem Plut. v. 1070:* μὰ τὴν Ἀφροδίτην, *per Venerem*, & *v. 1071:* μὰ τὴν Ἑκάτην, *per Dianam*, & *Conc. v. 155, 156:* μὰ τὼ Θεὼ, *per Pollucem & Caſtorem.* Obiter inde firmare liceat emendationem *Scaligeri* & *Palmerii*, qua apud *Heſychium* pro Μὰ τὼ θεῶν, quod exponitur ὐ μόνον γυναῖκες, ἀλλὰ καὶ ἄνδρες ὤμνυον, *non ſolum mulieres, ſed etiam viri, ita iurabant*, reponunt: Μὰ τὼ Θεώ. Sic & apud *Achillem Tatium de Clitophont. & Leucipp. Amor. Lib. V pag. 123 ſeq. Clitophon* de ſe ipſo & *Melite*, ſponſa ſua: Τῇ δ' ὑςεραίᾳ συνέκειτο ἡμῖν εἰς τὸ τῆς Ἴσιδος ἱερὸν ἀπαντῆσαι, διαλεξομένυς τε ἀλλήλοις καὶ πιςωσομένυς ἐπὶ μάρτυρι τῇ Θεῷ. Συμπαρῆσαν δὲ ἡμῖν ὅτε Μενέλαος καὶ ὁ Κλεινίας. ὀμνύομεν, ἐγὼ μὲν ἀγαπήσειν ἀδόλως, ἡ δὲ ἄνδρα ποιήσασθαι, καὶ πάντων ἀποφῆναι δεσπότην. *Poſtridie vero convenit inter nos, in templum Iſidis nos conferre, ibique, teſte Dea, colloqui, &, quid inter nos futurum eſſet, confirmare. Una vero nobis aderant & Menelaus & Clinias. Iuravimus, ego quidem, me ſincere illam amaturum, illa vero, me ſibi coniugem habituram, rerumque ſuarum omnium dominum habituram.* Vide &, quæ de Romanis obſervat *Lydius de Iuram. Cap. I pag. 257.* Sicuti autem Deus *Ezech. XVI, 8,* fœdus, quod cum populo Iſraelitico iniit, tanquam fœdus matrimoniale ob oculos ponit, ita & *verſ. ſeq.* phraſes e ritibus deſumit nuptiarum. Vide *Theodori Haſæi Exerc. de Baptizatis, Chriſtum in-*

dutis,

dutis, in *Bibl. Brem. Claſſ. IV pag.* 1037, & *Ezech. Spanhemii Not. in Ariſtoph. Plut. v.* 529, 530.

II. Alias etiam Deus de nuptiis loquitur, cum populo ſuo celebratis. Ita *Ier. II*, 2: *Recordor tibi gratiam iuventutis tuæ, amorem* כלולתיך *nuptiarum tuarum*, hoc eſt, recordor in emolumentum tuum, (conf. *Lev. XXVI*, 45, *Pſalm. CVI*, 45,) quantam gratiam inveneris in oculis meis tanquam pulchra puella in iuventute tua, (conf. *Devt. V*, 27, 28,) & quo te amore complexus ſim (conf. *Devt. XXXIII*, 3,) eo tempore, quo nuptias tecum quaſi celebravi, & matrimonium conſummavi in fœdere, quod tecum feci in monte Sina. Lexicographi & interpretes recentiores, quos vidi, כלולות *deſponſationem*, *ſponſalia*, interpretantur. Sed, cum vox originem trahat a כלל, *perfecit, conſummavit*, malim vocem illam de *nuptiis* exponere, quibus matrimonium conſummatur. Favent explicationi illi LXX, qui verba: אהבת כלולתיך, reddunt: *ἀγάπης τελειώσεώς σȣ*. Nam per *τελείωσιν* ibi pariter *nuptias* intelligere videntur; ſiquidem & Græcis alias *nuptiæ τέλος*, & *γάμȣ τέλος*, & *nubere, matrimonium inire*, *τελεῖσθαι*, & *ſacrificium ante nuptias προτέλεια*, dicebatur. Vide, ſis, *Specimina* mea *Novi Theſ. Philol. pag.* 99. Cumque Deus, tanquam maritus coniugem, populum Iſraeliticum ſibi copulaverit; inde ad idola confugientes, & impietate a Deo deſciſcentes, fœderisque adeo coniugalis obliti, *ſcortari* & *adulterari* in Scripturis dicuntur, & Deus tanquam ad zelotypiam provocatus deſcri-

bitur. Vide *Glaſſium Philol. Sacr. Lib. V Tr. 1 Cap. 9 pag. 1648*, & *Cap. 12 pag. 1838*, & *Cap. 7 pag. 1555*.

III. Cum igitur Deus *Ezech. XVI, 8*, fœdus, quod cum populo Iſraelitico olim inierat, tanquam fœdus matrimoniale repræſentet, & alias etiam de nuptiis locutus ſit, cum populo ſuo celebratis, nullum eſt dubium, quin in verbis: *Et expandi alam meam ſuper te*, ſimile deſumſerit ab illis, qui, cum uxorem ducerent, vel fœminam in fori ſociam reciperent, alas ſuas in illam expandere dicebantur. Locus eam in rem illuſtris eſt *Ruth. III, 9*, ubi *Rutha*, connubium *Boaſi* petens, quod iure propinquitatis ſibi debere exiſtimabat, illum his verbis compellaſſe legimus: אנכי רות אמתך ופרשת כנפיך על אמתך כי גאל אתה: *Ego Rutha ſum, ancilla tua, expandas igitur alam tuam ſuper ancillam tuam, quia propinquus tu meus es.* Aſſentior *Piſcatori*, *Clerico* in *h. l.* & *Lakemachero Obſ. Philol. Part. IV pag. 86*, aliisque, qui per כנף ibi *oram veſtimenti*, vel *pallii*, intelligunt; ſiquidem alias etiam *oræ*, vel extremitates, veſtium, כנפים, *alæ*, in Scripturis vocantur. Vid. *Num. XV, 38*, *Devt. XXII, 12*. Hinc etiam Gloſſæ in Octateuch. apud *Fabricium* in *Bibl. Græc. Vol. X pag. 65* Πτερύγια, (qua voce LXX כנפים *Num. l. c.* reddunt,) interpretantur *Φάρσια τῶν ἱματίων*, *extremas partes veſtimentorum.* Conf. *Agg. II, 13*, ubi כנף Alexandrinis exponitur *τὸ ἄκρον*, *extrema pars.* Sic & apud *Heſychium* Πτερύγια ſunt *τὰ ἄκρα τῶν ἱματίων*,

τιῶν, *extrema veſtimentorum*. Apud eundem Πτέρυγες explicantur *μέρος χιτῶνος, τὰ περὶ τὰ κράσπεδα, pars tunicæ, partes, quæ circa fimbrias.* Conf. & *Heſychium* in Θετταλικὰ πτερὰ, *Bonfrerium* in *Num. l. c. Salmaſium de Pall. pag.* 111 *ſeq.* & *Braunium de Veſt. Sacerd. Hebr. Lib. II Cap.* 5 *§.* 410. Itaque *Rutha*, a *Boaſo* petens, ut alam ſuam ſupra ipſam expanderet, hoc ſibi volebat, ut extremitates veſtimenti, vel veſtem ipſam, de qua ſynecdochice accipi poteſt, ſupra ipſam expanderet, atque ita in tori ſociam acciperet.

IV. Cur autem hoc ita exprimeret, *primo* quidem duplicem rationem reddi poſſe, doctiſſimus *Lakemacherus l. c.* exiſtimat. Quodſi enim hoc de *angulo veſtis*, & ſynecdochice de *veſte tota*, acceperis, *alam ſuper aliquem expandere* idem eſſe ſtatuit, ac *veſtibus ei proſpicere*; at, ſi alæ notioni inhæreas, eandem formulam tropice ſignificare *protegere, tueri, & ab iniuriis defendere.* Et, utrumque mariti erga uxorem eſſe officium, docet. Deinde vero cogitans, quod *ala Deut. XXIII, 1, & XXVII, 20*, de *ſtragula lecti* exponi poſſit, virum dici poſſe alam ſuam ſupra fœminam expandere, exiſtimat, ſi eam ſub ſtragulam ſuam in torum reciperet, atque adeo *Rutham*, petentem, ut alam ſuam ſupra ipſam expanderet *Boaſus*, ſtragula eius tegi voluiſſe, hoc eſt, lecti ſociam, coniugem, fieri. Atque hæc ſimplicior mihi cum ipſo explicandi ratio videtur. Eamque & aliis ante illum iam placuiſſe, ex *Polo*, & Cl. *Michaelis Annotat. in h. l.* conſtat. Mirum vero eſt, Viros

doctiſ-

doctiſſimos ad confirmandam illam non memoraſſe, quæ de veſtibus, pro ſtragulis olim adhibitis, in ſacris & profanis monumentis reperimus. Sic enim *Iud. IV, 18, Iael Siſſeram*, ad ipſam in tentorium ſecedentem, texiſſe dicitur שמיכה, quod LXX interpretantur ἐπιβόλαιον, qua voce alias מעיל, *pallium*, reddit *Theodotion 1 Sam. XXIV, 12. Polluci* vero etiam *Lib. VI ſegm. 10* inter ſtragula lecti ἐπιβόλαια, & *Lib. X ſegm. 42* ἐπιβλήματα, περιβόλαια, ἐφεστρίδες, χλαῖναι, referuntur, quia veſtimentis illis pro ſtragulis olim uſi ſunt. Hinc ſcriptoribus Græcis ſub pallio, læna, vel chlamyde, alicuius dormiviſſe dicuntur, qui una cum illo dormiverunt. *Philoſtratus Epiſt. 44:* Ἦν πτωχὸς ὁ Σωκράτης, ἀλλ᾽ ὑπέτρεχεν αὐτοῦ τὸν τρίβωνα ὁ πλούσιος Ἀλκιβιάδης. *Erat pauper Socrates; attamen pallium eius ſubibat dives Alcibiades.* De qua re & *Athenæus Lib. V pag. 219:* ὡς Ἀλκιβιάδης συνεκοιμήθη ὑπὸ τὴν αὐτὴν γενάμενος χλαῖναν, *ut Alcibiades cum eo dormiverit ſub eadem læna.* Sic de *Helena*, cum *Menelao* cubitum eunte, *Theocritus Idyll. XVIII v. 19:*

> Ζανός τοι θυγάτηρ ὑπὸ τὰν μίαν ἵκετο χλαῖναν.
>
> *Iovis tibi filia ſub eandem tecum venit lænam.*

Sic in *Trachiniis Sophoclis v. 540 Deianira* de ſe & *Iola*, cum *Hercule* dormituris:

> Καὶ νῦν δύ᾽ οὖσαι μίμνομεν μιᾶς ὑπὸ
> Χλαίνης ὑπαγκάλισμα.

Et

Et nunc nos duæ exſpectamus ſub una
Læna amplexum.

Et *Meneclides* de *Bacchide* apud *Alciphronem* *Lib. I Epiſt. 38 pag. 176:* Ὑπὸ τὄμὸν ἠγάπα κοιμωμένη χλανίδιον, *contenta erat, ſi ſub mea læna dormiret.* Vide ad *h. l.* notas Cl. *Bergleri.* Inde lucem accipiunt verba *Euripidis* apud *Stobæum* *Serm. LXXII pag. 404,* ubi pater filiam ſuam nupturam ita alloquitur:

Ὅταν ὑπ' ἀνδρὸς χλαῖναν εὐγενοῦς πέσῃς.
Τὰ δ' ἄλλ' ἀφεῖναι μηχανήματ' ἀνδράσιν.
Cum vero ſub egregii viri læna decubueris,
Reliqua ſtudia viris relinquas.

Doctiſſ. *Io. Benedictus Carpzovius* Diſſ. *de Chuppa Ebræorum Cap. II §. 10* putat, non tam ovum ovo, quam hanc loquendi formulam, in verbis Poetæ, ſimilem eſſe ritui Hebræorum, quo ſponſus parte veſtis, *Talles* dictæ, in nuptiarum ſolennibus ſponſam obnubilat. Eiusque ſententiam amplectitur Cl. *Theodorus Haſæus Exerc. ad Gal. III, 27,* in *Bibl. Brem. Claſſ. IV p. 1035.* Sed, uti ex locis, ante adductis, manifeſtum eſſe puto, quod *ſub læna alicuius dormiviſſe* dicti ſint illi, qui una cum aliquo dormiverint, ita nullus dubito, quin apud *Euripidem* phraſis, ὑπ' ἀνδρὸς χλαῖναν πίπτειν, non alium ſenſum habeat, quam *ſub viri læna decumbere,* vel *tori eius ſociam eſſe.* Quemadmodum & alias ritus illius Iudaici apud Græcos nec volam, nec veſtigium, reperimus.

Imo

Imo non immerito ille recentior videtur Cl. *Michaelis* Not. ad *Ruth. III, 9.*

V. Hactenus me ſatis oſtendiſſe, autumo, quod verba *Ruthæ*, quibus a *Boaſo* petebat, ut alas ſuas in ipſam expanderet, commodiſſime ita poſſint accipi, velit ipſam in tori ſociam recipere, & quod hoc ipſum phraſi illa expreſſerit, quia olim veſtimentis exterioribus pro ſtragulis uſi ſint, atque adeo viri veſtimenta ſua in fœminas expanderint, ſi coniugium cum illis ineuntes, in tori ſocias easdem receperint. Cum ergo in verbis Dei apud Prophetam: *Et expandi alam meam ſuper te*, procul dubio ſimile inde deſumtum ſit; hæc etiam non alium ſenſum habere poſſunt, quam quod Deus populum Iſraeliticum, tanquam maritus coniugem, arctiſſime ſibi copulaverit, quod tanquam in toro ſub una veſte ſtragula amplexibus ſuis illum dignatus ſit, ita ut ſingularem eius amorem expertus, & ad intimam conſuetudinem eius perveniens, Dominum paulo penitius cognoſcere potuerit. Conf. *Exod. XXIV, 9, 10, 11.* Ex *h. l.* enim patet, quod populus Iſraeliticus eo tempore, quo Deus fœdus coniugale cum illo conſummavit, in ſenioribus ſuis tanquam in thalamum admiſſus ſit ad propius cognoſcendum Deum ſuum. Conf. & *Hoſ. II, 20*, & quæ ad *h. l.* notavi in *Specim. Nov. Theſ. Philol. pag. 71.*

VI. Sicuti autem Deus ille Iſraelis, quem populus Iſraeliticus in ſenioribus ſuis poſt conſummationem fœderis propius cognoſcebat, nemo

alius

alius erat, quam filius Dei, qui illum ex Ægypto eduxerat, qui in montem Sina deſcenderat, qui verba legis ibi coram auribus populi per tonitrua elocutus fuerat, *Exod.* XX, 1, 2, *Pſalm.* LVIII, 8, 9, *Hebr.* XII, 26, quique ſenioribus populi ſui ſub humana ſpecie ſe conſpiciendum præbebat, *Exod.* XXIV, 10, ad præfigurandum, quod humanam aliquando naturam aſſumturus ſit; ita ſub alæ, vel veſtis, ſuæ ſymbolo procul dubio propoſuit perfectiſſimam iuſtitiam, quam ut θεάνθρωπος activa & paſſiva obedientia ſua hominibus acquirere conſtituerat. Hæc enim alias מעיל צדקה, *pallium iuſtitiæ*, dicitur, & ut veſtis Eccleſiæ laudatur, qua peccati & corruptionis eius nuditas tegitur. Vid. *Ieſ.* LXI, 10, *Zach.* III, 4, 5, *Apoc.* III, 18, XIX, 8. Et hanc alam, hanc veſtem, ſuam ſuper populum Iſraeliticum expandit, hac *nuditatem* eius, legis manifeſtatione revelatam, *operuit*, cum *Moſes*, prælecto libro fœderis coram populo, ſuper eundem ſparſit ſanguinem fœderis de ſacrificiis vitulorum, *Exod.* XXIV, 8, *Hebr.* IX, 19. Tum enim per fidem in ſanguinem Chriſti, ſanguine illo adumbratum, peccatis mundati, & omnis iuſtitiæ Chriſti participes facti ſunt.

III.

PETRI ZORNII,

OLIM IN GYMNASIO THORUNENSI RECTORIS, PROFESSORIS PRIMARII, ET BIBLIOTHECAE PUBLICAE PRAEFECTI,

DIS-

DISSERTATIO DE במות, SIVE MAVSOLEIS VETERVM EBRAEORVM, POSTHVMA.

I.

Vox במה locum ſæpius deſignat excelſum ſive á natura, ſive arte, (præſertim cum במה diſtinguitur a גבעה, *colle*, ut *2 Chron. XXVIII*, 4,) factum aggeſtumque, rem item ſublimem (1), nec minus ſtructuram in altum aſſurgentem, ſpeciatim *Mauſoleum*, & *ſumtuoſum aliquod ſepulcri monumentum.* Atque hanc poſtremam ſignificationem licet adhuc non obſervaverint Lexicographi; manifeſtam tamen eſſe putamus ex hoc *Ezechielis* loco *Cap. XLIII*, 7: *Fili hominis*, vides *locum ſolii mei*, & *locum plantarum pedum meorum*, (templum Hieroſolymitanum,) *ubi habitabo in mediis Iſraelitis in perpetuum. Nec polluet amplius domus Iſraelitarum nomen meum ſanctum* (aedem nomini meo conſecratam) *cum ipſa*, *tum reges eius ſcortatione ſua*, *aut propter cadavera regum* (in loco vicino condita) *monumentis ſuis.* Dum cum *Antonio Bynao* (2) & *Io. Gothofr. Lakema-*

1) Sic במתי ים *Iobi IX*, 8, ſunt *fluctus maris*, qui in ſublime feruntur; במתי עב *nubes excelſæ Ieſaiæ XIV*, 15.

2) *Von dem gecreutzigten Chriſto Cap. XX* §. *XX pag.* 795.

kemachero,3) בְּמוֹתָם *monumentis ſuis* vertimus, diſcedimus quidem ab interpretibus omnibus, quippe qui בָּמוֹת de locis acceperunt editis, in quibus ſacrificia offerebant, ſed non ſine ratione id facimus. Nempe id potiſſimum ſermone hocce dolet vir, *Ezechieli* in viſione loquens, Reges Iudæorum non fuiſſe veritos in templi, ſedis illius divinæ, vicinia, ſeu in arce Zionis, quæ monti Moriæ Xyſto, ex valle interiacente educto, iuncta erat, fœda perpetrare facinora, deceſſorumque ſuorum condere cadavera: non reputantes, violari hoc ipſo ſanctitatem templi, ac reverentiæ, eidem debitæ, officium. Sic *Davides* ipſe in civitate ſua, hoc eſt, in Zione, ubi regia, e regione montis Moriæ ſepultus eſt *1 Reg. II, 10.* Sepulti etiam ſunt Reges Iudæ ceteri plerique, *Salomo*, *Rehabeam*, *Abiam* & *Aſſa*, *Ioſaphat*, *Ioaſus*, *Amazias*, *Uſias*, *Iotham*, *Achaſus*, & *Hiskias*, qui in ſuperiori parte monumenti *Davidici*,4) hoc eſt, בְּמַעֲלֵה קִבְרֵי בְנֵי דָוִיד, *Acha-*

3) *Obſervationum philologicarum Parte VIII Obſervatione V §. II.*

4) *Chronicorum XXXII, 33*: Eſt autem *Hiskias in ſuperiori parte monumenti Davidici* repoſitus, quod forte loculi inferiores jam eſſent repleti omnes. Alii putant, id ſingularis honoris cauſa cadaveri *Hiskiæ* eveniſſe. Nempe enim Iudæis in Bavakama, uti obſervant *Guilielmus Schickardus de Jure regio Cap. VI Theorem. XIX pag.* 173, & *Martinus Geierus de Luctu Hebræorum Capite III §. XIII*, verba textus de *Hiskia*, *honore ipſum affecerunt*, innuunt, cœtum ſcholaſticum congregaſſe ad ſepulcrum ejus, hoc eſt, ſtudioſos, ut diſcerent ibi Scripturam, quia multiplicavit Legem in Iſrael, adeo, ut, cum explorarent profectus a Dan usque ad Beerſebam, non reperiretur ullus vir, aut mu-

 lier,

dicitur repoſitus. Ex *Hiskia* autem ſucceſſoribus neminem amplius eodem in monumento conditum fuiſſe legimus, forte quod ſpatium ſupereſſet nullum, vel quod maluiſſent illi in ſepulcris requieſcere peculiaribus, ipſorum cura factis, quæ templo propiora etiam fuiſſe videntur, quam *Davidicum*. *Manaſſe* certe, huiusque filius *Amon* iuxta palatium ſuum in horto *Uſæ* humati ſunt 2 *Reg.* *XXI*, *18*, *26*, humatus etiam eſt *Ioſias*. Nam per *ſepulcra patrum*, in quibus corpus illius abditum dicitur 2 *Chronic.* *XXXIV*, 24, utique illa *Amonis* & *Manaſſis*, quos parentem avumque habuerat *Ioſias*, indicari exiſtimamus. Liquet igitur ex his, פגרי מלכים, ſive Reges Iudaicos vita functos, admo-

lier, imo ne parvulus quidem, aut puella, qui non exercitati eſſent in diſcrimine puri & impuri *Paralipom.* *XXX*, 5. Nimirum ſolebant Judæi *Synagogas ſuas & ſcholas ad ſepulcra Prophetarum & ſanctorum virorum condere*, uti, præter *Joannem Braunium Selectorum Sacrorum Libro V Exercitatione VII* §. *XII pag.* 777 *ſeq.* alii viri docti obſervarunt, quos laudavimus in *Bibliotheca* noſtra *antiquaria & exegetica pag.* 1002. Reliquum eſt, ut addamus *Jo. Jac. Schudtii Obſervationem in den Jüdiſchen Merckwürdigkeiten Libro VI Capite XXXVII* §. *VI pag.* 347: *Die Rabbinen, wenn ſie forſchen, worinn doch die im Tod dem Hiskiæ erwieſene Ehre beſtanden, wann es heiſt :* und Hiskia entſchlief mit ſeinen Vætern, und ſie begruben ihn über die Græber der Kinder David, und gantz Juda, und die zu Jeruſalem, thæten ihm Ehre in ſeinem Tode, 2 *Chronic.* 32, 33, *ſagen, daſs unter andern ſolche erwieſene Ehre darinn beſtanden, daſs ſie* das Geſetzbuch auf ſeinen Sarg geleget, und geſagt, *dieſer (der verſtorbene Kœnig Hiskias) hat gehalten, was in dieſem Geſetzbuch) geſchrieben iſt.* Confer *Hiſtoriam* noſtram *Bibliorum, ex Ebræorum diebus feſtis & ieiuniis illuſtratam, Capite IX not.* 36.

admodum prope jacuiſſe ab æde divina, ſicuti & in vivis inhabitaverant. Ad quam habitationem, quæ apud *Ezechielem* ſequuntur, pertinent: *dum poſuerunt limen ſuum* (arcis ſuæ, in monte Zione,) *iuxta limen meum* (templi in monte oppoſito Moria) *& poſtem ſuum prope poſtem meum*, ſicut *paries* tantum eſſet *inter me & illos: profanaruntque nomen meum ſanctum factis ſuis deteſtandis, quæ commiſerunt; quocirca & conſumſi eos ira mea.* Poſthac vero longe aliter actum iri, ſimul nuntiatur. Fore enim, ut tum ab aliis facinoribus pravis abſtineant Iudæorum Reges, tum a corporibus regiis in loco ædi ſacræ vicino ſepeliendis. *Nunc vero rem ovebunt ſcortationem ſuam & cadavera regum ſuorum a me*, condi hæc iubebunt procul ab æde mea. *Habitabo igitur inter eos perpetuum.* Ceterum ex verbis *Petri* Apoſtoli *Actorum II, 29*, conſtat, *Davidis μνῆμα*, ſive monumentum ſepulcrale, Hieroſolymis celebre olim exſtitiſſe; præterea admiratione dignum, quod, a *Tito* civitate funditus exciſa, nihilo minus idem ſepulcrum remanſerit integrum, nec niſi temporibus *Hadriani*, uti ex *Dione Caſſio* 5) apparet, ſponte

 cor-

5) *Libro LXIX Hiſtoriæ Romanæ*, ubi de Judæis ab *Hadriano* Imperatore gravi clade affectis, *pag.* 794: Eorum, qui fame, morbo, & igni, interierunt, infinita fuit multitudo, ita ut omnis pæne Judæa deſerta relicta fuerit, καθάπερ που καὶ πρὸ τοῦ πολέμου αὐτοῖς προεδείχθη. Τὸ γὰρ μνημεῖον τοῦ Σολομῶντος, ὃ ἐν τοῖς σεβασμίοις ἦγον, ἀπὸ ταὐτομάτου διελύθη τε καὶ συνέπεσε. Id eis, antequam bellum gereretur, fuerat denuntiatum ex eo, quod *monumentum Salomonis*, quod

corruerit. Neque vero id ita accipiendum eſt, quaſi ſolo adæquatum, ſed tantum aliqua ex parte collapſum, fuerit. Nam *Hieronymus*, ad *Marcellam* ſcribens, hortatur illam, *ut ſecum in Davidis Mauſoleo oret*.

II. Inter iſtiusmodi בָּמוֹת, ſive *Mauſolea, veterum Ebræorum* referas illud quoque Mauſoleum *Sebnæ*. Etenim hic ſibi exſcindi curaverat *ſepulcrum* מָרוֹם *altum*, ſive altitudinem, non in excelſo tantum loco, ſed & in altum, eductam. Divinæ autem diræ in *Sebnam* leguntur apud *Eſaiam* XXII, 16, quas ſatis luculenter explanavit *Samuel Bochartus*. 6) Mauſoleum quoque illuſtre apud Ebræos

quod illi ſumma reverentia colunt, ſua ſponte diſſolu-
tum corruerat. Hæc ille. Obſervat autem *Baronius*,
Tomo I Annalium Eccleſiaſticorum ad A. C. 34
num. 246, a *Dione* commemorari monumentum
Salomonis, etiamſi *Davidis* fuerit, quia uterque in
eodem monumento erat conditus.

6) *Parte II Hierozoici Libro I Capite XVI pag.* 118: Pro-
pheta *Sebnæ* dicit: יְהוָה מְטַלְטֶלְךָ טַלְטֵלָה גָּבֶר, *Domi-*
nus deportabit te deportatione, o Vir. Alii, depor-
tatione viri, id eſt, inquiunt, virili, forti, vehe-
menti. Sed hæc verſio duo habet incommoda:
unum, quod hujus locutionis nullum profertur exem-
plum; nam, cum alibi legimus *viam viri, redemtio-*
nem viri, doctrinam viri, nemo eſt, qui vehemen-
tiam intelligat. Sed ſolum inde colligimus, vel in
viro hæc eſſe, vel a viro eſſe profecta. Ita deporta-
tio viri nihil eſſet, quam qua vir deportat, aut depor-
tatur, quod valde eſſet dilutum. Præterea deportatio
viri Hebraice diceretur טַלְטֵלַת גֶּבֶר, non טַלְטֵלָה.
Quis enim concesserit, quod hic nonnulli aſſerunt,
He finale in טַלְטֵלָה eſſe epentheticum, non fœmini-
ni notam, cum hoc quoque ſine exemplo ſit? Deni-
que

Ebræos hiſtoria ſubminiſtrat *gentis Hasmonææ*, docens, *Simonem* fratribus iuxta ac parentibus ſuis monumentum poſuiſſe magnificum, in oppido Iudææ Modin, vel prope illud. 7) Exſtruxit *Si-*

que accentus tiphcha in טלטלה ſuſpendit vocem, & prohibet, quo minus iungatur cum ſequente גבר. Omnino igitur גבר eſt in vocandi caſu, quaſi legeretur אתה הגבר, *O tu vir.* Quod *Aben Ezra* & *Kimchius* vere obſervarunt. Et multo ante Syrus interpres, qui ſic habet: *Dominus eiiciendo te eiiciet, o vir.* Hactenus *Bochartus*. Ante illum *Valentinus Schindlerus* in *Lexico Pentaglotto pag.* 174 iam pridem ſcripſerat; *Ecce Dominus proiiciet te proiectione, o vir, & operiet te operiendo.* Vocativum eſſe apparet ex accentu & forma abſoluta dictionis præcedentis. In eodem vaticinio apud *Eſaiam V*, 18, additur: *Valvendo volutabit volutatione* Dominus, כדור, *ſicut dur*, id eſt, *pilam ad turrem latam ſpatiis:* ibi ſcilicet כדור idem eſt, quod כגלגול in locis parallelis. Sic *Pſalmo LXXXIII*, 14: *Deus impone eos* כגלגול *ſicut pilam, ſicut ſtipulam coram vento.* Et *Eſaias XVII*, 13: *Agitabitur ut gluma montium coram vento*, וכגלגול, *& ſicut pila coram turbine.* Huc pertinet ſcitum vetus, quo Dii dicuntur homines habere quaſi pilas, *quia Deus res noſtras celeri citatas turbine verſat.* Vide *Samuelem Bochartum Parte II Hierozoici Libro V Capite VIII pag.* 712. Quicquid autem ejus rei erat, *Sebna non ſolum Mauſoleo ſuo carere debuit in patria, ſed & extra illam in terra impura ſepeliendus erat, qua nulla fuit apud Iudæos gravior pœna ſecundum Amoſum VII*, 17, præſertim cum pulverem terræ ethnicæ ex contactu inquinare docuerint ſcholæ Scribarum. Vide *Ioannem Lightfootum* in *Horis Hebraicis & Talmudicis* in *Matthæi X*, 14.

7) 1 *Maccabæorum XIII*, 27, 28 *ſeq.* Confer *Ioſephum Antiquitatum Iudaicarum Libro II Capite VI* §. *V.*

mon ſupra ſepulcrum patris ſui fratrumque ſuorum monumentum, extulitque illud in altitudinem conſpicuam, fabricatum quidem ex lapide polito a parte anteriori & poſteriori. Καὶ ἔςησεν ἐπ' αὐτῷ ἑπτὰ πυραμίδας, *impoſuitque pyramidas* 8)*ſeptem*, unam contra alteram, patri & matri fratribusque quatuor, una ſibi reſervata. Adiecit his opera etiam alia, περιθεὶς ςύλους μεγάλους, καὶ ἐποίησεν ἐπὶ τοῖς ςύλοις πανοπλίας εἰς ὄνομα αἰώνιον, καὶ παρὰ ταῖς πανοπλίαις πλοῖα ἐπιγεγλυμμένα, columnis videlicet magnis circumpoſitis, ex quibus arma ſuſpendit, *æternæ memoriæ ergo*. Iuxta arma autem naves inſculpi curavit, quæ cerni poſſent ab omnibus, mare navigantibus. Hoc eſt monumentum illud, quod Modimis condidit, hodienum ſuperſtes. Negat quidem R. *Simeon ben Gamliel*,9) hominibus virtute excellentibus exſtruenda eſſe monumenta, quod verba eorum, ſive ſententiæ egregiæ, ab iisdem prolatæ, ſufficiant memoriæ conſervandæ; at quis non intelligit, haudquaquam ſententia hac vetare *Simeonem*, monumenta ſtrui viris juſtis, hoc eſt, ſapientia & virtute præditis, ſed hanc eius eſſe mentem, *memoriam virorum præſtantium minime interituram, etiamſi monumenta poſt mortem illis erigantur nulla*. 10)

Ce-

8) Vide de *Pyramidibus Ebræorum Henricum Valeſium* in *Notis ad Euſebium pag*. 28, & *Ioannem Nicolai* in *Tractatu de Sepulcris Hebræorum Libro IV Capite VI pag*. 246, qui Pyramides *Simonis*, paulo ante deſcriptas, ex Antiquitatibus magis magisque illuſtrat.

9) In *Gemara Hieroſolymitana ad Schekklim Cap. II fol.* 47 *col.* 1.

10) Videatur R. *Aſarias* מאור עינים. Conferantur etiam

Ceterum non prætermittenda erat obſervatio *Ioannis Iacobi Schudtii* in *den Iüdiſchen Merckwürdigkeiten Libro VI Capite XXXVIII §. III p. 364: Unſere Iuden zu Franckfurt verwenden nicht viel auf* Epitaphia *und* Grabſteine, *von den Amſterdammern auf ihrem Kirchhof zu Audekerke ſagt* Phil. von Zeſen *in Beſchreibung von Amſterdam p. 194. man ſehe da etliche altfrænckiſche und erhobene Græber, zu welchen man mit einer Treppe hinauf gehet.*

III. Tranſeamus nunc ad *Mauſoleum Servatoris noſtri*, quod *Eſaias LIII, 9*, hiſce deſcribit verbis: Et dedit cum impiis ſepulcrum ſuum, & cum divite בְּמֹתָיו, *excelſa ſua*, hoc eſt, monumenta ſua. Pro בְּמוֹתָיו, mutato ־ in ſcheva præter morem: ideo in margine Maſoretæ annotant, non exſtare ſimile, (quod ſcilicet ſcheva habeat,) & vaf quieſcens deficere. Idem igitur ſunt קֶבֶר, *ſepulcrum*, & בָּמֹת, *monumenta*, *epitaphia*, *tumuli*. Hactenus *Valentinus Schindlerus*, cujus veſtigia premit *Antonius Bynæus*. 12) In præſenti audiamus

Martinus Geierus de Luctu Hebræorum Cap. VI §. X, Ioannes Nicolai de Sepulcris Hebræorum Libro IV Cap. I & II, &, *Io. Henr. Hottingerus*, qui in *Cippis Hebraicis* diverſæ formæ monumenta, viris inter Ebræos claris poſita, inæs inciſa exhibet.

11) In *Lexico Pentaglotto* in voce בום.

12) *Von dem gecreutzigten Chriſto Cap. XX §. XX pag.* 795: במתיו *iſt hier nicht* in ſeinem Tode, *wie es von vielen genommen wird, die darunter verſtehen,* er iſt geweſen, *ſondern es kommt von* במות, eine Hœhe,

Io. Gothofr. Lakemacherum: 13) vocem במתיו interpretes, quos inſpicere mihi licuit, ad unum omnes 14) Iudæi æque ac Chriſtiani habuerunt pro plurali nominis מות, cui Præfixum ב junctum eſſet; exponendumque duxerunt *in mortibus*, vel *in morte eius.* At vero, voce במתיו ſignificari aliquid, opinor, quod ad *ſepulcrum* pertineat, idque ex ipſa verborum ſerie apparere. Quodſi enim mortem illa deſignare voluiſſet Propheta; non dubitandum videtur, quin ante ſepulcri vocabulum poſuiſſet, ſervato ordine rerum naturali, quo mors præcedit ſepulturam. Iam, quod congruentius rei ſit, quam *cippus*, vel *monumentum ſepulcrale*, non poterit fortaſſe reperiri. Quodſi igitur huius ſignificationem non reſpuit vox במתיו,

und heiſt: und mit den Reichen ſeine Erhœhung, *das iſt,* Grabſtætte, *wie das nicht allein die Meinung Forſteri, Schindleri, Merceri, und anderer Chriſtlichen Ausleger, ſondern auch einiger Iüdiſchen Meiſter, iſt, welches* Aben Eſra *vorſtellt mit dieſen Worten: Und da ſind ihrer, die ſagen, daſs das Wort* במתיו *heiſſe gleich,* und du ſolt ihre Hœhen betreten, *und verſtehen ein Gebæu, welches auf das Grab geſetzt ward, und ſo wird* במתיו *ſeine Hœhe eben ſo viel ſeyn, als* קברו, *ſein Grab.*

13) *Obſervationum philologicarum Parte VIII Obſervat. V.*

14) Præter *Antonium Bynæum* tamen hic audiatur *Samuel Andreæ* in Diſſertatione *de Paſſionibus Meſſiæ, earumque exitu & ſuccedente gloria, contra Abarbanelem:* hæc quoque crucem Interpretibus fixerunt eo usque, ut punctationem ſolicitarent, & poſt *Aben Eſra* quidam (quos inter *Oecolampadius*) pro במתיו, *in mortibus eius,* legerent, במותיו, *excelſa eius,* & ita monumentum ſepulcri putarent appellari.

במתיו, erit, quo extricetur, quod in vocabulo illo impeditum eſt. Non reſpuet autem, ſi pro Plurali habeatur nominis במת. Nec morari quemquam debet multitudinis numerus in voce במתיו, quæ in illo unitatis poni debuiſſe videatur, cum ſepulcro uni non niſi monumentum conveniat unum. Etenim, (ut numeri mittamus enallagen, ad quam alioqui, tanquam in literis ſacris frequentiſſimam, confugere commode poteramus,) uno in monumento opera excelſa plura eſſe poterant, e. c. *columna*, aut *pyramides*, ut in illo Hasmonæorum, de quo antea dictum eſt, ſic ut haud incongruè illud vocaretur במות, *excelſa*, quippe ex molibus excelſis pluribus compoſitum. Porro nec infringere interpretationem noſtram punctationis poteſt ratio, quæ eſſe ſolet בָּמֹתָיו, ſi vox ſit ex בָּמָה, non בְּמֹתָיו, ut in noſtro *Eſaia* loco legitur. Neque enim, quod pridem demonſtratum eſt ab aliis, tanta punctorum vocalium auctoritas eſt, ut norma eſſe debeant omnis interpretationis. Obſtent illa nunquam expoſitioni, quam res forte ipſa poſtulat. Ceterum apud *Eſaiam impiorum* & *divitis* vocabula unum idemque denotant hominum genus, uti, præter *Chriſtianum Schoettgenium*, 15) pluribus probat laudatus *Lakemacherus*. Nimirum, quia, divitias cum impietate atque improbitate coniunctas ut plurimum eſſe, animadvertebant Iudæi veteres, hinc divitem aliquem vocare

עשיר

15) In Diſſertatione *de Exergaſia ſacra* §. V *pag.* 1262, in calce *Horarum Hebraicarum & Talmudicarum in univerſum Novum Teſtamentum.*

עשיר perinde illis erat, ac impium eum dicere, רשע. Quis itaque miretur, ſi *Eſaias* (cui eodem in verſu comminata coniungere ſynonyma, quorum poſterius *epexegeſis* ſit prioris, tum alias *Capite XXX, 2, 3, 5*, tum hoc ipſo in *Capite verſu 4*, ſolenne eſt,) quem modo improbum vocaverat, ſtatim, declarationis cauſa, appellet divitem, ut, cuius ſortis improbum intelligat, clarius etiam ſignificet. Poſſit proinde paraphraſis verborum eius hæc eſſe: *Voluit Deus ſepulcro eum condi tali, quale eſſe ſolet hominum impiorum, eorum ſcilicet, qui opibus abundant.* Voluit, inquam, collocari corpus eius in ſpelunca, monumento quodam ornata, atque divitis alicuius corpori recipiendo deſtinata. Quamvis autem verba *Eſaiæ* de *Ioſephi Arimathaenſis* ſepulcro capiantur; nemo tamen, virum optimum impium a Propheta nuncupari, exiſtimare debebit. Nam illud רשעים non tam ad virum quendam ſingularem pertinere dici poteſt, quam ad homines, qui illius, quæ ſtatim indicatur, conditionis ſunt, divites puta, pleroſque, impietatis culpa haud carentes, licet nec pietatis virtutisque cultores eodem in genere omnino deſint. Sic *Ioſephus* etiam inter divites, quorum pars maxima nec Deum, nec virtutem, curat, pius eſſe poterat, omnisque officii obſervantiſſimus. Itaque in hanc ſententiam oraculum illud Propheticum licebit explicare. Conceſſit ei Deus ſepulcrum cum illo hominum genere, quod impium eſt utplurimum, commune. Conceſſit ei, inquam, monumentum cum divite, ſeu idem, quod diviti cuidam erat exſtructum.

IV.

IV. Satis de vaticinio *Eſaiæ*; audiamus tamen adhuc *Hieronymum*: 16) Quod autem in ſepulcro ponendus eſſet, Prophetæ teſtimonium eſt, dicentis: *Hic habitabit in exciſa ſpelunca petræ fortiſſimæ*; ſtatimque poſt duos verſiculos ſequitur: *Regem cum gloria videbitis.* Nimirum exiſtimat *Hieronymus*, *ſepulcrum Chriſti ex petra exciſum* a Propheta multis abhinc ſeculis denotari, ſed quæſo te, quis ille Propheta? Habentur quidem hæc verba: οὗτος οἰκήσει ἐν ὑψηλῷ σπηλαίῳ πέτρας ἰσχυρᾶς in Græca verſione *Eſaiæ XXXIII, 16*, ſed quæ non agnoſcit veritas Ebraica, uti obſervat *Iſaacus Caſaubonus*. 17) Quicquid autem eius rei erit, ſepulcrum Chriſti, quod *Eſaias* כמת nominavit, pro *Hypogæo* quodam perperam venditatur. Ecquid autem eſt *Hypogæum apud veteres?* Monumenta apud *Græcos*, ubi corpora integra condere coeperunt, & ab uſtrina cadaverum receſſere, hypogæa & ſubterranea fuere. *Heſychius*: ὑπογαῖον, ὑπόγειον, τύμβον. *Petronius*: *in conditorium etiam proſecuta eſt defunctum*, poſitumque in hypogæo Græco more 18) corpus *cuſtodire ac flere*

16) In *Commentario in Matthæi XXVII.*

17) *Exercitatione II adverſus Baronium num. I.*

18) Quia *Latinorum* ὑπέγεια, & ſupra terram ædificata conditoria mortuorum. Ratio diverſitatis ex diverſo more proceſſit. Qui corpora integra ſepeliebant, quærenda his fuere ſubterranea loca mortuis recondendis, ne cadaveris odor putreſcentis in ſupernis ſentiretur. Nihil tale metuendum a cineribus & reliquiis combuſti corporis. Ideo, qui comburebant corpora ſua Romani, ſupra terram ædificata habuere con-

ſlere totis noctibus diebusque cœpit. Omnes mortui in illis hypogæis in ſua quisque arca poſiti iacebant. *Fornicata* erant, unde & *Phlegon*, *hypogæum totius familiæ* deſcribens, καμάρας vocat, qui & κλίνας appellat ſingulorum *cadaverum thecas*, vel *arcas*, quæ una καμάρα, vel fornice, habebantur conditæ. Hæc generatim de *Hypogæis veterum* in medium attulit *Claudius Salmaſius*, 19) qui deinde *ſepulcrum Chriſti perperam inter Hypogæa refert.* Nec putandum eſt, inquit, alio more modoque monumenta facta habuiſſe Iudæos, qui per facultates monumenta habere potuerunt. Cry-

conditoria. Huius rei argumentum non leve, quod apud Romanos quoque, ſi qui defunctorum ſuorum cadavera non cremarunt, in cryptis ea locisque ſubterraneis ſepeliverunt. Hinc *cryptæ Martyrum* tot locis leguntur in veteribus Martyrologiis & Patrum ſcriptis. *Crypta proprie eſt ſubterraneus locus, vel ſpelunca.* Hactenus *Salmaſius.* Confer de *Hypogæis veterum Bernardum de Montfaucon dans l' Antiquité expliquée Tomo V Parte I pag.* 37. In præſenti ſatis fuerit, ſubiicere verba *Lydiati* in *Notis ad Marmora Oxonienſia pag.* 316: Καμάρα *domus* erat *concamerata ſub terra* condita, in qua erant σοροὶ, σοροὶ autem erant *cavamina* quadrata & oblonga, *in parietibus cameræ* circum circa facta, in quibus ponebantur *arcæ lapideæ*, recentioribus Latinis *ſarcophagi*, in noſtris marmoribus ἐνσόρια dictæ, quæ cadavera defunctorum, & *urnæ*, quæ cineres eorum, ſi cremata eſſent, continebant.

19) In *Plinianis Exercitationibus in Solini Polyhiſtora pag.* 851 *ſeq.*

20) Ceterum quidem *vulgus* & *plebs infima*, quæ per facultates monumenta ſibi ædificare non poterat, in *depreſſis foſſis* mortuos ſuos condebant, & terra obrue-

Cryptæ 21) eæ fuerunt, ut eas Auctores ſemper nominant, qui res eorum ſcripſere, 22) σπήλαια Græci appellant. Apud *Ioannem Cap. XI, 38*, μνημεῖον & σπήλαιον vocatur illa *Lazari crypta*. *Nonnus* χθόνιον σπέος interpretatur, id eſt, *ſubterraneum ſpecum*. Ex his colligi poteſt, quali forma fuerint *Iudæorum ſepulcra*. Specus erat ſubterraneus, lapide ſtructus, & cameratus cum foramine deſuper ad demittenda cadavera, quod lapide vice operculi claudebatur; nec alterius generis, aut formæ, fuiſſe liquet *Græcorum Hypogæa*. Fornicata erant, & ex ſtructura facta. Nec putandum eſt, alius generis, aut formæ, fuiſſe cryptas Iudæorum. Quale fuit *Lazari* ſepulcrum, tale & Domini noſtri fuiſſe, in crypta nempe ac ſpecu defoſſo, certum eſt. Non alio genere crypta Domini ſtructa videtur, nec alia forma, quam illa *Lazari*: ſubterranea quippe, & ſaxo conſtructa, & fornice tecta, & foramine, quod lapide claudebatur, aperta. Quales omnes cryptæ ædificabantur, mor-

ruebant adiecto cippo lapideo, qui nomen & elogium defuncti continebat.

21) Nomen eſt ἀπὸ τοῦ κρύπτειν, quod eſt tegere, abſcondere; κρύπτω autem a קבר, quod eſt *ſepelire, occultare*. Cryptam Itali crytam, voce paulum immutata, gruptam, indeque grottam, appellant. In Martyrologiis crebro cryptas Martyrum legas, pro ſepulcris nempe, quia hæc eſſent ſpecus ſubterranei. Hactenus *Gerardus Ioannes Voſſius* in *Etymologico Linguæ Latinæ*.

22) Vetus Auctor *Itinerarii Burdegalenſis*: *Inde Terebintho Cebron mil. II, ubi eſt memoria per quadrum ex lapidibus miræ pulchritudinis, in qua poſiti ſunt* Abraham, Iſaac, Iacob, Sarra, Rebecca, & Lia.

mortuis condendis. Monumentum igitur illud *Ioſephi*, in quo Chriſti corpus iacuit, ſpelunca quidem fuit, ſive crypta, & ex terra cavata, ſed lapide ſtructa, & concamerata, ut ſolent hodie fieri omnes apothecæ vinariæ, quas appellamus *cavas*. Tale fuit Domini ſepulcrum, & *Lazari*, & fornice tectum, & ſub terra conſtructum, ἐκ πέτρας λαξευτὸν καὶ οἰκοδομητόν. Græcorum quoque hypogæa camerata. Nam & καμάραν pro ſepulcro camerato & ſubterraneo poſuit *Phlegon*. *Cameræ* autem illæ, vel *fornices*, hypogæorum ex magnis lapidibus fiebant, & quadratis, quos Græci vocant συννόμους λίθους. Unde apud *Strabonem* *Lib. V* ὑπόνομοι συννόμῳ λίθῳ κατακαμφθέντες, *quadrato ſaxo concamerati*. Et *Libro XVII* κατακαμφθεισῶν ψαλίδων διὰ μονολίθων ὑπερβαλλόντων τῷ μεγέθει. *Plato* de monumento hypogæo, ex lapidibus ſtructum & cameratum ingentibus debere eſſe, dicit: ἐκ λίθων προτίμων. Hi ſunt, quos λογάδας λίθους alii vocant. Vetus Auctor *Itinerarii Burdegalenſis*, monumentum *Iſaiæ* Prophetæ *monolithum* re vera fuiſſe, ait, quod ſcilicet cameratum eſſet monolithis. *Heliodorus* σύννομον καὶ ξεστὸν λίθον vocat quadratos lapides. In monumento Domini πέτραν vocant Evangeliſtæ ob magnitudinem & λατομητὸν & λαξευτὸν, quod ingentes & quadrati eſſent lapides, quibus erat cameratum & conſtructum. Audivimus adhuc *Salmaſium* de *Hypogæo Chriſti*. Eadem ſententia de Hypogæo Chriſti præter alios, quos citare teſtes ſupervacaneum eſſet, arridet *Franciſco Burmanno*,

no, 23) itemque *Paulo Carolo* & *Antonio Gariſſolio*, 24) at ſummopere diſplicet *Antonio Bynæo*, 25) *Petro Danieli Huetio*, 26) *Ioanni Pearſonio*, 27) *Caſpari Sagittario*, 28) & *Ioanni Andreæ Schmidio*, 29) uti alio loco & tempore demonſtravimus. 30) In præſenti repetemus verba & argumenta *Sal-*

23) In Tractatione brevi ſolidaque *de Paſſione Ieſu Chriſti pag.* 172: Dicitur autem in aoriſto pro plusquamperfecto, quod *Ioſephus* ſepulcrum illud ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ, *exciderat in petra*, quod quibusdam ita accipitur, non quod exciſa petra ſepulcrum hoc exciſum fuerit, verum quod *lapidibus exciſis & quadratis ſepulcrum* illud *exſtructum* fuerit cum *fornice*, in quo foramen erat in parte ſuperiore, per quod cadavera in ſepulcrum demittebantur, quodque foramen lapide obvoluto tegebatur, ante foramen autem illud ſepulcri porticus quaſi, ſeu area, erat. Ex quo vanitas & falſitas hodierni ſepulcri Chriſti, quod a Pontificiis oſtentatur, evincitur. Vide *Matth. XII*, 40, & ad *Epheſ. IV*, 9.

24) In *Explicatione Catecheſ Gallicanæ pag.* 80: Chriſtus ſepulcro eſt conditus: fuerunt autem *Iudæorum ſepulcra cryptæ defoſſæ* & *ſubterranei fornices*, vel in petra excavati, vel lapidibus conſtructi & camerati, qui lapide monumenti ori advoluto claudebantur. Tale fuit Domini ſepulcrum.

25) In *dem gecreutzigten Chriſto Cap. XX* §. *XVIII.*

26) In *Demonſtratione Evangelica Propoſitione IX Capite CXLII* §. *III pag.* 546.

27) In *Expoſitione Symboli Apoſtolici pag.* 394.

28) In *Harmonia Hiſtor. Paſſionis pag.* 138.

29) In ſingulari Diſſertatione *de Tumba Servatoris Cap. I Sect. I* §. *VI.*

30) Vide Diſſertationem noſtram philologicam *de Sepulcro Chriſti Servatoris ex petra exciſo, eiusque iuſtis vindiciis, contra Claudium Salmaſium.* Habita eſt autem dicta Diſſertatio ſub Præſidio noſtro in Gymnaſio Carolino A. 1730 d. 30 Martii.

Salmaſii, paulo inferius ſubiectis noſtris aliorumque obſervationibus. Veteri quidem Græciæ πέτρα idem, quod *rupes*, ſignificat; at Græciæ mediæ idiotiſmus πέτραν pro *quolibet lapide* uſurpavit, etiam pro *cæmentitio* & οἰκοδομικῷ. Præterea *Marco XV*, 46, dicendum fuiſſet λελατομημένον ἐκ τῆς πέτρας, 31) ſi ex rupe excifum, quæ inibi erat, intellexiſſet. Norunt Græce periti, quid valeat illud abſque articulo ἐκ πέτρας, idem quippe eſt, ac ſi dixiſſet, ἐκ λίθου. Nam πέτρα eſt λίθος. Denique fefellit eos ſignificatio vulgaris verbi λατομεῖν, quod lapides ex lapidicina cædere ſignificat; unde λατομίαι *lapidicina*. Atqui λατόμους etiam appellarunt, qui lapides quadrabant & poliebant ad ædificandum. *Heſychius:* λατόμος, λιθοξόος. Igitur μνημεῖον λελατομημένον ἐκ πέτρας eſt *monumentum ex lapide caſo ac polito conſtructum*. 32) Sed *Lucas* omnem difficultatem amolitur, qui μνῆμα λαξευτὸν vocat. Græce ſcientes omnes hic convenio, quid aliud putent μνήματος λαξευτοῦ appellatione intelligi, quam *monumentum*, *ex lapide polito atque quadrato ſtructum*.

31) At facilis ad hæc reſponſio. In *Mattheo* enim *XXVII*, 60, articulus expreſſe additur: ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ. *Matthæus* igitur intellectam voluit *rupem*, quæ erat in horto, & ſic quoque procul dubio reliqui.

32) Enimvero vox λατομεῖν. cum de more Iudaico ſermo eſt, in eo ſenſu accipienda eſt, quem vulgaris apud ipſos mos & uſus admittit. Porro illi vocem חצב reddiderunt per λατομεῖν, ut *Eſaiæ LI*, 1: הביטו אל צור חצבתם, ἐμβλέψατε εἰς τὴν στερεὰν πέτραν ἣν

ctum. 33) Λαοξόος, & inde λαξέος, is dicitur proprie, qui lapides polit ac levigat. Inde λαξόος & λαξέυειν: quod & pro ſtruere & ædificare poſuerunt. *Eudemus* Rhetor in Lexico: λαξευτήριον οἰκοδομικὸν ἐργαλεῖον. Λαξόος γὰρ οἰκοδόμος. Inſtrumentum ſtructorum. Male igitur *Beza* vertit: *in monumento, quod erat in ſaxo inciſum.* Nec melius vulgata: *in monumento exciſo.* Nullo modo hoc ſignificare poteſt vocabulum λαξευτόν.

ἣν ἐλατομήσατε unde exciſi. Quemadmodum igitur *Deuteron. VI, 11,* λάκκους λελατομημένους οὓς οὐκ ἐλατόμησας, ita quoque *Eſaiæ XXII, 16,* ὅτι ἐλατόμησας σεαυτῷ ὧδε μνημεῖον καὶ ἔγραψας σεαυτῷ ἐν πέτρᾳ σκήνην, utrobique ſcribit λατομεῖν nihil aliud eſt, quam חצב, ac μνημεῖον λελατομημένον ſtilo Iudæorum idem eſt, quod λάκκος λελατομημένος, id eſt, *foſſus, vel exciſus, e rupe.* Bene id expreſſit *Origenes Lib. II adverſus Celſum:* ἡ ταφὴ ἔχει τὴν καθαρότητα διὰ τοῦ συμβολικοῦ δηλωμένην ἐν τῷ ἀποτεθεῖσθαι αὐτοῦ τὸ σῶμα ἐν μνημείῳ καινῷ ὑφεστῶτι, οὐκ ἐκ λογάδων, λίθων οἰκοδομηθέντι καὶ τὴν ἕνωσιν οὐ φυσικὴν ἔχοντι, ἀλλ' ἐν μιᾷ καὶ δι' ὅλων ἡνωμένῃ πέτρᾳ λατομητῷ καὶ λαξευτῷ, hoc eſt, *Sigismundo Gelenio* interprete: Sepultura inſignem puritatem habet, depoſito corpore *in monumentum novum, non e collectitiis lapidibus arte conſtructum, ſed e vivo ſaxo exciſum.* Confer *Io. Caſp. Suicerum* in *Symbolo Niceno-Conſtantinopolitano expoſito, & ex Antiquitate Eccleſiaſtica illuſtrato, Cap. XII pag. 261.*

33) At non neceſſe eſt, tam *ſtrictum* vocis λαξέυειν *ſignificatum* ſequi, quippe cum is æque late extendi poſſit, quam τοῦ λατομεῖν, uti *Origenes* ſine ullo diſcrimine λατομητὸν ἢ λαξευτὸν μνημεῖον ἐν πέτρᾳ nominat.

τόν. De *rupe* igitur vix veriſimile, in eâ inciſum fuiſſe Dominicum monumentum. *Hortus* fuit, in quo ſub terra conſtructum illud monumentum, non ſaxoſus, nec ſcruposſus, ſed qualem decuit *horti agrum* eſſe, 34) in quo nullæ rupes, nec rupinæ.

34) Audiatur autem hic teſtis αὐτόπτης, *Petrus Bellonius, Lib. II Obſervationum Cap. LXXXI de Hieruſalem in montanis ſita:* Adeo abundant hæc montana omni arborum genere, ſilveſtribusque & aromaticis herbis, ut monti Idæ in Creta comparari poſſint, cui etiam temperamento & aliis dotibus reſpondent. Excolitur terra in ipſis ſcopulis ſcalarum in modum; unde cognoſci poteſt veterum Iudæorum diligentia & induſtria, qui ſolum, alioqui petroſum & ſterile, cultura fructibus abundans reddiderunt. Quid multa? Ipſe *Henricus Maundrellus* in *Voyage d'Alep à Jeruſalem pag. 108* teſtis eſt hanc in rem omni exceptione maior, quippe αὐτόπτης et idem. En eius verba, de *rapium in Palæſtina fertilitate* diſſerentis: *Il eſt viſible à ceux qui ſe veulent donner la peine d'obſerver les choſes, qu'il faut que ces rochers & ces montagnes ayent autrefois été couvertes de terre, & cultivées pour contribuer à l'entretien des habitans autant, que ſi ce Païs eut été uni, & même peut être d'avantage parce que les montagnes & les ſurfaces inegales ont une plus grande étenduë de terrain à cultiver, que n'auroit ce païs là, s'il étoit reduit à un terrain égal. Ils avoient accoutumé pour la culture de ces montagnes, d'amaſſer toutes les pierres & de les placer en lignes differentes ſur les côtez des montagnes en forme de murailles. Ces bordures empechoient la terre de s'ébouler, ou d'être emportée par la pluie. Ils formoient de*

cette

pinæ. Sed, nec terram ipſam horti *ὑπόπετρον* fuiſſe, 35) credibile eſt. Spelunca illa, ſive cry-

 pta

cette maniere pluſieurs couches de terre admirable les unes au deſſus des autres, depuis le bas jusques au haut des montagnes. L'on voit encore des traces evidentes de cette forme de culture par tout, où l'on paſſe dans les montagnes de la Paleſtine. Par ce moyen ils rendoient les rochers mêmes fertiles. — Les montagnes diſpoſées en couches, comme il a été dit, produiſoient du blé, bien qu'elles ne fuſſent pas propres pour le betail. Les parties les plus pierreuſes, qui n'étoient pas bonnes à la production des blez, ſervoient à planter des vignes & des oliviers; qui ſe plaiſent dans les lieux ſecs & pierreux. Hactenus *Maundrellus*. Addamus adhuc obſervationem *Ioannis Lightfooti* in *Horis Hebraicis & Talmudicis* ad illa *Marci IV, 5*: διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς. Nam erat *petroſum*, cuius gleba & craſſa ſatis & admodum fertilis: at hæc, quam ſupponit, parabola craſſitudine iſta caruit. *Setah fol. 34, 2, & Chetubb. fol 102, 1: Non eſt fertilior tibi terra inter omnes terras, quam terra* Ægypti, *nec fertilior regio in* Ægypto, quam *Zoan. Et tamen* Hebron *ſeptuplo ei ſupereminet, quæ erat petroſa.* Nota illud: Erat *petroſa*, & tamen adeo *fertilis*.

35) *Strabo Lib. XVI*, Hieroſolymorum ſolum ad ſexagesimum usque lapidem, ait, eſſe πετρῶδες καὶ ὑπόπετρον. Audiamus hic quoque *Iſaacum Caſaubonum Exercitatione XVI adverſus Baronium num. XCVIII pag. 577*: In hiſtoria Chriſti μνημεῖον λαξευτὸν, *monumentum in ſaxo inciſum, Luc. XXIII, 53*, & *Matth. XXVII*, 60, μνημεῖον ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ cuius rei repetenda ratio eſt ex eo, quod obſervabamus, *totum circa Ieruſalem*

pta manu facta, quæ monumenti uſum præbebat, ſtructura & fornice conſtans, *horti ſolo* ſuberat. In ipſo ſolo *foramen*, cui *lapis impoſitus* operculi vicem, in horti area illud erat monumentum, ſub terra lapide quadrato ſeptum, & fornice tectum foramine deſuper patente, quod ſaxo advoluto operiebatur. Hactenus *Salmaſius*, qui & Iudæis 36) & Deiſtis 37) ſubſidia comparaſſe videtur. Quid multa? Audiamus hic S. *Hieronymum*: *Chriſtus in monumento novo, quod exciſum fuerat in petra, conditus eſt, ne, ſi ex multis lapidibus ædificatum eſſet, ſuffoſſis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur.* Ex vero utique iudicat *Hieronymus*,

lem ſolum eſſe ſaxoſum, & ὑπόπετρον, ut appellatur a *Strabone.*

36) Olim quidem & multis abhinc ſeculis *Iudæi*, uti ex *Hiſtoria ſacra* conſtat, multa argumenta conflare ſuſtinuerunt, quaſi commentitia eſſet Chriſti Ieſu, ab inferis in vitam redeuntis, hiſtoria. Sibi enim perſuaſerant, diſcipulos ipſius, cum, *ſubrepto clanculum corpore*, vitam eum recepiſſe finxiſſent, nefarium & damnoſum errorem in vulgus ſparſiſſe. Commentum hoc erat; atqui ipſis, eorumque poſteris, ſive *Iudæis recentioribus*, id ipſum placet commentum, perſuaſis itidem, *corpus Chriſti ab Apoſtolis furto ſublatum, & in proximis locis reconditum fuiſſe.* Vide Auctorem libri *Toledoth Ieſu* & R. *Abraham Perizol* in libro *Maggen Abraham*, apud *Io. Andr. Eiſenmengerum im entdeckten Iudenthum P. I pag.* 193.

37) Videatur *Humphredus Ditton* in libro, cui titulus: *A Diſcourſe concerning the Reſurrection of Ieſus Chriſt*, *pag.* 259.

nymus, a *Carolo Maria de Veil* 38) aliisque iure laudatus. Eiusdem *Hieronymi* ſententiæ, præter *Hermannum Witſium*, 39) & *Antonium Bynaeum*, 40) ſubſcribit *Gerardus Ioannes Voſſius*. 41) *Divinam providentiam*, inquit, *demonſtrat*, *quod hoc ſepulcrum e petra exciſum fuerit. Niſi enim e petra exciſum fuiſſet*, *ſuſpicari potuerant*, *diſcipulos per cuniculos eſſe ingreſſos ſepulcrum, atque ita corpus ſuffuratos*.

V. *Mauſolea veterum Ebræorum* mirifice illuſtrantur ex *aliarum gentium orientalium* Mauſoleis, quæ vel *Scriptores antiqui* deſcribunt, vel ipſa adhuc *rudera* deſignant. *Antiqui Beli* 42) ſepulcrum apud *Babylonios* habuit formam *Pyramidis quadratæ*, ex latere coctili ſtructum; & ita *Regum Perſicorum ſepulcra* erant *πύργοι*, *turres*. Vide *Barnabam Briſſonium* 43) & *Iacobum Perizoni-*

38) In *Expoſitione literali Matthæi pag.* 331.

39) *Exercitatione XVII in Symbolum Apoſtolicum* §. *XIV pag.* 271.

40) *Im gecreutzigten Chriſto Cap. XX pag.* 70.

41) *Harmoniæ Evangelicæ Lib. II Cap. XII* §. *XIII pag.* 349.

42) *Belus* autem ille *antiquus* eſt is, qui Babylona traditur condidiſſe, & ideo a Babyloniis præcipue colebatur, ut ex ſacris ſimul ac profanis literis conſtat. Nempe idem eſt, qui *Nimrodus*, hoc *Beli* nomine, tanquam divino, a poſteris ornatus, uti *Iacobus Perizonius* in *Babylonicis originibus* oſtendit.

43) *Lib. I de Regno Perſarum.*

zonium. 44) *Aegyptiorum Pyramides,* 45) quæ *virorum principum* 46) *Mauſolea* erant, & *Diodoro Siculo* 47) ἀΐδιοι οἶκοι, *æternæ habitationes*, appellabantur, a variis Scriptoribus deſcribuntur, quos alio loco & tempore indicavimus. 48) In præſenti ſatis fuerit, repetere verba *Athanaſii Kircheri*

44) In *Notis ad Æliani Variam Hiſtoriam Lib. XIII Cap. III.*

45) In lingua Ægyptiaca Πιϱημϐὶ, unde *Pyramis, radium ſolarem* ſignificat. Πιϱη *ſol* eſt, (vide *Stephanum Le Moine* in *Variis Sacris pag.* 132,) μϐὶ vero *radius* in ſacris literis verſionis Ægyptiacæ, quam vulgo Copticam vocant. Hæc eſt *Maturini Veyſſiere la Croze* obſervatio, a nobis in medium allata in *Bibliotheca* noſtra *antiquaria & exegetica pag.* 984. Secundum autem *Iac. Perizonium* in *Inveſtigatione Ægyptiarum Originum*, vocis *Pyramis* certam ſatis *ex Ægyptiaca lingua* habemus originem, quippe in qua *viri illuſtres* dicebantur Πιϱώμης, ut eam vocem ſcribit *Herodotus II*, 143.

46) *Perizonius l. c.*: Sine dubio *Pyramides* fuerunt *ſepulcra Regum*, qui vel maxime Πιϱώμεις, καλοὶ κἀγαθοὶ haberi volebant. Pertinet huc quoque inſigne *Syneſii* teſtimonium in libro *de Providentia*, quod excerpſit *Samuel Bochartus* in *Reſponſione ad Sant-Amantium*, cum illi Poema ſuum, *Moſes ſervatus*, transmiſiſſet.

47) *Lib. I pag.* 33. Confer *Ioannem Marshamum* in *Can. Chron. Sec. II pag.* 45 edit. Londin. & *Leonem Allatium* in *Notis ad Philonem Byzantium pag.* 2655 *Tom. VIII Theſauri Antiquitatum Græcarum Gronovii.*

48) Videatur *Bibliotheca* noſtra *antiquaria & exegetica pag.* 1002.

cheri Tomo II Oedipi Aegyptiaci Parte II p.113: Aegyptii animam hominis veluti igneæ naturæ ſub pyramidis forma adumbrare, utpote quæ corpori non ſecus ac baſi, vel ignis fometo, adhæreat, voluiſſe videntur, *dum magnifica Regum atque Heroum ſepulcra ſub ingentibus Pyramidibus conſtruxerunt, ut teſtarentur, corpore ſoluto, & corrupto, animam ſupereſſe.* Inter rudera *antiquæ Heliopoleos Libaniſiæ*, quæ nunc *Baalbek* 49) nominatur, *Mauſoleum Seleucidarum* conſpici, exiſtimavit *Ioannes Clericus*, 50) cum alii malint rudera conſpici *magnificentiſſimi cuiusdam Palatii & Caſtelli.* Tranſeamus ad *rudera Palmyrena*, inter quæ *Mauſolea* quoque ſpectatu digna occurrunt,

 runt,

49) Videatur Diſſertatio noſtra *de Heliopoli Libaniſia ad illuſtrationem Amoſi I, 5, & aliorum in ſacro Codice locorum.* Legitur autem Diſſertatio hæc noſtra in *Muſeo hiſtorico-philologico-theologico Vol. I Part. II num. IV pag. 282 ſeq.*

50) *Dans la Bibliotheque ancienne & moderne Tome XIX pag. 295 ſeq.: Il y a plus d'apparence que ça été l'ouvrage de quelcun des Rois Seleucides, ou même de pluſieurs, & la Mauſolée de la famille royale de Seleucus le Vainqueur. L'Hiſtoire de ces Princes eſt venue ſi imparfaite à nous, qu'il ne faut pas s'étonner, ſi on ne trouve rien dans les lambeaux, que nous en avons, qui puiſſe nous faire connoître les auteurs & les uſages d'un bâtiment de cette ſorte. Nous avons tant perdu d'anciens Auteurs, qu'on ne doit pas non plus être ſurpris, ſi ceux que nous avons ſur les merveilles du*

ſunt, quæ *Thomas Smithus* 51) noſtris obſervationibus, paulo inferius ſubjectis, ita deſcribit: Inter *admiranda Palmyræ* merito recenſeri debet *Mauſoleorum*, ut ea hic in tui, curioſe Lector, qui linguæ Anglicanæ plane inaſſuetus es, gratiam ex noſtratium Itinerario 52) compendiaria quadam deſcriptione repræſentem, ſeries duplex, ad mille paſſus exporrecta: *Mauſoleorum*, inquam, ſic enim nuncupanda fateberis, ſibi invicem in adverſis viæ interpoſitæ lateribus reſpondentium. *Aediculas* dixeris, ſive, ut noſtri appellant, *turriculas, in quadrum extenſas*, inque quatuor, vel quinque, cameras partitas, quæ pulcherrimum intuentibus ſpectaculum præbent: omnes figuræ quidem pares,

du Monde, & qui ont parlé du Tombeau de Mauſole, Roi de Carie, n'aient rien dit de l'incomparable Edifice de Balbec. D'ailleurs Philon de Byzanie & Lucius Ampelius ne ſont rien moins, que des Auteurs curieux & exacts.

51) In *Annotatis ad Monumenta Palmyrena pag. 62.*

52) Itineris hiſtoriam una cum Palmyræ notitia deſcripſit *Guilielmus Halifaxius*, unde *Conſpectum ruderum Palmyræ* ob oculos ponit *Cornelius Le Brun* in *Itinerario ſuo pag. 342.* Ceterum *Bernardus de Montfaucon dans l'Antiquité expliquée & repreſentée en Figures Tom. III Part. I pag. 182* ruderum Palmyræ a *Cornelio Brunio* delineatam imaginem exhibet. Quod ad *Gisbertum Cuperum*, ille in animo habuit, librum edere *de Palmyra, urbe Salomonis, eiusque reliquiis*, teſte *Eduardo Bernardo* in fine Epiſtolæ ad *Thomam Smithum*, quæ præfixa legitur *Inſcriptionibus Græcis Palmyrenorum.*

pares, ſed *magnificentia & ornatu longe diſpares*, pro varia nimirum virorum, quorum corpora ſubtus recondita iacent, aut dignitate, aut opulentia. Ex his quædam puro marmore integræ conſtabant, ut ex ruderibus liquet, quæ vero quoad exteriores partes e ſaxo vulgari dedolato conſtruuntur, parietes intergerinos, pariter ac pavimentum, marmore obtectos intus habent. *Statuas* aut *integras*, aut *umbilico tenus* protenſas, quas Græci *προτομὰς* appellant, olim prominuiſſe, tum ex cavitatibus, tum ex iisdem mutilis humi prope iacentibus, erat exploratiſſimum. Ubivis quoque cælaturæ, artifici manu elaboratæ, proſtabant, & *imaginum picturæ*, omni debita proportione ſervata, ad vivum delineatæ. Ita videntur Primores Magnatesque Palmyreni in hiſce conditoriis 53) exſtruendis contendiſſe, ut alter alteri ſumtibus & magnificentia anteirent, quaſi extra belli, terræ motus, aut temporis, caſum fuiſſent poſita, & *in omne ævum*; 54) ſive in honorem tum

 ſui,

53) In duodecima Inſcriptione Græca Palmyrenorum de *Septimio Odænatho*, hæc legimus: ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΤΟΥ ΤΑΦΕΩΝΟϹ ΕΚΤΙϹΕΝ, *Monumentum hoc ſepulcrale condidit.* *Ταφεῶνος vox* plane *nova*, nec, obſervante *Thoma Smitho*, apud Lexicographos reperienda, quæ tamen ex *grammatica Analogia* admitti poteſt. *Ταφεὼν* igitur nihil aliud eſt, quam *locus ſepulcris plenus*, & pari modo formatur, ac *κοιτὼν*, *δενδρὼν*, *ἀμπελιὼν*, & eiusmodi plura.

54) In *turri ſepulcrali* apud *Palmyram* quinque tabula-

ſui, tum familiæ, *abſolute & omnino ſempiternum*, ut ſibi blanditi ſunt, manſura. Ex ædiculis unam penitiſſime explorare placuit: a cuius oſtio, quod Auſtro obiacet, recta excurrit porticus ad extremitatem usque tecti. Strato aliquantulum effracto, ac inde abrepto, inferiorem Cryptam inſpire & contemplari licuit; æquali prorſus modo partitam; intervallis alterutrinque pariter continentibus *ſex loculos*, parietibus medioxumæ craſſitudinis disiunctos, quorum ſinguli in ima parte recipiendo corpori humano vel maximæ molis ſuffici-

bulatorum, opere Romano, de *Gicbo* quodam hæc legimus: ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΑΙΩΝΙΟΝ ΓΕΡΑC ΩΚΟΔΟΜΗCΕΝ, *Monumentum hoc decus ſempiternum exſtruxit*. De *Odænatho* in Inſcriptione dicta hæc referuntur: *Monumentum hoc ſepulcrale de pecunia ſua condidit ſibi & filiis ſuis nepotibusque* ΕΙC ΤΟ ΠΑΝΤΕΛΕC ΑΙΩΝΙΟΝ ΤΙΜΗΝ, *in perennis ævi honorem*. Ita ex ſepulcralium monumentorum & ſtatuarum magnificentia *æternitatem famæ* ſibi ſpoponderunt. *Antiochiæ* in luco Daphnes ſtatuæ inſcriptum: ΑΡΤΑΒΑΝΩΙ Η ΜΝΗΜΗ ΑΙΩΝΙΑ, apud *Reineſium p. 189.* Hactenus *Smithus*; nunc addemus, quæ in eandem rem ex *nummis* obſervavimus. Nimirum in *Conſtantii Chlori* nummis videmus *templum rotundum*, ſive *Mauſoleum* aliquod, *hemiſphærio* tectum, cum aquila in ſummitate, addita Epigraphe: *Memoria Divi Conſtantii*. In eiusdem typi nummis quoque legitur *Æterna Memoria*. Vide *Anſelmum Bandurium* in *Numiſmatibus Imperatorum Romanorum Tom. II.*

ſciunt: 55) in tota vero cavitate ſex, aut ſeptem, cadaverum ſimul congeſtorum, ſibique invicem, prout moris apud ipſos antique fuiſſe videtur, cumulatorum capaces. *In tribus autem contignationibus*, ab oſtio ſurgentibus, *cameræ* eodem prorſus modo partitæ, unius eiusdemque figuræ erant: niſi quod a ſecundo ſtrato loculi unius ſpatium *gradibus*, quibus ad ſuperiora fit adſcenſus, aſſignatur. At, cum verſus faſtigium ædes quaſi in anguſtum ſint contractiores, non eadem loculorum ratio ſervari potuit: duabus quippe ſupernis contignationibus non æqualem partitionum numerum admittentibus: in quibus ſi quædam corpora reponerentur, id honoris fundatori datum fuiſſe, coniectando volunt noſtri, ut nimirum ceteris

55) In memoriam nobis veniunt verba *Ioannis Clerici Geneſeos L, 5:* Vertimus, *quod mibi fodi*, אשרכריתי, non quod *Iacobum* ſpeluncam illam integram, in qua maiores eius ſepulti erant, effodiſſe intelligamus, quæ forte natura erat effoſſa, aut ſaltem ab *Abrahamo* primum exciſa fuit, cum ei *Sara* illata eſt, ſed quia, cum ſit ea propria verbi ſignificatio, *potuit Iacobus in eius parietibus locum thecæ ponendæ ſibi cavaſſe.* Notum eſt, *in Cryptarum parietibus* in Ægypto & alibi *excavatos eſſe loculos deponendis cadaveribus aptos.* Itaque hic קבר, *keber*, non dicetur tota ſpelunca duplex, ſed *loculus in ea exciſus.* Vide *Thevenoti Itinerarium Part. II Lib. I Cap. II.* Hæc cum ita ſint, maluit tamen vir ſummus exponere כריתי, *emi*, quomodo כרה ſumitur *Deut. II, 6, Hoſ. III, 2,* at vero id ſepulcrum ab *Abrahamo* emtum fuerat.

teris altiori loco, dignitatis & prærogativæ gratia, ſuperponeretur. Hactenus *Thomas Smithus*. Plura de *Mauſoleis veterum* obſervant *Antonius Auguſtinus*, 56) *Stephanus du Perrac*, 57) *Bartholomæus Roſſus*, 58) *Nicolaus Bergierius*, 59) *Joannes Servilius*, 60) *Bernardus de Montfaucon*, 61) *Dominicus Auliſus*, 62) *Georgius Fabricius*, 63) & *Ioannes Ciampinus*. 64)

IV.

56) *Antiquitatum Romanarum Hiſpanarumque in Nummis veterum Dialogo IV pag. 58.*

57) In libro Italico, qui veſtigia Romanarum Antiquitatum exhibet.

58) In libro, qui inſcribitur: *Ornamenti di Fabriche antichi de Roma.*

59) *De Publicis & militaribus Imperii Romani Viis Lib. II Sect. XXXV §. VI ſeq.*

60) *De Mirandis antiquorum operibus, opibus, & veteris ævi rebus pace belloque magnifice geſtis, Lib. I Cap. XXVI pag. 1148 Tom. I Theſauri novi Antiquitatum Romanarum Alberti Henrici de Sallengre.*

61) *Dans l'Antiquité expliquée & repreſentée en Figures Tom. V pag 121.*

62) In *Commentario de Mauſolei Artemiſiæ ſtructura pag. 914 ſeq. Tom. III Theſauri novi Antiquitatum Romanarum Alberti Henrici de Sallengre.*

63) In *Libris II de Roma, ſive Antiquitatum ex ære, marmoribus, membraniſque veterum, collectis, pag. 200 ſeq.*

64) In *Veteribus Monimentis, præcipue Muſivis, Part. I Cap. XIX.*

IV.

IOANN. CHRISTOPH. HARENBERGII CONTINVATIO PRIMA SVPPLEMENTI IN HADRIANI RELANDI PALAESTINAM, EIVSQVE LIBRVM III DE VRBIBVS ET VICIS, COMPLECTENS RELIQVA LITERAE C, AC LITERAS D, E, F, G, H.

C*helcon*, locus, vel regio, prope deſerta Iudaeae & Petram. In libro *Indithae II*, 28, memorantur Ismaelitae *οἱ κατὰ πρόσωπον τῆς ἐρήμου πρὸς νότον τῆς Χελεὼν*, *qui prope deſerta verſus auſtrum Cheleonis* habitaverint. Iungitur locus cum Betane & Cadeſa auſtrali I, 8. Quam ob rem haud dubito, ſubeſſe *Elazbam*, ſeu *Eluſam*, *Allud*, locum, de quo ſupra dictum fuit in *Elath*.

Chepha nunc vocatur *Cafas*, *Caipha*, Arabibus *Hifa*, olim quoque *Porphyria* & *Porſina*, teſte *Wilhelmo Tyrio*. De Hipha paucis expoſuit *Geographus Nubienſis P. V Clim.* 3. Chepha nunc eſt oppidulum, ſeu potius humilis & ignobilis pagus, ad radices Carmeli, ab aquilonari latere in interiori ſinu iuxta littus. A Carmeli cuſpide

cuſpide extrema diſtat quatuor paſſuum millibus, totidemque ab Accone. Iuxta illud in mare ſe exonerat torrens Ciſon. Haec ſuppeditat teſtis oculatus *Cotovicus I, 20, p. 127.*

Chepher exſtitit in tribu Iudah ob loca adiuncta, *1 Reg. IV, 10. Caſtra* erant locus prope Hieroſolymam, ſic a caſtris, quae ibi poſuerant Romani, dictus. Haec vero ad montem oliveti, qui civitati Hieroſolymae ad Orientem obiacet ultra vallem profundam Kedron, fuerunt collocata, teſte *Ioſepho de Bello Iud. V, 2, §. 3. p. 321 ed. Havercamp.* Haud procul a *Caſtris* erat *Chepher.* Unde oritur ſuſpicio, indicari Bethlehemum Iudææ, quod alias dictum fuit *Epher, Ephrat, Ephrata, Pſ. CXXXII, 6, Mich. V, 1.*

Cheres, locus coniungitur locis Aialon & Schaalbim *Iud. I, 35*, locis tribus Danitarum. Deſertus quidam & ſterilior tractus Daniticus a loco *Cheres* traxit nomen. Montanus fuit hic tractus, minusque fertilis. Montana *Gariſim* æque ex *Cheres* cognomentum obtinuerunt, incipiuntque a vicinia urbis *Gazer*, ſeu *Gazarac*, *Geſer*, *Gadara*, quæ Nicopoli quatuor milliaribus Romanis verſus ſeptentrionem, *Euſebio* teſte, abfuit. Montem Gerizim *Hadrianus Relandus* ſingulari Diſſertatione, quae legitur inter *Miſcellaneas Parte prima*, deſcripſit. Copioſe de eodem commentatus fuit *Ioannes Cotovicus* in *Itin. Hieroſolym. & Syriac. p. 338 ſeq.*

Cheſchbon a *Ptolemaeo* vocatur Ἐσβοῦτα. Regioni circumiectae nomen fuit *Eſſebonitidis.* Haud procul

procul Eſſebonitide *Hyrcanus Aſſamonaeus* exſtruxit caſtellum validum, multaque arte & ſpecubus excellens, ac id vocavit *Tyrum*, ſeu צור, *caſtellum*, teſte *Ioſepho Ant. Iud. XII, 4, §. 11, p. 607.*

Chetzron locus ad occaſum Kadeſae auſtralis fuit olim commemorabilis.

Chetlon fuit locus ad mare magnum prope iugum montium, quod vocabatur *Hor*, ac continebat montes Libanum, Antilibanum, Caſium, & Anticaſium. Numeratur locus in locis, fines terrae Iſraelitis promiſſae explentibus, *Ezech. XLVII, 15, XLVIII, 1.* In Itinerario *Antonini* locus vocatur *Catala*, poniturque ibi Poſidonium inter & Laodiceam. Nunc villa eſt, vocaturque *Citte Galle.* Attigit ipſam *Henricus Maundrellius*, Anglus. Vide eius *Reiſebeſchreibung nach dem gelobten Lande pag. 9.* De montibus Hor vide infra *Hor.*

Chitti vocatur Vrias *1 Reg. XV, 5.* Ipſum ſic dici a Chittaeorum populo, probabile non eſt. *Gittha* fuit caſtellum Idumaeae, cuius moenia *Machaeras* inſtauravit, teſte *Ioſepho de Bello Iud. I, 17, §. 2, p. 95.* Literae conſimilis pronuntiationis in nominibus locorum ſaepius permutantur.

Chobab fuit locus ad ſiniſtram Damaſci *Gen. XIV, 15*, ad auſtrum Heliopolis, dicta alias *Abida*, *Iovab*, *Zobah.* *Ptolemaeus* Abidam ab Abila diſtinxit. De ſitu conſtat ex *Iudith XV, 4, 5.* *Petrus Zornius* Chobam habuit pro Abila in

Muſeo

Muſeo Brem. P. I *Faſc.* 2 p. 286. Situs vero non videatur *Zornio* admodum favere. Nam Abila non ſatis ad ſiniſtram & Occidentem Damaſci quadrat.

Chola, urbs Iſraelitidis, *Iudith.* XV, 4. Alii legunt *Chobab.*

Cholon. Pro Dibon *Ioſ.* XIII, 7, legendum putat Cholon *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p.* 25, ratus, hanc eſſe eandem ac Elalen, ſeu Neclam. At Cholon diſtinguitur a Dibone *Ier.* XLVIII, 21, 22. De alio loco Cholon vide infra *Culon.*

Choronaim, *Oronaim*, urbs Moabitica. *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p.* 7 putat, eam eſſe Bethennabrin transiordanicam. Exitium urbis Chronaim praedicitur *Ier.* XLVIII, 5. Ipſa memoratur æque *Ieſ.* XV, 5. Iudaei tempore *Antiochi Epiphanis* tenebant præter alia loca Moabiticas urbes Eſſebonem, Medabam, Lembam, *Oronas*, Telithonem, Zaram, Ciliçum convallem, ſeu aulona, & Pellam, teſte *Ioſepho Ant. Iud.* XIII, 15, §. 4 p. 675 *Tom. I Oper.* Lemba eſt indubie *Laban Devt.* I, 1. Telitho eſt Luith. Zara eſt Zoara. *Alexander Aſſamonaeus*, pater *Hyrcani*, Arabibus ademerat urbes Petrae vicinas, nominatim Medabam, Naballo, Liviada, Tharabaſam, Agallam, Athonen, Zoaram, *Oronas*, Mariſſam, Ryddam, Lyſſam, Orybam, teſte *Ioſepho Ant. Iud.* XIV, 1, §. 4, *pag.* 684. Et hinc quidem evertitur *Hardtii* opinio. Lyſſa eſt Luith, ſeu Eluſa, Moabitica. Ab hac dif-

differebat locus *Elas*, *Deut. II*, 8, Elath dictus. Locus uterque Epiſcopi Tyrii ſubfuit ephoriae. Confer *Relandum* ſupra *p.* 218. Luith vocatur *Eulitis* a *Wilhelmo Tyrio XIV*, 12, *p.* 314, ac in *Geſtis Dei per Francos p.* 1045. De Oronaim vide ſupra *Agalla*, & confer *Ier. XLVIII*, 34.

Chorazin eſt locus *Charoſeth gojim*, *Gojim*, *Ijon*. Vide infra *Gojim*.

Chorgidgad, ſtatio 29 Iſraelidarum in deſertis Arabiæ, Petram attingentis, inter Bneiaekon & Iathbatham ad Occidentem Edomitici montis Hor.

Chuſah, unde *Sibbechai* heros vocatur *Chuſati* 2 *Sam. XXI*, 18, nec non *Mebunnai* heros *XXIII*, 27, *Chuſei* locus, inter meridiem & orientem ſitus, reſpectu ad Dothaim urbem habito, prope Ecrebel, *Iudith VII*, 18. Ecrebel videtur mutandum in Ecrebet, ut Acrabattene Ephraimitica indicari videatur.

Chuziba, ſita in ultimis vallis ad borealem partem viae publicae, quae Hieroſolymis ducit Hierichuntem, habuit Seculo VI Cœnobium S. *Laura* dictum. *Evagrius IV*, 7; *p.* 389 *ſeq.*

Kain, urbs Kenitarum *Num. XXIV*, 22, poſtea *Kinah* dicta, quaſi *nidus* in petra collocatus.

Kibroth Taavah, id eſt, ſepulcra concupiſcentiae, haud procul a Paran & Sinai ſtatio, *Num. XI*, 34, 35.

Kinnereth, *Geneſareth*, ad Occidentem lacus inde dicti verſus auſtrum poſita, Naphthalitidis

urbs ad meridiem poſtrema. Naphthalitidem ab auſtro coepiſſe a loco Capernaum, credidit *Relandus* ſupra *p. 161*, ideoque negavit, Kinnereth eſſe Tiberiada. At infirmo nititur talo eius ſententia, ſiquidem Chammat & Betanat erant ad Occidentem lacus Genneſaritici ſitae cum Dor, ſeu Taricheis; & nihilo minus Naphthalidi annumerabantur. Commentarii inſtar ad hunc locum eſt *Ioannis Chriſtophori Wichmanshauſeni Diſſ. de Thermis Tiberienſibus §. 5.* Hic oſtendit, Tiberiada ad ſeptentriones exſtructam fuiſſe paullo ſupra locum Geneſareth.

Kiriath chereſch (urbs ſolis), oppidum Moabitidis *Ier. XLVIII, 31.* Non dubito, ipſam eſſe Machaerunta, a qua haud multum diſtabat Callirhoe, thermis medicatis quondam florens, teſtibus *Plinio V, 16*, & *Ioſepho Ant. Iud. XVII, 6, § 5, p. 845*, nec non *de Bello Iud. I, 33, §. 5, p. 140. Hermannus von der Hardt* in *Medabenis p. 50* urbem Kiriathaim pro Machaerunte reputavit.

Kiriathſanna. Sunna adhuc arx exſtat prope vallem Terebinthi haud procul Chebrone Iudae, teſte *Scheidtio p. 66.*

Kiriathſepher urbs fuit, quam Talmudici ac Rabbini pro Academia antiquiſſima habuerunt, nudo vocis *ſepher* indicio inducti. Sepher vero non eſt tantum *liber*, ſed etiam *recenſio*, & nonnunquam *cypariſſus*. Iudæorum fictiones enume-

meravit B. *Chriſtophorus Henricus Ritmeierus* in *Diſquiſitione de Kiriath Sepher, ſive civitate literaria.*

Kithron, Iud. I, 30, eſt Carthan, ſeu Cartha, *Ioſ. XXI, 34.*

KlethARro, urbs Arabiæ Petreæ apud *Ptolemaeum.*

Con, Conna, 1 Par. XVIII, 8, medio loco inter Heliopolin & Laodiceam Cabioſam ultra Damaſcum verſus ſeptentriones, *Itin. Antonini.* Conas vero locus, cuius fit mentio *Iudith IV, 4*, eſt *Cyamon.*

Conſtantiae nomen obtinuit Maiumas, Gazaeorum portus, ex quo locus imperante *Conſtantino M.*, cultu ſimulacrorum abiecto, Chriſtianam ſuſcepit religionem. Antea vocabatur vulgo locus *Gazaeorum emporium. Euſebius* in *Vita Conſtantini M. IV, 37, 38.*

Corace, urbs Arabiæ Petreæ ſecundum *Ptolemaeum*, a Petra differens, in *Notitiis eccleſiaſticis* Charagmucha & Karach, nunc Herat, Crac.

Cretha, locus inter Philiſtæos, unde *Cretim* dicti, *Ez. XXV, 6, Zephan. II, 5. Lakemacherus* eos pro colonis Cretenſium Inſulanorum habuit. Incola *Creti* memoratur *1 Sam. XXX, 29.*

Culon, Cholon, Alcolba. Caſtrum ſummo monti impoſitum, infrequens, ac ruinis deforme, inter duas partes vallis Rephaim poſitum, teſte *Cotovico p. 246.*

D*abaritta*, *Dabira*, *Debir*, *Darabitta*. Appellatio eſt eadem, eiusdemque originationis vocabulum. Afferenda eſt denominationis ratio. Adytum ædis ſacræ Hieroſolymitanæ, ſeu tentorii religioſi intimum conclave, vocabatur æque *Debir*, דְבִיר, Qui flando, ſpiritumque emittendo, ſunt occupati, in eos congruit verbum *davar*, דבר. Pateſcit iſta vocis poteſtas ex דֶבֶר, quo afflatus increbeſcentis nimiique deſignatur vis pernicioſa, 2 *Par*. *XXII*, 10. Eundem vocis ſignificatum paſſim in Odis *Davidicis* deprehendi. Ex eo accidit, ut דֶבֶר denotet *ſpiritum intenſum*, *ventum ferventem*, qui ex plaga auſtrali ſpirans ſolet animalia, nec obvoluta, nec humi procumbentia, enecare rarefaciendo ac tollendo ſanguinis per venas meatum. Quæ cum ita ſint, perfacile eſt intellectu, nomini דְבִיר eam ineſſe vim ac poteſtatem, ut id locum, ex quo ſpiritus quidam producit reſponſa, ſeu oracula reddit, deſignet. Quam ob cauſam probabiliſſimum eſt, locis inde cognominatis olim originem obtigiſſe ex ſacello, vel fano, ubi fatidici homines hominibus circumvicinis eventus rerum actionumque futuros prædicere ſtuduerunt. Loca hæc & ipſorum nomina iam exſtiterunt, antequam Iſraelitæ, *Ioſua* duce, Palæſtinam, ſeu Cananæam, ditioni ſuæ obnoxiam reddiderunt, *Ioſ*. *X*, 39, *XX*, 14, *XV*, 15, *XII*, 13, *XIII*, 26, *XV*, 7. *Dabira*, ſeu *Debir*, alias Kiriath Sepher dicta urbs, prope Chebronem auſtralem fuit ſita haud procul a Terebintho. Alius locus *Debir* ſitus

fuit

fuit in confiniis tribuum Beniamin ac Iuda, haud procul Gilgala verſus auſtralem plagam, *Ioſ. XV*, 7. *Dabira* alia exſtitit in tribu Dan, nec non alia porro in ipſo monte Itabyrio, ſeu Tabor. *Hieronymus* ſic de loco utroque in libello *de Locis Hebraicis: Dabira civitas in tribu Dan, cuius regem interfecit Ieſus. Eſt autem & alia villula Iudaeorum in monte Tabor regionis, ad Diocæſaream pertinentis. - - Dabir in tribu Iuda, quæ vocabatur civitas literarum (Kiriath Sepher). Hanc praeoccupavit Othoniel, frater Caleb, interfectis in ea filiis Enakim. Fuit autem & ipſa ſacerdotibus ſeparata. Dabor ſuper Iordanem civitas Amorrhæorum.* Dabira, iuxta Diocæſaream in Galilæa, ſpeciatim vero in tribu Sabulonitide, poſita, alibi vocatur תָּבוֹר, *Tabor*, *1 Chron. VI*, 77. Non dubito, quin olim loco ex oraculi ſede æque nomen obtigerit. Ratio eſt in promtu. Colebatur in monte Tabor, ſeu Itabyrio, intra inſulam Rhodon *) **Ζεὺς Ἀταβύριος**, *Iupiter Atabyrius*. Erat Agrigenti in Sicilia, quod Rhodiorum colonia erat, **ἱερὸν Διὸς Ἀταβυρίου**, *ædes Iovis Atabyrii ſacra*, teſte *Polybio Hiſt. IX*, *21*. Nomen plenum loci, in monte Tabor ſiti, fuit הַדְּבִיר ob oraculi ibi ſedem. Succeſſu temporis Iſraelitæ oraculum illud videntur eliminaſſe, ac figuram montis, quæ regionem umbilicalem, vel **μαςοειδές τι**, refert, in appellationem ipſam

*) *Chriſtoph. Cellarius in Geogr. ant. III*, *2*, *pag. 31*.

tranſtuliſſe. *Tabbur* enim, טַבּוּר, denotat *umbilicum*. In finibus Sebulonitidis ac Naphthalitidis loca exſtiterunt *Ciſloth Tabor* & *Aznoth Tabor*, a vicino monte, procul dubio cognominata. Utriusque loci ſit mentio *Ioſ.* *XIV*, *11*, *14*. Neuter locus videtur fuiſſe κώμη Δαβαρίττων, *vicus Dabarittorum*. De hoc loco *Ioſephus* hæc memoriæ prodidit: *Eo tempore iuvenes quidam e vico Dabarittis, in Magno Campo vigilias agentes, inſidias ſtruunt Ptolemæo, Agrippæ & Berenices procuratori.* Ipſi prædam ad *Ioſephum*, Tarichæis agentem, ad lacum Tiberiadenſem, comportarunt nocte eadem. Prima luce inſequenti centum millia armatorum adverſus *Ioſephum* concurrerunt, ac ipſe cum ſuis ſe fugæ mandavit. Hæc temporis momenta indicant, Dabarittà ac Tarichæam fuiſſe loca ſatis vicina. *Relandus* quidem credidit, Darabitta & Dabaritta fuiſſe locum eundem vicumque, in confiniis Galilææ ac Samariæ ſitum. *Ioannes Hudſonus* partem ſententiæ priorem approbavit in *annotatione*, loco *Ioſephi* laudato ſubiuncta. Partem ſententiæ poſteriorem ſuffragio tueri, vel propugnare, haud licet. Nam *Ioſephus* in *Vita* ſua §. *26* de eodem facto iuvenum audacium expoſuit. In loco hoc *Relandus* robur ſitus deprehendi ac exſtare, ſibi perſuaſit. En teſtimonium *Ioſephi*: *Iuvenes qui-*

a) *De Bello Iud. II, 21, §. 3, pag. 210, Tom. II ed. Havercamp.*

quidam audaces, genere Dabaritteni, per inſidias clandeſtinas animadverterunt (ἐπιτηρήσαντες) *Ptolemaei uxorem, qui regis* (Agrippæ) *erat procurator, multo cum apparatu equitibusque aliquot, ſecuritatis cauſa eam ſequentibus, per Magnum Campum* (διὰ τοῦ Μεγάλου Πεδίου) *iter facere contendentem ex ea, quae regibus ſubdita erat, regione in provinciam Romanorum, & in eos repente irruerunt.* Iuvenes coegerunt mulierem fugere, ac diripuerunt omnia, quæ ipſa ſecum portaverat. Ipſi eadem nocte prædam Taricheas ad *Ioſephum* detulerunt. Samariam ac Iudæam continebat provincia Romana. Nec tamen video, Dabarittam in confinio & Samariæ & Galilææ ſitam fuiſſe. Nondum video, iuvenes illos audaces in illo confinio in facientes iter irruiſſe, ac ex eis egiſſe prædas. Iuvenes illi vigilias ad viam militarem excubiasque egerunt in planitie, quam *Campum magnum* appellarunt ſcriptores. Ipſi in patria ibi ſua haud verſati ſunt. Hoc certe non legitur in ambobus *Ioſephi* locis. Reſtat tamen alius, qui *Relando* favere omnino videtur. Habetur ille in *Vita Ioſephi* §. 62. b) En ipſum: *Ionathas ſuique, Tiberiade digreſſi, ſimul atque veniebant ad vicum Dabaritta in extremis Galilaeae finibus ſitum in magno Campo, circa mediam noctem inciderunt in manus cuſtodum meorum.* Non inficior, *Ionathanem* Tiberiade iter Hieroſolymam

 iniiſſe.

b) *Pag. 29 Tom. II* ed. *Havercamp.*

iniiſſe. Locus Dabaritta fuit in Galilæa ſitus. *Ioſephus* enim, Galilææ procurator, cuſtodiam loci viro Levi demandaverat. In Græco hæc leguntur: ὡς ἧκεν εἰς Δαβάριτ]α κώμην ἐν ταῖς ἐσχατιαῖς τῆς Γαλιλαίας κειμένην ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ. Primo quidem inde colligi poteſt, vicum Dabarittam fuiſſe Tiberiade auſtraliorem, ac in itinere, quod Tiberiade Hieroſolymam ferebat, ſitum. De Campo magno non ſatis ſibi conſtitit *Relandus*. Meliora dedit Cel. Weiſenfelſenſium *Waltherus*. c) Extrema Galilææ ad quatuor cœli cardines ſigillatim referri poſſunt. Poſſunt eadem referri ad Campum magnum, qui verſus montem Tabor ac Tiberiadem terminabatur ad ſeptentriones. Ultima Galilææ in vicinia deſinebant, diremta quippe fluvio Iordane ad Orientem, & Samaritide erga meridiem diſcreta. At cur deſignari credimus per vocem αἱ ἐσχατιαὶ *ultima*, *extrema*, ea, quæ in confiniis ſita ſunt? Apud *Ioſephum* præter hunc locum vox illa haud legitur. Notat omnino ἐσχατιὰ *oram rei partemque remotiſſimam*. Deſignatur tamen præterea etiam ea voce locus abſtruſus, ſolitudo, locus a frequentiori turba & celebritate remotus. *) Eiusmodi locus exſtitit Dabaritta. Inſidiæ enim ibi poterant collocari. Prædones ibi in prætereuntes impune faciebant irruptionem. Erant ibi

c) In Progr. *de Aulone Palæſtinæ*, 1744, 4.
*) *Heſiodus* in *Theogon*. v. 275, *Etymologicum magnum* p. 384 edit. *Commelinian*. 1594, f.

ibi anguſtæ fauces, quæ poterant à cuſtodibus paucis obſideri. Pertinuerunt hæ ad regionem, montibus, eorumque latibulis, concluſam iuxta latus vel alterum, vel utrumque. *Cisloth Tabor* poſtea dictum fuit Xaloth. Latitudinem Galilææ inde *Ioſephus* ab auſtro in ſeptentriones inchoavit dimetiendam, c) ſimulque ſignificavit, vicum fuiſſe *Xaloth*, in magno Campo ſitum. Fines vero, qui Galilæam a Samaritide diſcreverunt, a *Ioſepho* d) figuntur Samaris & Scythopolis usque ad Iordanis fluenta. Cœpit Samaria a vico *Ginaa*, qui in medio Campo magno e) iacuit, in auſtrum diffundi. *Hegeſippus* habet pro lectionis noſtræ modo *Zaloth*. f) Nec dubito, quin nomini inſit affinitas quædam cum Cisloth. Videtur tamen locus Jiſſacharitidis Cheſulloth ob ſitum potius huc quadrare, *Ioſ. XIX, 18*. *Euſebius* & *Hieronymus* eum locant iuxta Tabor in campeſtribus, octo milliaribus a Diocæſarea, ſive Sippori, verſus orientem. In conſilio Hieroſolymitano locus dicitur *Exalus*. Quare non multum abfuit Scythopoli. In eo tractu Dabaritta videtur fuiſſe poſita. Hac ratione potuit locus Dabaritta dici in confiniis auſtralibus Galilææ fuiſſe ſitus.

Dalmanutha. Memorantur oræ, ſive termini,

 μέρη.

c) *De Bello Iud. III, 3, §. 1, p. 223, Tom. II.*
d) *Loco laudato p. 222.*
e) *Loco laudato §. 4 p. 223.*
f) *De Excidio Hieroſol. III, 6.*

μέρη, Dalmanuthæ *Marc. VIII*, *10*, & *Matth. XV*, *39*, in loco parallelo *Magdala*. *Ioannes Morus*, Anglus, cis mare Galilææ poſuit; Chorographi plerique ultra id mare. B. *Hermannus von der Hardt* perſuaſit ſibi, fuiſſe Magdala *Migdal El* in Naphthalitide prope Tiberiadem, in *Medabenis pag. 84*. An Dalmanutha & Magdala fuerint locus idem, nondum eſt in expedito. Dalmanutha & *Selamis* videntur convenire. Hæc autem erat urbs, a *Ioſepho* muris cincta, in Galilæa haud procul diſtans a monte Tabor. g) At hactenus in tenebris micamus.

Damaſcus, caput Syriæ minoris, h) ab eximio medii ævi Geographo, quem Nubienſem vulgo vocant, attingitur *Part. V Clim. 3 pag. 148.* Verum huic nomen fuit *Mohammed ben Mohammed Scherif al Edris*. Ipſe ſic: *Sita eſt urbs in plano, in agro ſterili ac arido, niſi quantum aquarum, antiquis meatibus deductarum, irrigatur beneficio. Fluvius, a promontorio deſcendens vicino, in ſuperioribus illius regionis partibus canalibus exceptus, ut inde liberius poſſit per plana deduci, per diverſas ſubiectæ regionis partes ad agrorum ſterilitatem fœcundandam dirigitur. Quod vero reſiduum eſt, quia copioſas habet aquas, ex utraque ripa pomaria rigat, arboribus conſita fructiferis,*

g) *Ioſephus de Bello Iud. II*, *20*, *§. 6*, *p. 208*, *Tom. II*, in *Vita ſua §. 37 p. 18.*

h) *Wilhelmus Tyrius XXII*, *20*.

ris, iuxtaque civitatis murum Orientem verſus labitur i). *Farfar & Abbana, a Libano trahentes originem, per agrum Damaſcenum ſecus ipſam urbem defluentes, in Orientem penetrant, ubi in arenoſa ſolitudine deficere dicuntur.* Fluvius ipſe, prope Damaſcum in duos, vel tres, alveos diviſus, & poſtea confluens, vocatus fuit a Græcis *Chryſorrhoas*, k) ab Ebræis ob pretium *Pharphar*. *Stephanus* novit nomen Pharphar, quod per *Bardinen* expreſſit. *Pruna Damaſci* laudavit *Columella.* l) Rationem ferri temperandi, enſiumque ibi factorum, dilaudant alii. *Gabriel Sionita* venam ferri, ibi provenientem, ſummi fecit, ita m) diſſerens: *Vena ferri locuples eſt Damaſcus, ac ratio ferri temperandi eſt eiusmodi, ut neque ſcutum, neque galea, vim ipſius remorentur.* Regum Syriæ olim ibi fuit ſedes. *Dariam* locus media ætate Damaſco erat vicinus. n) Damaſcus in numis *Commodi* Imperatoris vocatur *Metropolis*, ac in numis *Caracallæ colonia metropolis.* Regio adiacens olim vocata fuit *Aramæa Damaſcena.* Adad, ſeu Hadad, Deus commentitius, unius ac ſolius Dei nomen, cuius Sol poſtea fuit ſymbolum, ibi quondam cultus.

i) Idem *de Bello ſacro IV, 8, p. 83. Maundrellus pag. 168 ſeq.*

k) *Plinius V, 18, Strabo XVI p. 755. De la Roque dans Voyage ſur le Mont Liban T. I P. I p. 241 ſeq.*

l) *De re ruſtica Lib. X pag. 413.*

m) *De nonnullis Orientalium urbibus Cap. 4 pag. 9.*

n) *Wilhelmus Syrius XVII, 3.*

cultus. Reges quidam inde nomina traxerunt. *Cotovicus* o) vocat Damaſcum omnis Syriæ caput & regiam, urbem vetuſtiſſimam, amplam ac potentem, publicis ædificiis nitidam, mercatura & negotiantium inquilinorum frequentia copioſiſſimam, ſitam in planitie latiſſima ad radices montis Antilibani, qui ibi dicitur Hermon, a quo non amplius 2000 paſſ. abſit. Pergit idem hunc in modum: *Benignitate ſoli ac rerum omnium copia, hominumque frequentia, amœnitate, clementia cœli, ſitu, pulchritudine, ac omni diliciarum genere, nulli Orientis urbi cedit. Aquis inprimis abundat, ac fontibus irrigua eſt. Percurrunt ſiquidem urbem plurimi rivuli, qui toti urbi fere vicatim fontes ſubminiſtrant.* *) Et paucis interiectis: *Habet duos rivos, ex Hermonio monte delabentes, rapidos, & valde piſcoſos, Abanam, ſeu Amanam, ſeu Amnam, & Farfar, vel Pharpharam, appellatos, ſacris in literis præcipue celebres, qui aquas limpidiſſimas, optimas, atque ſaluberrimas, producunt.* Fructus ibi proveniunt multiplices, pira, poma, pruna, Perſica, mala Punica, Chryſomele, amygdale, *Muſæ*, ficus omnium laudatiſſimæ. Incolæ ſunt xylorum, ſeu goſſipii texendi, longe peritiſſimi. Vinum ibi ex uvis domeſticis paratur præſtantiſſimum. Serica elaborantur mirabili

o) *II, 11, pag. 372.*

*) *Maundrell* in *Reiſebeſchreibung nach dem gelobten Lande pag. 169.*

bili arte. Chalybs ibi fieri ſolet firmiſſimus. *Ezechiel* hæc dona ſoli & induſtriæ iam prædicavit *Cap. XXVII.* Rex *Damaſcus*, quem exhibuit *Iuſtinus III, 12*, in fabulis eſt. Arabes locum vocant شام *Schâm.* Et ſunt, qui putant, *Semi* hic quondam fuiſſe domicilium, quod ipſum ex appellatione loci videtur confirmari. Syri enim & Chaldæi vicum ac plateam Schekak, שְׁקָק, vocant, literamque *ss* & *s* in *d* convertunt. Longitudo loci geographica æquat fere 53 gradus, ad meridianum Pariſiis conſuetum computatos. Latitudo par eſt gradibus 33, ac minutis 15, vel 20. Ex recentiorum obſervationibus aſtronomicis hæc innotuere. *Ptolemæi* in tabulis occurrunt evolventi gr. long. 69 & lat. 33. p) *Naſſir Ettuſæus* q) deſignavit gr. long. 70, lat. 33° 20′; *Vlug Beigh* r) gr. long. 70, lat. 53° 15′. Verum non multum hiſce immoramur. Fixerunt hi triumviri meridianum primum in fortunatarum inſularum prima, quam *Ptolemæus aproſiton*, id eſt, *inacceſſam*, appellavit.

Dan, *Ezechieli* memorata *XXVII, 19*, locus eſt florens commerciis, in maris mediterranei regionibus quærendus. Iudubie deſignantur Athenæ. *Dan* in hiſtoria *Abrahami Gen. XIV, 14*, videtur nonnullis eſſe Dan, Cæſareæ urbi

p) *Vol. III Io. Hudſoni p. 7 ſeq.* in *Append. Scriptorum Geographiæ veteris Græcorum minorum.*

q) *Ibid. pag. 91.*

r) *Ibid. pag. 120.*

urbi vicina, per prolepſin. Danitæ occuparunt urbem, Laiſcheamque vocarunt Dan, *Iud. XVIII, 7, 29.* Verum hæc Laiſch non erat illa Dan prope Cæſaream Philippi ad ortum Iordanis. Erat Laiſch, ſeu Leſchem, ſita ad vallem, quæ pergebat ad locum Bethrechob, *verſ. 28*, procul a Sidoniis *verſ. 7.* Hæc non quadrant ad locum Dan prope ortum Iordanis. Vallis illa in ſeptentriones patebat inter Libanum & Hermonem; *Polybio* dicta r) *Amyca*, עמק. *Polybius* de *Antiocho*, Syriæ Rege, s) ita: *Apameæ copias cogit. Inde Laodiceam caſtra movet, unde profectus cum univerſo exercitu ſuo Rex, deſertum emenſus, ad Marſyam nomine convallem venit, quæ, inter Libani & Antilibani radices ſita, in anguſtum ſpatium ab iisdem montibus cogitur, qua parte autem maximæ ſunt anguſtiæ, paludes interiacent ac locus, in quibus calamus odoratus colligitur. Faucibus illis hinc caſtellum imminet, Brochi dictum; inde Gerra, anguſto ad iter relicto tramite. Per hanc convallem plures dies ducto agmine, & adiacentibus oppidis in poteſtatem redactis, Gerra demum pervenit.* Brochi eſt Beth-rechob, urbs tribus Aſcher, quaſi locus *aditus* & *plateæ* dicta, alibi *Rechob* vocata *Ioſ. XIX, 28*, ubi Zidon rabbah eſt Poſidonium maritimum ſeptentrionale. In anguſtiis illis olim hæſit *Davides*, feliciter tamen inde eluctatus, quemadmodum ex *Pſalmo* uno ac altero intelligitur. Dan, locus ad Iordanis initia poſitus, a Dani-

r) *Hiſt. V, 59.* s) *Hiſt. V, 45 ſeq.*

Danitis haud fuit occupatus, Naphthalitis datus, *Moſis* ætati ſuppar, *Devt. XXXIV*, 1. Ad hunc locum usque *Abrahamus* Reges quatuor conſectatus fuit, *Gen. XIV*, 14. Terminum perſecutionis incidere in locum quendam, contextus orationis ibi demonſtrat. Noluit Cel. *Wollius* t) in hiſtoria *Abrahami* admittere prolepſin, ratus, locum Dan *Ioſua* demum ætate, vel paullo poſt, a Danitis occupatum, & a conditore tribus ſuæ ſic dictum fuiſſe. Eadem ſolicitudo tenuit Cel. *Ioannem Iacobum Breitingerum*, qui propterea ſibi perſuaſit, u) *Abrahamum* inſectatum fuiſſe Reges quatuor עַד דָּן *usque ad locum conflictus*. Mutavit Vir egregius nomen loci proprium in commune. Nec tamen ea circumſpectione indigemus. *Ioſephus* eſt, qui Commentariorum Biblicorum architectos hic in avia coniecit, quippe Danitarum locum Dan & illum, ad quem usque conſectatus fuit *Abrahamus* reges quatuor, pro uno eodemque x) habens. Dan, locus *Abrahami* ætate vetuſtior, ſub Antilibano ad fontes Iordanis minoris y) ſitus fuit, ac magis Sidoni vicinus eſt, quam ut ipſe in hiſtoriam Danitarum ſuſcipi poſſit. Et hæc eſt ratio, cur Deiſtæ & Antiſcripturarii dicis

t) In *Diſſ. II ad Tr. de Parentheſ. ſacra* §. 12 *ſeq. pag.* 190 *ſeq.*

u) In *Lexico Particularum pag.* 119.

x) *Ant. Iud. V*, 3, *pag.* 288, *Tom. I.*

y) *Loco laudato* & *VIII*, 8, §. 4, *p.* 445.

dicis cauſa in hiſtoriam *Abrahami* deridendam, fidemque *Moſi* detrahendam, fruſtra huc usque conſenſerint.

Daphnae fuerunt aliae ad Antiochiam Syriæ, aliæ ad Paneada, aliae ad Peluſium Aegypti. Hae vocantur in ſacris תחפנחס, *Tahhpanhhes*, LXX Τάφνη & Τάφναι, *Ier. II, 16, XLIII, 7, 8, XLIV, 1.* Sexdecim millibus paſſuum a Peluſio in auſtrum diſtabat Daphne ex diſpoſitione Itinerarii, quod ab *Antonino* cognominatur. *Herodotus* meminit *Daphnas Peluſias II, 30.* *Stephanus* Byzantinus *Daphnen prope Peluſium* habet. Daphne Antiochena ad auſtrum & Antiochiæ & Oronti fluvio adiacet,(z) ac ambitioſum Antiochiæ eſt ſuburbium. (a) Vicus olim erat mediocris (b), at lucus eum cingebat ingens, aquis fontium irriguus, in cuius medio erat templum *Apollinis* ac *Dianæ* cum aſylo. In numis locus vocatur *Conſtantiniana Daphne.* Nam *Conſtantinus* Maximus ibi palatium ac ædificia ſuperba exſtruxit, nec non in palatii veſtibulo ſtatuam matris *Helenæ* collocavit. (c) Aquarum copia, temperies cœli, auraeque molliter ſpirantes, *Sozomeno* teſte, locum reddunt amœnum, ac iucundum. Lucus abundavit olim

z) *De la Roque l. c. p. 207.*

a) *Ammianus Marcellinus Lib. XIX fin. Sozomenus H. E. V, 19, Wilhelmus Tyrius II, 10, p. 86, Evagrius H. E. IV, 25.*

b) *Strabo Lib. XVI p. 1089 ſeq.*

c) *De la Roque l. c. Procopius de Bello Perſico II, 18.*

olim lauris, cupreſſis, aliisque arboribus. *Pompeius* aliquantum agrorum Daphnenſibus dedit, ut lucus ibi fieret ſpatioſior, delectatus amœnitate loci & aquarum abundantia, *Eutropio* (d) teſte. *Antiochus Epiphanes* ampliſſimum ibi *Daphnaei Apollinis* fanum condidit (e), licet ex ultimo iam ævo *Apollinem* ibi conſulere accolis in more eſſet poſitum. Daphne utraque olim dicta fuit *Zaphon*. Phœnicibus verbum צפן, *Zaphan*, idem eſt ac *abducere a conſpectu hominum in ſtatum ſecurum, Pſ.* XXVII, 5. Inde *Zaphon* & *Zaphun* eſt *adytum, opertum, opertum adyti*. Nomen ultimum eſt *Apuleji* formula f). Cardo cœli ſeptentrionalis, prope arcton immobilis, fuit *Zaphon* appellatus, eo quod ipſe ſecurus, immutabilis, abductus a conſpectu Palaeſtinorum, & imago adyti, circa quod coelum Divique circumagebantur. *Iovis* Caſii *templum Moſes* vocavit *Baal-Zephon*. Ad latus adyti Hieroſolymitani poſita erat urbs *Davidis Pſ. XLVIII, 3.* Adytum ibi per צפון, *Zaphon*, ſignificatur. Qui, *ſeptentriones* ibi deſignari, exiſtimant, non poſſunt, quin errorem admittant, ac arcem Sionis, ſeu urbem *Davidis*, ad latus Hieroſolymæ ſeptentrionale ponant. Tanti eſt, ne unam quidem voculam ignorare! *Beth Togarma* dicitur prope *Zaphon* poſita *Ezech.* XXXVIII,

d) *VI, 11.*
e) *Ammianus Marcellinus XXII, 31.*
f) *Metam. II pag. 386.*

XXXVIII, 6. Antiochia ante *Antiochum* inſtauratorem ac amplificatorem ſic dicta fuit, Syris & Arabibus adhuc appellari ſolita *Togar. Zaphon*, ſeu adytum, prope illam eſt *Daphne. Zephonita* dictus fuit Daphnita Aegyptius, *Num. XXVI, 15.* Familia Zephonitarum Ægyptiorum, cum Iſraelitis egreſſa, Danitis acceſſit. Ei, qui in exponendis V. T. tabulis rite verſari cupit, hæc non ſunt ignoranda. Daphnen Syriacam *Ioſephus* appellavit *Daphnen Antiochiae, de Bello Iud. I, 12, §. 5, p. 82, I, 17, §. 3, p. 95. Daphne*, ſeu Dan, ad fontes Iordanis ſita, deliciis & fontibus abundabat, teſte eodem *de Bello Iud. IV, 1, § 1, p. 263 ſeq.*

Daria a Damaſco in auſtrum diſtat quinque, aut quatuor, milliaribus, teſte *Wilhelmo Tyrio XXII, 21.*

Daron, Darum, in finibus Aſcalonis erat caſtrum muris, ac arce munitum, teſte *Wilhelmo Tyrio XX, 20. Oliverius*, in Idumæa ſitum fuiſſe, tradidit *p. 138 Tom. II Eccardi.* Dicitur locus in hiſtoria *Abrahami Hannegev, Gen. XIII, 1.* Utrumque nomen denotat *meridiem* ex ſitu, ad Aſcalonem relato. *Abrahamus* enim, ex Aegypto redux, non verſus meridiem iter iniit, ſed Palæſtinam per oram maritimam repetivit. Diſtabat Daron a mari ſtadiis quinque, a Gaza milliaribus quatuor (g).

Deblatai, Diblataim, erat locus Moabitidis verſus Me-

g) *Wilh. Tyrius XX, 20, pag. 500, XXI, 29, XXII, 17.*

Medabam, poſtea Rubenitis aſſignatus. *Hieronymus* ad *Iaſſa*: *Et usque hodie oſtenditur inter Medabam & Deblatai*. In *Hieronymi* editis legitur vulgo, vocem Deblataim eſſe interpretandam *in contemtum plagarum*. *Vallarſius* vero in nova Operum *Hieronymi* editione Veronenſi, eſſe legendum (h) *palatharum*, id eſt, maſſæ recentium ficuum, monuit. Loco videtur nomen adhæſiſſe ex ſitu utrinque depreſſo & humili. Nam Syri & Arabes pro שְׁפֵלָה, *humili*, pronuntiant *Depbela*. *Dedan*, erat in Idumæa in quarto milliario a Phæno adverſus aquilonem, i).

Diblath Ezech. VI, 14, eſt locus idem. Deus ibi comminatur, ſe terram Iudæam eſſe vaſtaturum inde a מִמִּדְבַּר, *deſertis usque ad Diblat*, id eſt, ab ora Aegypti ſabuloſa & inculta, Iudææ finitima, usque ad extrema Rubenitidis verſus Orientem. Deſignatur ampliſſima terræ Iſraeliticæ latitudo.

Diblataim Ier. XLVIII, 22, habetur pro Bamoth Baal ad auſtrum Peræa ſupra Arnonem ab *Hermanno von der Hardt* in *Medabemis p.* 43. Legitur ibi *Bethdiblatnim*. At Bamoth Baal, teſte *Euſebio*, ſita fuit ἐν τῷ Ἀρνωνᾷ, id eſt, in valle ac tractu Arnonæ ad auſtrum. Alibi nude appellatur *Bamoth*, *Num. XXI*, 19, 20, ac prope montem Pisga in valle erat poſita. Diblataim

 vero

h) *Oſſervazioni letterarie Tom. I p.* 32.

i) *Hieron. de Locis Hebr. f.* 127, B, *Tom. IV Oper.* 1516, Baſil. *fol. Dedanim* dicitur locus *Ieſ. XXI*, 13.

vero interiacebat Medabam & loca ad ſeptentriones ſita. Ruit itaque *Hardtii* coniectura. Diblataim alia ad ortum Moabitidis fuit ſita.

Dibon fuit gemina: una, quæ *Hieronymi* ætate fuit *villa pergrandis iuxta Arnonem*; k) altera Rubenitis data. Dibongad pertinet æque ac *Almon Diblataim* quædam ad loca, per quæ ad orientalem Moabitidis limitem iter fecerunt Iſraelitæ, *Num. XXXIII, 45, 46, 47.* Dibon illa iuxta Arnonam fuit in planitie ſita, *Ier. XLVIII, 21, 22.* Ex cantico veteri Hebraico *Num. XXI, 30*, hæc adducta ſunt: *A Nimra periit Esbûs usque ad Dibon.* Nimra erat urbs tribus Gad, *Num. XXXII, 3.* Alibi hæc vocatur *Bethnimra verſ. 36*, *Bethnabris*, *Bethnabra*, quæ quinque l) millibus paſſuum a Libiade verſus boream abfuit. In cantico igitur veteri linea ducitur a Nimra ad Eſſebunta, & hinc Dibonem, ab occaſu ad orientem. Quo ipſo intelligitur, Dibonem alteram Rubeniticam (*Ioſ. XIII, 9, 17,*) Eſſebunti ad ortum aquilonalem obiacuiſſe, & tribui Gad ad auſtrum, *Ioſ. XIII, 20.* Pro litera *b* ſolebant Palæſtini ſæpe pronuntiando terere literam *m*, & viciſſim. Pro Dibon itaque pronuntiarunt ſæpius *Dimon*, teſte *Hieronymo* ad *Ioſ. XV.* Quam ob cauſam non dubitamus, quin *Dimonah*,

l) Sic *Euſebius*, & ex eo *Hieronymus*. Excidit in *Euſebio* 2 ante 5. Ad minimum enim 15 mill. paſſ. ibi ſunt ponenda. Rationes indicabuntur alias.

nab, urbs tribus Iudæ auſtralis, *Ioſ. XV*, 22, memorata, ſit illa Dibon urbs Iudæ, cuius ſit mentio *Neh. XI*, 25.

Dinhaba, urbs Idumææ, *Gen. XXXVI*, 32. Videtur convenire cum Naballo *Ioſephi Ant. Iud. XIV*, 1, §. 4, *pag.* 684.

Diſahab legitur *Devt. I*, 1, fuitque locus transiordanicus Peræe. *Hardtius* putavit, Medebam, Sebam, Sibmam, Diſahab, Bezer, Bozram, Boſorram *Ioſephi*, ac Boſtram, eſſe unum eundemque locum. Creditum fuit olim, locum Diſahab aliquot milliaribus a monte Horeb abfuiſſe, ac ab auri fertilitate nomen traxiſſe. *Hieronymus de Locis Hebraicis* ex *Euſebio* hasce transſcripſit fabulas: *Cata chryſea, id eſt, aurea. Sunt autem montes fertiles auri in deſerto, procul undecim millibus a Choreb: iuxta quos Moyſes Deuteronomium ſcripſiſſe perhibetur. Sed & metalli æris, quod noſtro tempore corruit, monteſque, venarum auri plenos, olim fuiſſe vicinos, exiſtimant.* Alexandrini in cauſa ſunt, cur *Euſebius* ac *Hieronymus*, illius interpres, in hanc fabulam fuerint prolapſi. Græci enim illi Alexandrini interpretes in *Devt. I*, 1, bifariam peccarunt. Fefellerunt & ſe & alios ipſi, exiſtimantes, *Moſen* compellaſſe tunc Iſraelidas prope erythræum, ſeu rubrum, ſinus Arabici mare inter Pharan - - & *Catachryſea*. Crediderant illi, *ſahab* ubique eſſe *auri* indicem. Putaverant illi, mare, quod *iam ſuph* dicitur, non niſi per ſinum Ara-

bicum denotari. Utrumque vero commentum uno iactu concidit. Stabat enim *Moſes prope traiectum ripamque Iordanis iuxta illum regionis incultioris tractum, qui erat prope locum aquæ ſabulis permiſtæ* מלין סוף *e regione maris*, m) *verri radique ſoliti a ventis procellisque, inter Paran & inter Tophel & Laban & Hhazereth & Diſabab*. Alias de ſingulis locis plura diſſeram. Nunc id unum eſt monendum, *Moſen* copias ſuas longe lateque ſetendiſſe, ideoque videri veriſimile, deſignari campos, tractuum nomina, & montium appellationes. Paran & Beth-Haran ſatis conveniunt. Reliqua nomina plus negotii faceſſunt.

Dodanim autor generis Dardaniorum, qui Troiam in Dardania condiderunt. Dicti alias ſunt *gens Rhoetéa* & *Rhodanim*.

Dophka, *Daphcea*, fuit ſtatio nona Iſraelitarum in Arabia inter mare Iamſuph, quod interventu miraculi fuerant emenſi, ac inter montem Sinai. An *Gypſaria* hic in cenſum ſit vocanda, hæreo.

Dor nunc Aſſar & Dora vocatur. Reſtat pars muri. *Traile pag. 99.* In Tabula *Peutingeriana* vocatur *Thora*, eique diſtantia ibi tribuitur

XX

m) *Epiſtola Iac. Palmerii a Grentemeſnil ſuper lacu Aſphaltite* legitur in *Obſervationibus miſcellaneis*, Amſtelodami editis, *Vol. X n. 5*, *Iournal des Savans 1739 Sept. p. 141.*

XX m. paſſ. a Ptolemaide, ac VIII m. paſſ. a Cæſarea, ſeu Turri Stratonis.

Dothan appellatur Dothaeim *Iudith. IV, 6,* Δω-θαΐμ *Ioſepho Ant. Iud. IX, 4, §. 3, pag. 478.*

Duma videtur fuiſſe eadem ac Madmanna, Minois, haud procul Gaza, dicta alias *Menebena, Menoida, Menœnum caſtrum, Menyta.* Hieronymus: *Medemana, in tribu Iuda, cuius meminit Eſaias: & nunc eſt Menois oppidum iuxta civitatem Gazam.* Alia Duma videtur inter Idumæos ad montes Seir ſita fuiſſe, *Ieſ. XXI, 11.* Duma videtur ipſa Idumææ fuiſſe caput. *Ieſaias* certe eam nobis inſpirat ſententiam. Erat vero ibi ipſa Bozrah urbs primaria, *Ieſ. LXIII, 1, Ier. XLIX, 13, 22. Amos* prædicat *Theman* & *Bozram I, 12. Theman* diſtinguitur a *Duma* peræque, *Ier. XXI, 11, 14.* Nec dubito, eam olim exſtitiſſe urbem, quæ poſtea Bozra & Petra, quaſi *Edomi* olim ſedes, fuit dicta. *Petras* in finibus Palæſtinæ eſſe ſitas, tradit *Evagrius III, 32, pag. 365.*

Dura Dan. III, 1, locus, in quo *Nebucadnezar* coloſſum collocari iuſſit. Circa eum fuit convallis. Situs conſpicitur ſupra Babylonem ad Euphratis ripam orientalem in Meſopotamiæ termino auſtrali poſt Aburæ, ſeu Chaboræ, confluentem. *Polybius* enim *V, 48: Occupavit Meſopotamiam usque ad Dura.* Ad Chaboræ confluentem exſtitiſſe eam, pateſcit ex *Iſidoro Characeno pag. 4. Ptolemæus* eam haud

attigit. *Zoſimus deſertam* tradidit. Chabot, ſeu Aborra, fluvius eſt Meſopotamiæ, Euphraten a ſeptentrionali ortu ſupra Chabrahram influens. *Salmanaſſar* huc captivos Iſraelidas miſit, ac in exilium traduxit, 2 *Reg. XVII, 6. Iuliani*, in Perſas euntis, tempore in loco Dura *Gordiani* Imperatoris ſepulcrum oſtendebatur, urbis vero tantum nonnulla reſtabant veſtigia, teſte eodem *Zoſimo III, 14. Daras*; urbem Syriæ, *Coſroes*, Perſarum Rex, Seculo quinto præter Apameam expugnavit, teſte *Evagrio H. E. V, 10, pag. 437.* Hæc vero indubie a Dura fuit diverſa, *Suram Coſroes* Seculo ſexto expugnavit, Euphrati adiacentem, teſte *Evagrio H. E. IV, 25, pag. 403.* Sed hæc fuit Dura ad ſeptentriones remotior. *Daras Anaſtaſius*, Imperator Conſtantinopolitanus, Seculo quinto in finibus Imperii Romani ac veluti confinium quoddam Romanæ ac Perſicæ ditionis in Meſopotamia ex agro urbem fecerat, firmiſſimis mœnibus cinxerat, & variis miræ venuſtatis ædificiis templisque exornaverat, teſte *Evagrio III, 37, pag. 370* ed. *Guil. Readingi*, Cantabrigiæ, 1720, fol

E.

E*beda*, urbs Arabiæ Petrææ. *Ptolemaus* tribuit ei gradus long. 65° 15′ ac latitudinis 30° 30′, Petræ autem long. 66° 45′, lat. 30° 20′. Si veritati *Ptolemaus* fecit ſatis, probabilis inde enaſcitur coniectura, locum Rephidim, ſtationi Iſrae-

Iſraelidarum olim inſervientem, fuiſſe eundem.

Ebron. Sic dicitur Chebron auſtralis in itinere manuſcripto *Burchardi* Argentinenſis. Hic & Hieroſolymis vinum excellens elaboratur. At Arabes Turcique vetuerunt, quo minus alibi in Palæſtina *) vites colantur.

Ecbatana in ſacris literis, apocryphis & ſanctioribus, memoratur. In libro *Tob. V, 9, Iudith. I, 1, 3 Eſr. VI, 23, 2 Macc. IX, 3,* legitur Ecbatana. *Eſra* vero *VI, 2, Achmeta* occurrit, Mediæ urbs ac arx regia. Litera *m* & *b* apud Orientales paſſim in nominibus permutantur invicem. Neceſſum non eſt, ut cum *Io. Phil. Heinio* ſtatuamus, literam *b* voci *Achmeta* eſſe reſtituendam, librarioſque ibi *(Eſr. VI, 2,)* admiſiſſe nævum. Edidit Vir laudatiſſimus Amſtelodami A. 1746, 4, *Libros duos Diſſertationum ſacrarum.* Inibi n) *Libro priori Diſſertatione octava* de *Achmeta* exponere aggreſſus fuit. *Semiramis* dicitur Ecbatanam, Mediæ caput, in campeſtri regione o) condidiſſe. *Deiocem Herodotus* tradidit p) conditorem; *Plinius* q) *Seleucum Nicatorem*, qui fortaſſis fuit inſtaurator. Ipſa ſub monte Iaſonio ſita fuiſſe r) dicitur. A *Diodoro* mons ille vocatur Orontes. Plura dabit B. *Chriſto-*

S 5 *phe-*

*) *Voyages de Monſ. Shaw Tom. II Cap. 3 p. 61.*
n) *Gel. Leipzig. Zeit. 1736 p. 901.*
o) *Diodorus Siculus II, 13.*
p) *I, 98.* q) *VI, 14.*
r) *Ammianus XXIII, 23.*

phorus Cellarius in *Geogr. ant. III, 18.* Alia Ecbatana exſtitit in Phœnice auſtrali. *Plinius* s) recenſet *promontorium Carmelum & in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum.* Diſtinguendum eſt invicem Carmel t) triplex. *Carmel*, Charmelia, fuit urbs tribus Iudæ. *Carmel* eſt promontorium, urbi Iocneam & Iiſſacharitidi vicinum. *Carmel* præterea eſt mons valde excelſus, mari imminens, glebæ olim fortunatiſſimæ, & ubique cultiſſimus, vitibus, oleis, arbuſtis, fructiferisque arboribus, atque herbis odoriferis, inclitus. Extremum eius cacumen roſtri inſtar longius in mare ſe porrigit, diſtatque ab Aco, ſeu Ptolemaide, octo circiter milliaria paſſuum. u) *Geographus*, quem vulgo *Nubienſem* vocant, ſuccincte: x) *Promontorium Carmel in mare procurrit, continetque portum navigiis grandibus aliisque opportunum.* In oppido Ecbatana *Cambyſes*, Rex Perſarum, morte fuit interceptus. y) Id Carmelo adiacuit, ideoque ab *Herodoto* ponitur *in Syria.* *Stephanus* Byzantinus, qui *de Urbibus* ſcripſit, locum vocavit nunc *Agbatana*, nunc *Ecbatana.* Ecbatana Mediæ olim dicta etiam fuit *Akeſ-*

ſaa;

s) *V, 19.*

t) M. *Stromeier* in Diſſ. *Vaticinium Iacobi de Iſſacharitide* §. 17 *p. 12.*

u) *Cotovicus I, 20, p. 128.*

x) *Part. V Clim. 3.*

y) *Herodotus III, 64.*

ſaa; z) Phœnicia, niſi fallor, venit quoque nomine *Caipha*, *Cheſa*, *Ceſas*, *Hiſa*, *Gaba*, *Calamis*, *Epha*, *Porphyria*, *Porſina*, *Porphyreon*, *Chilſon*; ac ad radices Carmeli fuit ab aquilonari latere ſita, in interiori ſinu iuxta littus viſenda, ab Accone diſtans IV mill. paſſ. Dudum a) præter humilem & ignobilem pagum, ſeu oppidulum, nihil reſtat. Confer ſupra voces *Kepha*, *Calamis*, *Chepha*, *Chilſon*. Caiffa oppidulum viſitur adhuc Ptolemaidem inter ac montem Carmelum, ac prope illud b) in ſinu maris ſtatio navibus ſat fida reſtat. Prope eam eſt portus, cui *Tartura* c) nomen, ex oppido, in radicibus Carmeli ſito ac cognomini, deductum. Ad Caſam, ſeu Caiffam, exonerat ſe fluvius d) Kiſion in mare. Ex Carmel videtur prodiiſſe vox *Calamis*.

Eden, locus in Cœle-Syria. Vide vocem *Paradiſus*.

Edom ſignificat *rubrum*. *Eſavo* nomen adhæſit *Edomi*. Ipſe exſtruxit in montibus Seir urbem, a nomine ſuo dictam Duma, ſeu Edom. *Filia Edom iuxta terram Uz* legitur *Thren. IV*, 21. Cognomen id *filia* adiungitur oppidis, non regionibus. Uz ibi notat terram Autæorum, prope apicem ſinus Arabici ad Orientem commoratorum. Autæos eo locarunt veteres. Reges

z) *Scholiaſtes* ad *Æſchyli Perſas p.* 125.
a) *Cotovicus I*, 20, *p.* 127.
b) *De la Roque Beſchreibung der Reiſe nach Palaſtina*, Leipzig, 1740, 8, *p.* 34.
c) *Loco laudato p.* 55. d) *Ibid. p.* 72.

Reges regionis Uz coniunguntur cum Regibus terræ Philiſtæorum, Aſcalonis, Ecronis, aliorumque, & medii Aegyptios inter ac Philiſtæos interponuntur. Et hinc liquido apparet, Idumæam olim *) non pertigiſſe ad littora maris ſinusve Arabici orientalia. In rebus *Salomonis* ſi hoc momentum ex oculis haud dimiſerimus, cautius feremus iudicium. *Phœnice* haud ſecus denotat terram *rubram*. *Edom* enim, ſeu *Adom*, idem eſt, qui *ruber*. Terra igitur *edom* eſt vel Idumæa, vel Phœnice. Phœnice in cenſum venit *Amoſ. I, 9*, ac in re *Salomonis* navali. Qui loca Elath & Ezeongeber trahunt ad ſinum maris rubri Elaniticum, eis obſtat ſitus locorum Elath & Ezeongeber mediterraneus; qui ex *Devt. II, 8*, *Euſebio*que ac *Hieronymo de Locis Hebraicis*, ſatis dilucet. Edomitæ in montano Seir tractu ad auſtrum Cananææ conſederunt a ſeptentrionibus montis Choreb, *Devt. I, 2, II, 5*, *Gen. XXXII, 3*. Cur, quæſo, *Moſes*, in Midianitide verſans, Idumæos haud compellavit? Cur circa Horeb & Sinai montes nullos deprehendit Idu-

*) De præſenti Idumææ conditione D. *Shaw Itinerum* ſuorum *Tom. II Cap. 4 p. 76 ſeq.* exponit hunc in modum: *On n'y voit point de paturages couverts de troupeaux, point de champs chargées de bled; il n'y a ni vignes, ni oliviers. Ce n'eſt partout qu'un deſert aride & ſolitaire, qui n'eſt diverſifié que par des plaines couvertes de ſable & par des montagnes remplies de rochers & de précipices.*

Idumæos? Regio Idumæorum montana dicta fuit ab Arabibus *gabalene*, id eſt, montana. Arabibus enim *gebl* mons eſt, quæ appellatio adhuc Gribaltariæ (Gebl Tarich) ac Aetnæ inhæret. Gebalenes caput erat Petra, olim Bezer, Beter, Betra, Bozrah, Boſortha. Iudæis in exilium Babylonicum abreptis, Idumæi Iudæam auſtralem usque Gazam occuparunt. Ex eo quidem Gazam vocat *Gorionides* e) *Idumæorum ultimam & primam verſus Hieroſolyma ſitam. Hieronymi* ætate habitabant Idumæi inde ab Eleutheropoli usque ad Ailam in ſpecubus, hinc inde ſparſis. Vallem Pharan ipſi ætate *Ioſephi* in ſpeluncas converterant, f) inibique prædas occultabant. Vallis Pharan ea ætate ad Idumæam *maiorem* fuit relata. *Minor* erat illa Gebalene. Olim Idumæi in montibus egerunt, paſtionibus armentorum pecorisque delectati, *Ier. XLIX, 16, 20. Palmas Idumæas* prædicavit *Maro Georg. III, 13.* Via ex Palæſtina in Idumæam ferebat per tractum Iordanis, ipſumque id locum Idumæis proximum, dictum *iam ſuph*, præteribat, *Ier. XLIX, 19, 21.* Lacum aſphaltiten ideo *Diodorus Siculus* g) in media collocavit Idumæa, *XIX, 108. Flavius Veſpaſianus*, mota in Idumæam expeditione, duas ibi expugnavit urbes mu-

e) *VI, 29, p. 657.*
f) *Ioſephus Bell. Iud. IV, 9, §. 4, p. 302, Tom. II.*
g) *Hiſt. II, 12.*

munitas, *Legrith* & *Caphartoch*, teſte *Gorioni-de VI*, *28*, *pag. 650 ſeq.* Apud *Ioſephum* loca hæc vocantur Betaris & Caphartoba,*) περὶξ τῆς Ἰδεμαίας ſita. *Ruffinus* loco Betaris, ut eſt in editis, habet *Begabris*, quæ *Bethagabra* videtur fuiſſe. Pſeudo-*Hegeſippus* loca vocat illa *Ligarum* h) & *Capartorem.* Facile diſſenſum ferimus librariorum, ſiquidem loca illa fuerunt non urbes inclitæ, ſed *duo* tantum *vici.* *Veſpaſianus* vero ad hos ivit per Bethlephthorum regiunculam, ac per eam rediit Emmaunta, ſeu Nicopolin. Quod utrumque momentum ad ſitum utriusque loci explorandum nonnihil facit. Exſtitit etiam *Idumaea*, ſeu *Edom*, urbs, ſive regio, in Iudæa auſtrali prope Engadden, teſte *Ioſepho de Bello Iudaico III*, *3*, *§. 5*, *pag.* 224.

Eglath ſchliſchiah, urbs Moabitidis, *Ier.* *XLVIII*, *34*, obvia. Alibi locus dicitur Eglaim. Vide *Agalla.* *Schliſchiah* cognomen eſt, aut a tertia inſtauratione, aut a tribus partibus, deductum. Conſtabant urbes nonnullæ ex diverſis vicis. Ita Brunſuicum ex quatuor, vel quinque, vicis coaluit. In Transiordanica frequens eſt nomen enacomiarum, tricomiarum, tetracomiarum, hexacomiarum, &c. *Eultis*, quæ ex Moabitide inter Epiſcopatus XII, ad Rathbam referendos, i) eſt ſexta, huc videtur quadrare.

Elais,

*) De *Bello Iud. IV*, *8*, *p. 297.* h) *IV*, *16.*

i) *Wilh. Tyrius XIV*, *12*, *p. 324*, *Geſta Dei per Francos p. 1045.*

Elais, urbs Phœnices Tyrum inter & Sidona, dicta alias etiam Elæa & Elath. Oleam Græci ἐλαίαν, *elaam*, vocant, Hebræi vero זית, *Sait*. Inde coniectura ſuboriri poteſt, Saitam & Elaida, ſeu Elæam, eſſe unam eandemque. Arabs *Ibn Edris*, ſeu Geographus Nubienſis, ab Acco, ſeu Ptolemaide, usque ad arcem Zait, validam ac maritimam, computavit 12 milliaria. *Stephanus de Urbibus* eam vocavit *Elaiam*, addens, eam eſſe urbem Tyrum inter & Sidonem. *Dionyſius* in *Periegeſi verſ. 910* k) refert, Phœnicas habitare Iopen & Gazam & Elaida. In rebus *Salomonis* ipſa vocatur *Elath* prope *Ezeongeber*, ſeu urbem galli gallinacei, ſeu Ornithopolin, Tarnegola.

Elam, עילם, locus, cuius rex tempore *Abrahami* erat *Kdorlaomer*, *Gen. XIV*, 1. Succurrit memoriæ *Calamos*, urbs Phœnices, nunc *Calmont* dicta. l) *Plinius V*, 20, ita: *Oppida, Byblos, Botrys, Gigarta, Trieris, Calamos, Tripolis*. Hinc pateſcit loci ſitus. Incolæ vocantur *Elemajim Eſr. IV*, 9. Rex *Kdorlaomer* quodammodo ſignificavit fuga ſua, in Cœleſyriam arrepta, ubi regnum eius ſit quærendum. Elamitæ, Medo-Perſæ, ultra Euphraten ſunt obvii. Meminit regionis eorum *Ier. XLIX*, 34. Videntur ipſi a filio *Semi*,

k) *Vol. IV Hudſoni p. 160*, & *Io. Alb. Fabricii Bibl. Lat. III, 11, p. 600*, Hamburgi, 1721, 8.

l) *De la Roque Tom. I Voyage de Syrie & du Mont Liban p. 166, Maundrell, p. 43.*

mi, *Elâm*, m) traxiſſe originem. Elymaïs olim Suſianen etiam comprehendit, *Dan.* *VIII*, 2. Reges Elymaidis, *Ieremiæ* noti *XXV*, 25, redditi ſunt ab interprete Græco Alexandrino per *reges Perſarum*. Elamitæ, *Act. II*, 9, recenſiti, videntur Perſas ſimul complecti. De regione Elymaide conferendus eſt *Chriſtophorus Cellarius* in *Geographia antiqua III*, 19, *pag.* 801 *ſeq.* edit. prim. atque *Tomus VI* libri, *Hiſtoire univerſelle depuis le commencement de monde iusqu' à preſent II*, 10, *pag.* 749 *ſeq.* Amſterd. & Leipzig 1745, 4.

Elana, vicus apud *Ptolemæum*, ſinui Elanitico maris rubri, ſeu potius ſinus Arabici, ad orientale littus adiacens, olim dictus *Olam* & *Chavilah*, terminus Amalekitarum, qui eo usque per deſerta Arabiæ ſeſe diffuderant. *Ptolemæus* loco aſſignat gradus long. 65° 30′ & lat. 26° n). *Abulfeda* ponit o) locum *Ailah ſecundum littus maris*, ipſique tribuit longitudinem 56° 40′, latitudinem 28° 50′ ex Kanun, & long. 58° 40′, lat. 30° 50′ ex *Ibn Said*. Obiter notandum eſt, *Abulfedam* ſupputaſſe gradus longitudinis a columnis *Herculis*, curtiores gradibus pæne decem, ſi ad *Ptolemaicos* reſpexeris. De Ailah confer ſupra *Relandum pag.* 554 *ſeq.* qui tamen in eo ſe fefellit, quod locum, Elath, 2 *Reg. XVI*, 6, memoratum, de Elana in-

m) *Gen. X*, 22, *Ioſephus Ant. Iud. I*, 6, §. 4, *p.* 24.
n) *Vol. III Hudſoni p.* 2 *ſeq.*
o) In *Deſcriptione Arabiæ Vol. III Hudſoni p.* 2.

interpretatus fuit. Elati enim hæc fuit *Elais* haud ſecus, ac Eloth, *1 Reg. IX, 26, 2 Chron. VIII, 17*, commemorata. Eloth ſita erat ad illud mare, quod Tyrii navibus ſuis exercere & fatigare conſueverant, in ſuæ urbis vicinia exorſum. Mare illud, ibi circa Tyrum, vocatum fuit יַם סוּף, *mare ventis verri ſolitum*; nec non *rubrum*. *Solinus Cap. 36* poſteriorem habet denominationem, de Gadibus ita exponens: *Inſulam, quam Tyrii, a rubro profecti mari, Erythræam, Pœni lingua ſua Gadir, id eſt, ſepem, nominarunt.* Phœnicen dictam fuiſſe quoque *rubram regionem*, אֶרֶץ אֱדוֹם, iam ſupra indicavi. Solum certe Libani fundit aquam rubram, quotannis nive in aquam converſa ſolutum. Sinus Elanites, ad Elanam obvius, tum *Straboni*, p) tum *Diodoro Siculo*, q) aliisque, ſat fuit cognitus. *Plinius* Aelanam inter & Gazam 150 mill. paſſuum interpoſuit, *Strabo* a Gazæorum portu ad oppidum usque Ailam, ſuper receſſu ſinus Arabici ſitam, computavit 1260 ſtadia, quæ paria ſunt millibus paſſuum 157. *Hieronymi* r) ætate in Aila legio Romana decima agebat. Mare ibi in ſinum arctatur anguſtiſſimum. s) Aegyptii ſolebant inde in Indiam navigare, ex quo

p) *Lib. XVI p. 768*, Amſtelod. 1707, fol.
q) *III, 43, Plinius V, 11.*
r) *De Locis Hebraicis* in voce *Ailath.*
s) *Procopius de Bello Perſico I, 19.*

quo Reges *Ptolemæi* navigationem illam inſtituerunt, ac Aegyptios artem nauticam docuerunt. Ex eo factum eſt, ut *Ioſephus*, t) parili ratione ſeſe ſub *Salomonis* regno res habuiſſe, ratus, *Salomonis* Tyriorumque huc claſſem tranſtulerit, ac inde in Oceanum Indiamque duxerit deductam. Cum vero eum adhibuerit ætas conſecuta veluti ducem ac autorem ſententiæ; nemo non ſibi perſuaſit, naves *Salomonis* haud alio ex navali ſolviſſe. Nullus vero eorum oſtenderat, ætate *Salomonis* navigationem in ſinu Arabico per Tyrios fuiſſe tentatam. *Abulfeda* fortunam *Elanæ* pro ratione ætatis, qua vixit, ita u) deſcripſit: *Ailah urbs parva, raris frugibus, civitas Iudæorum, qui in ſimias & porcos mutabantur. Littori maris Alkolzum* (Clysmatis) *adiacet. Prope eam via ducitur, qua religioſi Aegyptiorum* (Meccam) *incedunt. Noſtra tempeſtate turris eſt, in qua præfectus Aegyptius reſidet. Nulla ibi arva. Arcem habuit in mari, ſed, ea deſtructa, præfectus in urbe iuxta littus habitat.* Idem alibi: x) *Alkolzum atque Ailah ſita ſunt ſuper duo brachia, ſive linguas, maris - - Altour longitudo eadem eſt longitudine Ailah. Ailah ſita eſt ſuper extremam linguæ orientalis partem - -. Ailah eſt ſuper frontem promontorii, in mare exporrecti. Inter Altour & terram Aegypti*

mare

t) *Ant. Iud. VIII, 6, §. 4, p. 437.*
u) In *Deſcriptione Arabiæ p. 41 Vol. III Hudſoni.*
x) In *Deſcriptione maris Alkolzum p. 75 l. c.*

mare intercurrit. Montem Altour eſſe Sinai, *Ioannes Gravius, Abulfedæ* interpres Latinus, ſibi perſuaſit. Obſtant rationes, quo minus ſententiæ eius ſubſcribam. Ultra ſinum Elaniten, quem *Agatharchides* vocavit **Λαιανίτην κόλπον**, exiſtit y) terra Bytemaneorum ſpatioſa, plana, tota irrigua, & profunda, ubi proveniunt inter fructus *medica*, *lotus*, *graminis multum*, *lotus ad viri ſtaturam aſſurgens*, præterea *multi cameli agreſtes*, *multæ cervorum dorcadumque catervæ*, *multi ovium greges*, *infinita mulorum atque boum armenta*. *Samuel Bochartus* maluit z) ſcribi Themaneorum, **Θημανέων**, loco **Βυθημανέων**. Crediderim, *Agatharchiden* voci præpoſuiſſe Aegyptiorum articulum.

Eleale prope Chesbonem, ſeu Eſſebuntem, in Transiordanica. *Hermannus von der Hardt* a) putavit, eandem eſſe urbem Eleale, Nahliel, Cholon, Necla *Ptolemæi*, Mallam *Ioſephi*, & Lembam. Quantum vero ad urbem Mallen attinet, eam *Ioſephus* in Galaaditide b) poſuit. *Iudas Maccabæus*, Malle occupata & incenſa, profectus fuit *Chaſphoma*, & *Beſor* aliaque quamplurima Galaaditidis oppida evertit. Mallemus, nomina locorum a librariis nunquam

 fuiſ-

y) *Excerpta ex Agatharchide de Mari rubro p. 57 ſeq. Vol. I Hudſoni.*

z) In *Hierozoico III, 10, p. 825.*

a) In *Medabenis p. 10.*

b) *Ant. Iud. XII, 8, §. 3, p. 6*[illegible]

fuiſſent immutata, vel depravata. Tum vero *Iudas* iter fecit ad fanum loci *Carnain*, ſeu *Carnion*, idque incendit. Poſthæc vero, in Iudæam reverſurus, ad urbem *Ephronem*, in via poſitam, pervenit. Galaaditis ea ætate non deſcendit usque ad urbem Eſſebunta. Hic enim tunc Moabitæ habitabant, a quibus c) Galaaditæ diſtinguebantur. Iabiſſum, ſeu Iabes urbem, *Ioſephus* d) ac ſcriptor divinus attribuerunt Galaaditidi, nec non Arimanum, e) ſeu Ramoth. *Tryphon*, relicta Adora, Idumææ urbe, Hieroſolymam prætervectus, in Cœlen Syriam abiturus, fecit impetum in Galaaditin f) celerrimum, atque inde Antiochiam, Syriæ caput, rediit. Non videtur ultra Iabiſſum protenſa fuiſſe Gileaditis in auſtrum. Fac tamen, Gileaditida nonnunquam pro omni Transiordanica ſumtam adhibitamque eſſe, inde tamen nondum conſequitur, Mallam eſſe urbem Eleale. At, ſimul ac, Chaſphoma, ſeu Chaſphor, eſſe ex Eſſebunte, vel Chesbon, corruptum, largiris, Boſorem pro Betzer Rubenitica habes, ſententia *Hardtii* fit probabilior. Dubium tamen eſt, an *Malla* nomen ſit urbis genuinum. Legitur enim in Codicibus aliis *Maaphe*, *Maspha 1 Macc. V*, *35*, *Maapha*, *Alema 1 Macc. V*, *26*, vel *Malea*.

Vi-

c) *Ioſephus de Bello Iud. I*, *4*, *§. 3*, *p. 60.*
d) *Ant. Iud. VI*, *14*, *§. 8*, *p. 359*, *V*, *2*, *§. 11*, *p. 287.*
e) *Ant. Iud. IV*, *7*, *§. 4*, *p. 225.*
f) *Ioſephus Ant. Iud. XIII*, *6*, *§. 5*, *p. 653.*

Videtur huc referenda *Ptolemæi* Maliatta, & *Stephani* Malſane. Niſi fallor, *Mazpha*, ſeu Mizpah, quæ alias Rama, Ramoth, Haramoth, Ramathus, Ramatha, dicitur, per *Mallam*, vel *Malla*, deſignatur. Lembam *Ioſephus* g) attigit, enumerans urbes, quas Iudæi, Rege *Alexandro Iannæo* rerum potito, tenuerunt. Inter transiordanicas urbes recenſuit *Moabitidis*, *Eſſebonem*, *Medabam*, *Lemba*, *Oronas*, *Telithonem*, *Zara*, *Cilicium tractum* (aulonem), *Pellam*. Præterea de Lembis apud *Ioſephum* legitur nihil. *Κιλλιστῶν αὐλῶνα* legendum puto pro *κιλίκιον αὐλῶνα*. Coniecit iam ita *Ezechiel Spanhemius*. Lemba autem legitur in ſingulis exemplaribus, ac *Epiphanii* translatione. Lemba & Eleale ſono ſatis diſcrepant. De ſitu loci Lemba nil certi innotuit. Facile hinc eſt intellectu, *Hermannum von der Hardt* ſæpius coniecturis & ingenio luxurianti plus, quam par erat, tribuiſſe. De reliquis locis, quæ *Hardtius* huc adſcivit, ſuo dicemus loco.

Eleas, vicus Samaritani tractus, ad meridiem h) poſitus in confinio extremo. Videtur nævus ſubeſſe nomini. Nam locus transſcriptus eſt ex *Ioſepho*, qui limitem Samariæ auſtralem i) figit in vico *Annath Borkeos*; quem ipſe tamen Iudææ accenſuit. Fit veroſimile, apud Pſeu-

g) *Ant. Iud. XIII, 15, §. 4, p. 674 ſeq. XIV, 1, §. 4, p. 684.*
h) Pſeudo-*Egeſippus de Excidio Hier. III, 6, p. 313.*
i) *De Bello Iud. III, 3, §. 5, p. 224.*

do-*Egeſippum* legi loco *Geneas*. *Ioſephus* Samariæ regionem ita deſcripſit: *Incipit* k) *a vico Ginaa, deſinit in Acrabatenam toparchiam.* Pro Γιναίας apud *Ioſephum* in aliis Codicibus habetur Γηνίας, Γινέας, Γαναίας. *Iſidorus* ſic legit: l) *Hæc regio* Samaria *inter Iudæam & Galilæam media iacet, incipiens a vico, cui nomen eſt Eleas, deficiens in terra Agrabat.* Locus Genæa nunc vocatur Iennin, ſeu Zjennin. Confer *Relandum* in *Geman* & *Ginæa*.

Eliſa terra occurrit *Ez. XXVII, 7. Elida*, Eléam, Ἤλιδα, Ἠλείαν, Græci vocant. Eſt Peloponneſi regio inter Achaiam & Meſſeniam ad occaſum ſolis. m) Nomen regioni adhæſit ex urbe primaria Elide, quam Peneus perfluit. Ipſa eſt ad Olympiam ſita. *Pauſanias*, ibi xylinum flavi coloris gigni vendique, eſt auctor. Plura dat *Chriſtophorus Cellarius* in *Geographia antiqua II, 13, pag. 1181, 1183*, ed. pr.

Ellaſar, urbs, ſeu regiuncula, Regis *Ariochi*, *Gen. XIV, 1.* Macedonès urbem Syriæ Lariſſam hoc nomine impertiverunt; teſte *Appiano*. n) Solebant tamen ipſi nomina nova ad formam veterum denominationum conformare.

Ecre-

k) Loco laudato *§. 4 p. 223, Ant. Iud. XX, 6, §. 1, p. 967.*
l) *Originum XIV, 3.*
m) *Strabo Lib. VII, p. 335, 336.*
n) *De Bell. Syr. p. 201.*

Ecrebel, locus, ad meridiem campi magni Iisreel poſitus, *Iudith VII*, 18. Erat vicinus loco *Chuſei* ad torrentem Mochmur. Videtur Ecrebel non differre ab Acrabbim. De reliquo liber *Iudith* eſt drama, exhibens Iudaicam gentem quaſi fœminam viduamque & vetulam, & formoſam tamen, quæ *Antiochum Epiphanem*, eiusque exercitus, devicit. An ubique ſcriptor veritatem geographicam ob oculos habuerit, admodum dubito. *Chuſei* videtur eſſe *Aſa* verſus Dothaim. Mochmur erat amnis, qui pluviali tempeſtate aquis ſcatebat, alias vero erat ſiccus. Vocatur enim χείμαῤῥος.

Elim, locus ſtationi Iſraelidarum inſerviens, ſitus inter mare *iam ſuph* dictum & deſerta *Sin*, *Ex. XVI*, 1. Fontes ibi olim XII & palmæ LXX, ideoque locus ab *Ezechiele* vocatur *Tamar*. Tamar enim denotat *palmam*. Vulgaris obtinuit ſententia, locum ad ſinus Arabici extremi verſus ſeptentriones oram, orienti obiectam, eſſe iuveniendum. Hic omnino oſtendunt viatoribus accolæ locum *Hilan* inter Pharan & Tor. o) Iter vero Iſraelidarum, Aegypto egreſſorum, huc haud quadrat.

Elul, locus in tribu Iuda iuxta Hebron, *Alula* poſtmodo dicta. *Hier.*

Emath, חמת, urbs Heliopolis ad occaſum aquilonarem Damaſci. Vide ſupra vocem *Chamath*.

o) *Geogr. Nub. P. III Cl. 3.*

Emeſa, in ſacris literis כְּרַךְ מִישׁ, *urbs Miſch*, nunc vocatur Hams, apud *Wilhelmum Tyrium* q) *Cameſa*. Ad Orontem ſita eſt paulò disiunctius a ripa orientali, Apameam inter & Damaſcum conſpicua. *Ulpianus Dig. L. Tit.* 15 §. 4: *Emiſena civitati Phœnices Imperator noſter ius coloniæ dedit, iurisque Italici eam fecit*. Fit urbis mentio in Imperatorum numis. *Haym* numum r) exhibet, in quo viſitur *Imperator Sulpicius Antoninus Auguſtus*, & in averſa templum, ſex columnis ſuperſtructum, inter quas apparet petra conica, Dei *Elagabali* ſymbolum, & epigraphe ЄΜΙϹϹΩΝ ΚΟΛΩΝΙ. Infra apparent literæ ε ξ φ, indices anni 565 æræ Seleucidarum, quæ cepit olim primordia ab autumno anni a Roma condita 442, teſtibus *Noriſio* s) & *Vaillantio* t). *Cotovicus* ante ſesquicentum annos locum ita delineavit: *Id* oppidum *in ampliſſimæ planitiei & proſpectibus liberæ poſitum medio, muris, turribus, foſſisque, cinctum; mille circiter paſſus ſuo ambitu comprehendit*. Arabes Humſi & Hamſa vocant. Sunt, qui, Seculo XII eum Sardinellæ nomine veniſſe, ſibi perſuadent. Idem *Cotovicus* alibi u): *Eſt urbs perpulchra, ampla, ac ſatis frequens, in planitie latiſſima Apameæ regionis poſita, foſ-*

p) *Cotovicus III, 16, p. 389 ſeq.*
q) *De Bello ſacro XXI, 6, VII, 12.*
r) In *Theſauro Britann. Tom. I p. 278.*
s) *De Epoch. Syro-Maced. Diſſ. II Cap. 2.*
t) In *Num. Col. T. II p. 35.*
u) *III, 18, p. 397 ſeq.*

foſſis, muris, turribusque validiſſimis e nigro ac vivo lapide, cincta; cui arx imminet ſitu firma, ovalem pæne referens formam, edito in colle, manu facto tamen, atque undique præcipiti, quadratis diſtincta turribus. Zoſimus x) *Elagabalum* Imperatorem vocat *Emeſenum adoleſcentulum,* eo quod mater huius *Iulia Moëſa* ortu erat Emiſena. In templo Emiſeno *Aurelianus* Imperator, devicta *Zenobia*, vota Diis perſolvit. Evaſit hæc urbs metropolis quædam Patriarchatus Antiocheni. *Epiphanius* Patriarcha ſubſcripſit Concilio Chalcedonenſi. *Thomas* Monachus & *Symeones*, eidem vitæ addictus, ſimulata ſtultitia Emiſam illuſtrarunt Seculo ſexto, teſte *Evagrio H. E. IV, 34, 35, p. 414 ſeq.* Chriſtiani eam recuperarunt A. 1098. *Saladinus* centum fere inde annis elapſis eam parere ſibi iuſſit. Tatari eam ceperunt A. 1258. Mamluci illis eam ademerunt, ac hisce A. 1516 Turci. Subiacet ipſa hodie Proregi Damaſceno. Phoenice Libaneſia eam olim complectebatur. Plura dabit evolventi *Chriſtophorus Cellarius* in *Geographia antiqua III, 12, p. 422 ſeq.* ed. pr. nec non *de la Roque T. I P. I p. 135.*

En chatzor vocatur alibi *Chatzor.* Hanc vide ſupra.

Eneglaim. Hermannus von der Hardt y) eam habet pro Bethagla. Sed repugnat ſitus. Bethagla enim erat urbs tribus Beniamin, quæ ad

T 5 prin-

x) *I, 8, p. 189.* y) In *Medabenis p. 13.*

principium maris mortui haud excurrebat. *Bethagla* erat ad Occidentem Iordanis poſita; *Eneglaim* ad Orientem.

Engedi ſita erat in tractu, qui vocabatur *deſertum Iudæ*, *Iud. I, 16.* In ſitu aſſignando *Relandus* fallitur. Engada enim fuit auſtralior. Id egregie oſtendit *Ieremias Philadelphus* z). Nomen nacta fuit urbs ex *fonte hædorum ſilveſtrium* ob cavernas petrarum circumvicinas, in quas grex hædorum ac ovium poterat cogi fervidiſſimo diei tempore a). Locus vocatur alias *Thamar*, *Thamara*, *Thamaro*, *Chazazon Tamar*, immo *Tadmor*. Thamaro a *Ptolemæo* ponitur in Iudææ extremis ad auſtrum. In *Tabula Peutingeriana* additur, Thamaram Aelia 53 millibus paſſuum abfuiſſe. Hieroſolymam inter & Engada erat culmen b) clivusve, per quem illuc adſcendebatur. Toparchia Engadena erat una ex undecim illis, quas *Ioſephi* ætate complectebatur Iudæa c). Urbem Tadmor d) exſtruxit, id eſt, permunivit in deſertis. Ad Engada vero exſtiterunt deſerta, in quibus *David* latitavit, *1 Sam. XXIV, 2.* Palmyren dictam quoque eſſe Tadmor, *Abulfeda* eſt auctor. *Ioſephus* e) videtur ſcriptores eo

z) In *Bibliotheca Bremenſi Cl. VIII Faſc. I n. 1 §. 17 pag. 141 ſeq.*
a) *Hiſtoire univerſelle des gens de Lettres T. III p. 15.*
b) *Ioſephus Ant. Iud. IX, 1, §. 2, p. 473.*
c) Idem *Bell. Iud. III, 3, §. 5, p. 224.*
d) *2 Par. VIII, 4,*
e) *Ant. Iud. VIII, 6, §. 1, p. 435.*

eo commoviſſe, ut ipſi Tadmoram *Salomonis* pro Palmira, ſeu Palmyra, reputarint. Verum Codices nonnulli ibi habent *Paramillam*, quæ vox videtur orta ex *παρ' ἁλμυρὰν, iuxta mare ſalſum*, ad cuius occidentem Engada fuerunt ſita.

Ephraim, urbs gemina cognominis. Altera tribui Beniamin aſſignanda; altera in Menaſſitide transiordanica ſita. *Veſpaſianus* ſubegit Romanis partes Iudææ, nempe in montana regione toparchias duas, Gophniticam & Acrabbatenen intra regionem Samariam, tum vero poſt has Bethelam & Ephraim oppidula, *πολίχνια*, præſidiisque ibi locatis Hieroſolymam usque f) equitavit. *Rufinus* in Latina translatione *Ioſephi* habet pro Ephraim vocem *Uphre*. In huius Beniaminiticæ urbis confiniis ſeptentrionalibus ſunt *montana Ephraim*, *1 Sam. XIV, 22*, memorata prope Michmaſch, Beth-Aven, & Aialon, ubi prælium cum Philiſtæis committebatur. Ephraim altera erat trans Iordanem ſita. Ad eam in ſilva *Abſolomus* prælium pugnavit fatale, in quo periit, *2 Sam. XVIII, 6*. *Abſolom* vero antea commilitones ſuos Iordanem transduxerat, ut exercitum patris ſui prope Machanaim invaderet, *XVII, 24*. Dicitur ea alias *Ephron*, & *Gephrus*. Gephrus legitur apud *Polybium Lib. V p. 414*. *Ieroboamus* prior, Rex Iſraelitidis, erat אֶפְרָתִי, *Ephratenus*, ex Zareda

f) *De Bello Iudaico IV, 9, §. 9, p. 304.*

da ortus, 1 *Reg. XI*, 26. Regiuncula itaque, oppido Ephraim ibi adiecta, dicta & ipſa fuit Ephraim. Prope hanc Ephraim erat locus *Baal Chatzor*, ubi *Ammon* eſt occiſus, 2 *Sam. XIII*, 23. Erat ad occaſum ibi traiectus Iordanis ordinarius 1 *Macc. V*, 46, e regione Scythopoleos. *Iudas* eam, ſuo tempore munitiſſimam, expugnavit 2 *Macc. XII*, 27, 28. Videtur ipſa quoque appellata *Gennabris* & *Ginnabris*, *Gennabara*, *Gennabra*. Inde a Gennabri g) cœpit campus magnus transiordanicus, ad lacum usque aſphaltiten patens. *Ephran*, *Gideonis* patria h), erat in Menaſſitide i) ſita. Vocatur illa *Ophra Iud. VIII*, 27, 32. Loco videtur nomen adhæſiſſe ex tranſitu, ſeu traiectu, Iordanis, ex עבר, *transeundo*. An *Epicærus Ptolemæi* hic in cenſum veniat, dubito. Numeri longitudinis ac latitudinis certe nobis minus faverent, ſi Epicæron & Ephronem pro eodem haberemus loco. Regiunculam, prope Ephron ſitam, dictam fuiſſe *Iehuda*, ſatis eſt notum.

Esrach locus eſt, unde pſalmœdus *Ethan* cognomen gentile הָאֶזְרָחִי, *Esrachitæ*, traxit, *Pſ. LXXXIX*, 1. Situs & notitia ſpecialior adhuc deſiderantur. Saraca *Stephani*, intra Arabiam deſertam ſita, Saracenorum domicilium & ſedes, hic in cenſum venit.

Etam,

g) *Ioſephus de Bello Iud. IV*, 8, §. 2, *p*. 298.
h) *Ant. V*, 6, §. 5, *p*. 294.
i) *Iud. VI*, 15.

Etam, *Ethan*, locus fuit, a quo deſerta proxime adiecta cognomen obtinuerunt. Hæc æque a Schur denominantur. Israelidæ, mare *iam ſuph* emenſi, in Etam pervenerunt, triduumque contriverunt in eo, *Num. XXXIII.* Nihilo minus ipſi iam in Etam erant, antequam mare illud tranſirent, *Ex. XIII*, 2. Series itineris Iſraelidarum nos eo adducit, ut *ἐρημίαν*, *deſertam aridamque tæniam*, credamus deſignatam, quæ Peluſium inter ac Gazam interiacebat ad maris mediterranei littus. *Burchardus* Argentinenſis de hac in tæniam protenſa longitudine: *Deſertum Suriæ eſt poſt civitatem Gazam, & illud deſertum continet quinque diætas; & omnes viæ in tali deſerto ſunt æquales. Deſertum vocatur albeleth*, i. e. arenoſum. *Ioſephus* Peluſium inter ac templum *Iovis Caſii* k) prope lacum *Sirboniden* interiicit tractum, habitationi minus aptum, ſeu *ἐρημίαν*, *ἔρημον*. Alibi l) tractum, qui Gazam inter ac Peluſium conſpicitur, vocat *ἔρημον* generatim. *Arrianus*, *Plutarchus* in *Vita Antonii Triumviri*, aliique, norunt hanc aridiorem terræ tæniam, mari prætenſam. Alibi de ea fuſius expoſui, omniaque egreſſorum Iſraelidarum loca ſecundum Geographiam recenſui antiquam. *Ethan* proprie vocatur id, quod perenni in motu fluxuque m) ſervatur.

La-

k) *De Bello Iud. IV*, 11, §. 5, *p.* 313.

l) *VII*; 5, §. 3, *p.* 412.

m) *Albertus Schultens* in *Originibus Hebræis Lib. I Tom. I Cap.* 8 *p.* 238 *ſeq.*

Lacus Sirbonides ſic vocatur, quia perpetuo undæ eius, ex ecregmate & inde ex mari mediterraneo adfluentes, conſervabantur.

Ezeongeber prope Elath erat locus, ad occidentalem montium Seir plagam ſitus. Is enim poſitus innoteſcit ex *Devt. II, 8. Elath, Hieronymo* teſte, erat *regio principum Edom & civitas Eſau, in decimo a Petra miliario contra orientem.* Legendum vero eſt *contra occidentem*, ſerie itineris Iſraelidarum, proxime Kadeſam in auſtrali Iudææ limite ab ipſis inſtituendi, ſic flagitante. Aſiongeber ratione ſitus fuit *Euſebio* & *Hieronymo* incognitum. Uterque in locis deſcriptis procul remotis plerumque ſe fefellit. Leguntur hæc vulgo apud *Hieronymum*: *Aſiongaber, in hoc loco claſſis Ioſaphat* n) *vi tempeſtatis attrita eſt. Fertur autem ipſa eſſe ſita haud procul ab Ailath in mari rubro.* Confudit *Euſebius* æque ac *Hieronymus Ezeongeber* auſtrale ac Edomiticum, quod prope Elath, non Ailam, ſitum fuit, cum Ezeongebero ſeptentrionali, quod erat poſitum prope Eloth, ſtationem Tyriorum ac *Salomonis* o) navalem. Eloth hæc eſt Elais; Ezeongeber autem *Ornithopolis*, *Tarnegola.* Vulgo Ezeongeber dicitur eſſe Heroonpolis, ad ſinum maris Arabici Heroopoliticum ſita. Promontorium adiacens vocabatur *Pharan.* Promontorio huic tribuit *Ptole-*

n) *1 Reg. XXII, 49.*
o) *1 Reg. IX, 26, 2 Chr. VIII, 17.*

Ptolemæus gradus longitudinis 65, latitudinis 28° 30′ p). Crediderunt auctores huius opinionis, *Ezeon* eſſe idem ac *urbem*, *geber* vero *virum fortem*, ſeu heroem. Ad vocis originationem ipſi unice reſpexerunt, non ad reliqua momenta. *Salomonis* ævo in ſinu Arabico nulla fuit navigatio, nulla *Salomonis*, vel Tyriorum, poteſtas. Nec Edomitarum regio tunc eousque patuit.

G.

G*abaa terra*, ſeu *Gaba*, locus fuit, in quem ſeceſſerat *Holofernes*, Bethuliam obſeſſurus, *Iudith III*, 14. Videtur deſignari *Gaba*, urbs Galilææ. Beſara, in confinio Ptolemaidis ſita, viginti ſtadiis a Gaba diſtabat, q) Merito *Relandus*, Gabam hanc eſſe Caipham, ſeu Hepham, ſibi perſuaſit.

Gabala, ad oram Syriæ maritimam ſita, ab Oronte in meridiem r) recedit, ac *Gabalum* alibi s) vocatur, immo *Gebal* & *Gybel*. t) Referendus eſt locus ad terram Abrahamidis promiſſam, quæ Oronte terminabatur. Hic enim eſt ille *Phrath*, ſeu fertilis ac fœcundans fluvius. Syri eum adhuc vocant *Fer*, *Ferri*, *Fert*. u) *Wilhelmus Tyrius* diſtantiam Laodiceæ

p) *Vol. III Hadſoni pag.* 2, 3.
q) *Ioſephus* in *Vita ſua* §. 23 *p.* 11 *Tom. II.*
r) *Recognit. Pſeudo-Clementin. VII*, 25, *p.* 557.
s) *Wilhelmus Tyrius X*, 5.
t) *Helmoldus* in *Chron. Slav. IV*, 3, *pag.* 707.
u) *Wilhelmus Tyrius de Bell. Sac. IV*, 8, *p.* 83, *XVIII*, 32.

diceæ a Gabala ita x) definivit: *Urbs Gabulonenſis, nunc Gybellum, a Laodicea diſtat XII millia paſſuum.* Itinerarium *Antonini* XVIII millia paſſuum habet. Phœnicen *Plinius* ad Simyram & Eleutheri oſtia usque protendit. Tum vero pergit: y) *Hinc rurſus Syria, deſinente Phœnice. Oppida, Carne, Balanea, Paltos, Gabale,* Biblum Phœnices nunc vocant accolæ *Gebail;* z) Gabalam vero *Iebilée.* a) Hæc ad mare ſita eſt. Qua continentem ac orientem ſpectant, planities ubertate excellentes oſtentat. Terram Gabalenſem *Ioſua* vocavit *terram Giblitarum, XIII, 5.* Norant ipſi artem exſtruendi fabricandique naves, *1 Reg. V, 18, Ez. XXVII, 9.* Græcus Interpres Alexandrinus his locis Biblicis intulit *Byblios,* ſeu incolas Bybli, eo quod ætate ipſius Byblus, ſeu Biblus, vocata fuit *Gibyle,* quod nomen adhuc b) uſurpatur. Gabala fuit dicta ex tractu montano. *Gebel* enim *mons* eſt. Exinde accidit, ut tractus Idumææ prope Petram circumvicinus appellatus fuerit *Gabalene,* cuius incolæ dicebantur c) *Gabalitæ.*

Gad dicta etiam fuit *Dibon Gad,* quem locum vide ſupra.

Gaddra

x) Idem *VII, 17, pag. 456.* y) *H. N. V, 20.*
z) *De la Roque Tom. I pag. 169, 177.*
a) *Henr. Maundrell Reiſebeſchreibung nach dem gelobten Lande p. 26 ſeq.* Hamb. 1737, 8.
b) *Ibid. p. 46.*
c) *Ioſephus Ant. IX, 9, §. 1, p. 495.*

Gadara dicta eſt ex *Gadar*. Nam Pœnorum ac Palæſtinorum lingua vocabant d) locum conſeptum *Gaddir*. Ex tabula *Theodoſiana* intelligitur, Scythopolin a Gadaris XVI millibus paſſuum abfuiſſe, totidemque verſus boream Capitoliada Gadarâ remotam exſtitiſſe.

Gadeiram. Auctor *Etymologici magni pag.* 219 tradidit, ab *Archaleo*, *Phœnicis* filio, conditam eſſe ac fundatam.

Gader. Ita *Euſebius* vocavit locum *Migdal Eder* poſt interpretem Alexandrinum Græcum ad *Gen. XXXV*, 16, 21. Vide ſupra *Ader*.

Galgala, *Gelgel*, *Gilgal*, ſita erat prope montem Garizim, *Deut. XI*, 30. Vocatur eadem *Galil*. Hæc eſt illa urbs *Gilgal*, in qua olim aſſectatores peccatorum *Ieroboami* boves immolarunt. Quod facinus caſtigat *Hoſeas XII*, 12.

Galilaa. Tertium cacumen oliveti, ſeptentriones reſpiciens, recentiori ætate id nomen ex errore obtinuit. *Burchardus* Argentinenſis: *Mons Gabilaa eſt poſt montem oliveti*. *Ioannes Cotovicus* copioſius: e) *In tertio cacumine, quod ſeptentrionem ſpectat, & vulgo Galilaa vocatur, turris & domuncula, recens exſtrui cœpta, at nondum perfecta.* Paucis porro interiectis: *Galilaam autem dici, aliqui putant, ab hoſpitio, quo olim Galilæi, Hieroſolymam proficiſcen-*

d) *Rufus Feſtus Avienus* in *Carmine de Ora maritima v. 268 ſeq. p. 7 Vol. IV Hudſoni*.

e) In *Itinerario Syriaco & Hieroſolym. p.* 273.

ciſcentes, divertebant. Mons ipſe oliveti Hierosolymæ ab Oriente eſt oppoſitus, ac ab ea circiter milliare unum diſtat, valle *Ioſaphat* interiecta f) inde diſcretus. *Ioannes Harduinus*, Ieſuita, putat g), in Galilæa hac Chriſtum ſuis voluiſſe redivivum apparere, atque ibi eis re vera ſe ſpectandum primo a reſurrectione die exhibuiſſe. Refellit eum ſolide M. *Chriſtianus Gottlob Eichlerus* in priori Diſſertatione *Bigæ Diſſertationum Anti-Harduiniarum p. 6 ſeq.* editæ Lipſiæ, 1737, 4. Promiſerat omnino Ieſus, ſe diſcipulis, poſtquam a mortuis rediiſſet, in Galilæa appariturum, *Matth. XXVI, 31, XXVIII, 10.* At, primo a reſurrectione ſua id futurum eſſe die, haud adiunxerat. Formula loquendi μετὰ τὸ ἐγερθῆναι certum diem haud definit. Appellatio illa, quæ tertio montis oliveti vertici, ſeu cacumini, fuit indita, *Galilæa* ſcilicet, non eſt ſuppar ætati, qua Ieſus ſeſe Palæſtinis adſpectabilem præbuit. Galilæis haud licuiſſe urbem Hieroſolymam templumque ingredi, eosque in tertio illo montis cacumine reſtitiſſe, ac hoc inde nomen Galilææ obtinuiſſe, *Harduini* eſt commentum, cui repugnant teſtimonia Evangeliſtarum *Luc. II, 41, 44, XIII, 1, Io. IV, 45.* Chriſtiani primi exiſtimarunt, Galilæos in illo prope Ieſum cacumine ſtetiſſe, in cœlos nube ſub-

f) *Wilhelmus Tyrius VIII, 11, p. 178, Maundrell l. c. p. 108.*

g) *Memoires de Trevoux A. 1729 Sept. Art. 95 p. 1763. Art. 120 p. 2279* ed. Paris. *Commentarius in N. T. p. 101*, Hagæ Comitum, 1741, fol.

ſubvectum, ad quos bini dixerunt angeli: *Viri Galilæi, quid hic ſtatis, & in cœlum ſuſpicitis?* *Act. I, 11. Galilæa* ſcilicet ecclesia inde locus ille dictus eſt.

Gallim. Ven. *Hermannus van der Hardt* h) ſibi perſuaſit, locum hunc eundem eſſe ac *vallem ſpinarum*, ἀκανθῶν αὐλῶνα, in finibus Iudææ Beniaminitidis, ac Danitidis. Attigit ſitum huius loci *Ioſephus* i), memorans, vallem ſpinarum fuiſſe ſitam apud vicum quendam, *Gabath-Saul* dictum, diſtantem ab Hieroſolymis circiter ſtadia triginta. At verſus quemnam cœli cardinem? *Titus* iter fecit per Samaritida Gophnam, ac inde ad Gabath-Schaul, exploraturus Hieroſolymæ ſitum. Gibea *Sauli* erat in Benjaminitide *1 Sam. XI, 4, XIII, 2,* non longe a Rama *Iud. XIX, 13.* Gallim vero erat urbs Iudæ. *LXX Ioſ. XV, 60.* Probabile itaque non eſt, *Gallim* eſſe *vallem ſpinarum.* Hæc enim erat vallis, non domiciliorum congeries. Vallis illa erat omnino proxima Gibeæ in Beniaminitide. Gibea autem in confiniis trium tribuum haud fuit ſita.

Gamala. In vertice montis erat poſita, regione adiacente fertili ac amœna per tractum circumvicinum nobilis, teſte *Gorionide VI, 24, p. 630.*

Gath. Sexcenti Gittæi comitabantur *Davidem*, a conſpectu *Abſolomi* fugientem *2 Sam. XV, 18.*

h) In *Medabenſi p. 13 ſeq.*
i) *De Bello Iud. V, 2, §. 1, p. 320.*

Invenerunt incolæ *Gath* organon muſicum, dictum *Gittit*, unde Græcorum nomen *Magadis*, ſeu *Magadidis* organon, profluxit. Conditum in Gath Seculo XII caſtrum Hybelim k). Nunc dicitur *Iet*.

Gath Rimmon, urbs Menaſſidarum, Levitis aſſignata, memoratur *Ioſ. XXI*, 24. Diverſa fuit illa a Gath Rimmon Danitarum, æque Levitis attributa, *Ioſ. XXI*, 24. Si dixeris, eam fuiſſe *dicomiam*, ac ex urbibus, ſeu vicis, duobus conſtitiſſe, loca Palæſtinæ ultra modum haud multiplicabis. Sunt, qui, *Cadytin Herodoti* in Gath *Rimmon* ſeſe inveniſſe, putant. Alii Hieroſolymam, alii *Hadad Rimmon*, pro *Cadyti* habent.

Gaza, עַזָּה, Græcis l) exiſtimata originem traxiſſe & nomen vel ab *Azone*, *Herculis* filio, vel ab *Aza*, quam *Iupiter* ibi reliquiſſet. Nomen obtinuit indubie ex eo, quod valida erat & firma. Palæſtinorum enim lingua hic in ſubſidium vocanda eſt, non Græca. Sita fuit in colle aliquantulum edita. Reædificavit eam *Balduinus III*, Rex Hieroſolymitanus, Seculo duodecimo m). Ultima tunc illa n) erat regni Hieroſolymitani civitas, inter quam quippe & Aegyptum interiacet vaſta ſolitudo. *Troilo* o) a Gaza inde usque in Aegyptum nullum invenit locum memorabilem, nil niſi deſerta.

k) *Wilhelmus Tyrius XV*, 24.
l) *Euſtathius* ad *Dionyſii Periegeſin p.* 160.
m) *Wilhelmus Tyrius XVII*, 12.
n) Idem *XIX*, 13. o) *Reiſen p.* 468.

ſerta. Et eam ob cauſam via, quæ inde in Aegyptum ducit, dicitur ἔρημος, *ſolitaria, deſertis gravata*; *Act. VIII*, 26. Hanc viam, Hieroſolymis *Gazam* & inde ad *Peluſium* ferentem, inſiſtebat *Candaces*. Situm urbis Gazæ expoſuit *Thevenotus* p). *Polybius* deſcribit *Ptolemæi* iter ex Aegypto verſus Cœlen Syriam 1) hoc modo: *Ptolemaus*, *Peluſium* profectus, - - pergitque ire per terram, carentem aqua, propter Caſium montem & ea, quæ vocant barathra, iter habens. Gazam ut ventum, & pars exercitus iterum ibi eſt aſſumta, placideque & leniter, ut ante, proceſſit. Quintis caſtris, quo deſtinaverat, pervenit, ibique ſtadia quinquaginta ab oppido Raphia ſigna conſtituit. Hæc urbs Cœlen Syriam ex Aegypto petenti, poſt Rhinocorura occurrebat prima omnium e Syriacis. Vides, Lector, Gazam hic poni inter Caſium montem & Rhinocoruram. Deſignare voluit *Polybius Oſtracinon*, quod in ſacris literis videtur *Schur* appellatum. Videtur *Polybius* ſcripſiſſe Σάραν. Nullus enim ibi Gazæ eſt locus. Gazæ portum, ſeu Maiumam, Γαζαίων ἐμπόριον, *Conſtantinus Maximus* eo, quod incolæ ſimulacrorum cultum cum religione Chriſtiana ſponte ſua mutabant, *Conſtantiam* dici iuſſit, teſte etiam *Euſebio* r). Gazæ colebatur *Iupiter Aldemius*, ſeu *Aldus*. *Etymologicon*

p) *Voiage au Levant Lib. II P. I Cap. 36 p. 568.*
q *Lib. V Cap. 8.*
r) In *Vita Conſtantini IV*, 37, 38, p. 646 *ſeq.*

con magnum pronuntiato fidem facit s) hunc in modum: Ἀλδήμιος ἢ Ἄλδος ὁ Ζεύς· ὃς ἐν Γάζῃ τῆς Συρίας ἱμᾶται παρὰ τὸ ἀλδαίνω, τὸ αὐξάνω ὁ ἐπὶ τῆς αὐξήσεως τῶν καρπῶν Μεθόδιος. Vox illa *Aldemius* videtur conflata eſſe ex אדן, *domino potenti*, & Græco δῆμος, *multitudinem* denotante. Deus, ſeu dominus hominum, indicatur, ſeu *Murnas*. Hunc in Gath fuiſſe adoratum, per nævum obrepentem memoriæ prodidit t) *Furmontius* ſenior.

Gazoros. *Ioſephus* de *Iuda Maccabæo* u) ita: *Poſtea inde progreſſus in Ammanitas, validam manum numeroſumque nactus exercitum, cui præerat Timotheus, illis profligatis atque devictis, Iazaron urbem expugnavit*.

Geba, quæ memoratur *1 Reg. XV, 22*, exſtitit *Beniaminitica*, ideoque diverſa a boreali cognomini. Dicitur illa alias Gibea. Vocatur ipſa a *Ioſepho* x) *Gaba*, ac in Codicibus quibusdam manuſcriptis *Gabala*, *Gabathe*, *Geba*, *Gebaa*, *Gabaa*, *Gabaon*, *Gabatha* y).

Gephrus. Vide ſupra *Ephraim*.

Gerar fuit gemina: una inter Kadeſch & Schur *Gen. XX, 1*; altera ab Eleutheropoli in meridianam plagam 25 millibus paſſuum disiuncta.

Ka-

s) *Pag. 58 b.* edit. *Frid. Sylburgii* Commelin. 1694, fol.
t) *Reflexions critiques ſur les Hiſtoires des anciens Peuples L. II Sect. 4 p. 336.*
u) *Ant. XII, 8, §. 1, p. 618.*
x) *Ant. VI, 6, §. 1, p. 324.*
y) *Berkelius* ad *Steph. Byzant. p. 252 ſeq.*

Kadeſch erat in limite Iudæ tribus auſtrali ſitum. *Schur* eſt Oſtracinon, quemadmodum loco ſuo oſtendemus. Gerar itaque, antiquior locus ac prior, non differt a Rhinocorura.

Geraſa. *Ptolemæus* locum Arabiæ Petrææ annumeravit ac collocavit ad long 65° 30′, lat. 29° 30′, adeoque Petra ipſa reddidit auſtraliorem. Hic vero ſitus eſt oppido alienus a veritate. *Gerinum*, prope montem Thabor, medio ævo *) innotuit.

Geſchur eſt locus 1) Schur, z) ſeu Oſtracinon, 2) regia transiordanica in Trachonitidis tractu auſtrali prope confinia Manaſſitidis transiordanicæ, *Deut. III, 14, Ioſ. XIII, 13, 2 Sam. III, 3, XIII, 37, 38, XIV, 23, 32, 1 Chron. II, 23, III, 2, Ioſ. XII, 5, XIII, 11. Ioſephus Ant. VII, 8, §. 3, p. 385.*

Geth a) eſt urbs Gath, medio ævo lenius pronunciatæ, nunc vulgo appellari ſolita *Iet.*

Gethſemane, olim vicus in monte oliveti, dudum prorſus deſolatus. Locus oſtenditur b) e regione portæ aureæ ad radices montis oliveti. *Hieronymus de Locis: Gethſemani - - eſt ad radices montis oliveti, nunc eccleſia deſuper ædificata.*

Gettaim, vicus Idumæorum incerti ſitus, *Geneſ. XXXVI, 35.*

*) *Oliverius p. 1386.* z) *Ioſ. XIII, 2.*

a) *Wilhelmus Tyrius XV, 24.*

b) *Cotovicus p. 397.*

Gibea Beniaminitica diſcriminis cauſa dicitur גִּבְעַת בִּנְיָמִין, *1 Sam. XIII*, 2.

Gihon, locus ad angulum Hieroſolymæ exteriorem inter auſtrum & occidentem, ubi erumpit fons Siloam, ſeu Gichon. Vid. *Ioannis Lightfooti Chorographia in Ioannem Cap.* 5. Ex Siloa, duo canales ducti erant ad totidem piſcinas, quarum alteram, ſeu ſuperiorem, ſtruxit *Salomo* præcipue in domus regiæ uſum, *Ieſ. VII*, 3, *XXXIII*, 2. Inferior magis verſus ſeptentrionem flexa fuit in eorum uſum, qui civitatem inferiorem incolebant. Vid. *Vitringa* in *Ieſ. VII*, 3, *XXII*, 9.

Giblim ſunt vel Gabalæ cives, vel Bibli Phœniciæ homines. Vide ſupra *Gabala*. *Gebel* Phœnicibus ac Arabibus eſt *mons*. Erat haud procul Gabalis mons Caſius. Abilam, alteram *Herculis* apud Mauritanos columnam, ſic dictam fuiſſe a gente Punica, quod *mons* ille *altus* eſt, teſtis eſt *Rufus Sextus Avienus* c). *Gibalus*, mons Samariæ, notus *) eſt, alias Ebal.

Gigartus, vicus *Gegarta*, in provincia maritimæ Phœnices. *Plinius V*, 20, coniungit *Gigartam*, *Trierin*, & *Calamon*. *Strabo* d) Botryn & *Gigartum*, & ſpeluncas ad mare ſitas, & caſtellum promontorio Theuproſopon impoſitum, coniungit. Sita erant hæc loca circa Tripolin inter & Biblon. A Gigarta videntur cognominati *Girſchai*. Sed de his alias dicam. *Botrus*, ab

c) *De Ora maritima v.* 345 *ſeq. Vol. IV Hudſoni.*
*) *Ioſeph. Ant. IV*, 8, §. 45, *p.* 252. d) *Lib. XVI.*

ab *Ithobalo*, Rege Tyri, condita, nunc vocatur *Patron*, e) marique adiacet, ſita inter Biblon & Tripolin. Regio maritima, utrinque ad Nahr-Kelb, ſeu flumen Tamyran, ſita, vocatur *Keſroan*, moris ad bombyces alendos fœcundiſſima, fertiliſſima f) vineis, ficubus magnis, paſcuis, paſtionibus, frugibus ſpeciei cuiuscunque, oleis.

Gilboe, mons & vicus grandis, *Gelbus* plerumque dictus, ſex mill. paſſ. diſtans a Scythopoli, teſte *Hieronymo de Locis Hebraicis*. Inter Salem & Naim *Cotovicus* iter fecit per radices montis Gilboe g), progreſſus inde per vallem Iesrahel, ac ad montem Hermonem. Gilboe mons usque ad Iordanem pertinet, teſte eodem. A iugo montis Gilboe dorſum pertigit h) usque ad lacum asphaltiten, obtendens ab Oriente magnum campum Iiſreeliticum ac agros Scythopolitanos. Rorem, in montes Gilboa deſcendere ſolitum, perſpicere licet ex *2 Sam. I, 21*. Rores Chermonis notiſſimi ſunt. Chermon hic poſitus erat ad ſeptentriones i) campi magni Iiſreel, & usque ad Iordanem pertingebat. Sex circiter milliaria interſunt inter montem Chermon & auſtraliorem montem Gilboa. Interiacet montem utrumque pars planitiei Iiſreel.

e) *De la Roque Tom. I P. I p. 167 ſeq. Voiage de Syrie & du Mont Liban.*

f) Idem *p. 178 ſeq.* g) *Pag. 347.*

h) *Ioſephus de Bello Iud. IV, 8, §. 2, p. 297 ſeq.*

i) *Cotovicus p. 347.*

Gilead, cuius fit mentio *Gen. XXXIV*, 25, *Ier. XLVI*, 11, *VIII*, 22, videtur fuiſſe urbs medicatis rebus & atomatum commerciis clara. *Hermannus von der Hardt* credidit k), locum eundem eſſe Magdala, ſeu Migdal El, Naphthalitidis prope Capernaum ad initia lacus Genneſaritici. Conf. *Hoſ. XII*, 12. Tiglath Peleſſar hanc urbem Naphthalitidis occupavit, ac incolas in exilium abripuit, 2 *Reg. XV*, 29. Eo conceſſit habitatum *Elias* ex Thisbe, 1 *Reg. XVII*, 1. Ex hoc loco in Aegyptum tetenderunt Iſmaelitæ mercatores *Gen. XXIV*, 25.

Gilead, urbs alia, dicebatur alias Ramoth ac ipſa regio, urbi huic adiecta. *Galatidem* vocavit hanc *Polybius*, *V*, 71.

Gilgal, Beniaminiticus olim locus, plane in ruinas eſt converſus, quæ abſunt e Iordane dimidio milliaris Germanici ad Occidentem, *Scheidtio* teſte. Gilgal, memorata *Ioſ. XV*, 7, non eſt ab illo diverſa urbs. Gliloth & Gilgal non differunt, uti patet ex *Ioſ. XII*, 23, ubi indicatur Galilæa borealis, cuius caput olim erat *Goiim*. Gilgal & Gilead fuit urbs ob *Hoſ. XII*, 12, 2 *Reg. XV*, 29. Illa tamen *Hoſea* videtur exſtitiſſe Galgulis prope Bethſaliſam.

Gillon, alibi Gallim, vicus prope Accarona, teſte *Hieronymo*. Inde eſt gentile *Gilloni* 2 *Sam. XXIII*, 34.

Giſcala, *Giſchala*, quam vicini populi Gadareni, Gabareni, Soganæi & Tyrii, expugnatam incen-

k) In *Medabenis* p. 71.

cenſamque ſolo æquarunt, *Ioannes* vero *Levi* filius, ſtans a Romanis, inſtauravit l), mœnibusque cinxit. *Ioannes* idem ibi rebus novis m) ſtudebat, ad principatum adſpirans, Giſchalæ natus n). Muros illos Giſchalæ *Ioannes* iuſſu nutuque *Ioſephi* o) circumdedit. Giſchalam & montem Itabyrium Romani ægre poſt Galilæam reliquam occupatam p) expugnarunt. Giſchalam enim *πολίχνην*, *urbem* exiguam Galilææ, obfirmabat idem *Ioannes* contra Romanos, teſte *Ioſepho de Bello Iudaico IV*, 2, §. 1, p. 269. *Titus*, a *Veſpaſiano* miſſus, eam dicto ſibi conciliavit, habuitque benigne, §. 2, 5, p. 270, 272.

Gitta Idumææ fuit nulla. Videtur quidem ea dici caſtellum Idumææ apud *Ioſephum de Bello Iud. I*, 17, §. 2, p. 94 *ſeq*. At idem *Ioſephus* Gittam alibi Iudææ attribuit in *Ant. XIV*, 15, §. 10. Solent nomina Idumææ & Iudææ deprehendi permutata a librariis, quemadmodum *Ezechiel Spanhemius* ad locum priorem *Ioſephi* apposite indicavit. *Gitten Ioſephus* vocat urbem Philiſtæorum Gath, *Ant. VI*, 1, §. 2, p. 312. Hanc ante Philiſtæos tenuerunt Idumæi, ni fallor, atque *Getthaim* vocarunt.

Gitta, Samaritidis vicus, ſeu *Gitton*, *Gitthon*, *Simonis Magi* patria, memoratur in *Conſtitut. Apoſtol.*

l) *Ioſephus* in *Vita ſua* §. 10 p. 5, *Gorionides VI*, 25, p. 633 *ſeq*.
m) §. 13 pag. 7. n) §. 38 p. 18.
o) *De Bello Iud. II*, 20, §. 6, p. 208 *Tom. II*.
p) *De B. I. IV*, 1, §. 1, p. 263.

ſtol. VI, 7, p. 334 Tom. I Cotelerii Patrum Apoſtolicorum. *Georgius Syncellus* locum vocavit Γηθῶν, pro quo male impreſſum Γηθῶ. In *Timotheo* Presbytero *de receptione haereticorum* Cod. Reg. Paris. 2336 legitur Γεττθῶν, ut in *Clementinorum II, 22.* In *Recognit. I, 12, p. 439,* deprehendimus *caſtellum Gethonum.* *Philaſtrio Simon Magus* dicitur exſtitiſſe de villa, *quae eſt Githeus vocitata; Freculpho* autem *T. II Lib. I Cap. 20 de vico, qui dicitur Gittho.* Videtur omnis haec ſcriptorum turba a *Thoma Ittigio, Ioanne Chriſtophoro Walfio,* aliisque, poſtulata erroris, quo confuſum fuerit *Gitton* Samariae cum *Cittio*, vel Citio, Cypri oppido. Rationes eorum non invenit tantas Ven. *Ioannes Laurentius Moshemius* q), ut ſententia vulgaris geographica, quae vicum Gitton, patriam *Simonis,* in regione Samaria ponit, ſit abiicienda ac proſcribenda.

Gob eadem eſt ac Gath. Urbibus enim Palaeſtinae multa adhaeſerunt nomina pro temporis varietate ac progreſſu, variisque gentium circumvicinarum pronuntiandi modulis. Ratio, a *Relando* allata, ſatis roboris habet.

Gojim, urbs Galilaeae Naphthaliticae. Rex eius loci exercitum cum regibus Palaeſtinae nonnullis oppoſuit *Ioſuae, Ioſ. XII, 23.* *Tideal*, Rex loci Gojim, ſocietate belli Pentapolitani fuit inclytus, *Gen. XIV, 1.* Locus plene vocatur *Cheroſeth*

q) In *Inſtitutionibus Hiſtoriae Chriſtianae maioribus Sec. I P. II Cap. 5 §. 12 p. 398.*

ſeth gojim r), & contractius *Chorozain*. Erat is oppidum Galilææ, *Hieronymi* s) ætate deſertum, altero lapide a Capharnaum, ſeu Capernaum, poſitum. Videtur locus olim quoque עיון, *Ijon*, dictus fuiſſe, *2 Reg. XV, 29*. *Ain* enim a plerisque Iudæis pronuntiatum fuit ut *gimel*.

Gudgod, alibi *Chor gidgad*, id eſt, caſtra ad montem Hor, ſtatio erat 29 Iſraelidarum, Arabiam Petræam verſus Cadeſch emetientium, *Devt. X, 6*. *Hieronymus* locum vocat *Gaggada*, nec præterea ad ſitum noſcendum addit quidquam. At locus proximus Bneiaëkon, ſeu Beroth bene iaacan, decem milliaribus Romanis a Petra abfuit, teſte *Euſebio*. Hinc ſimul ſitus loci Gudgod colligi poteſt.

Goſan, *2 Reg. XVII, 6*, memorata, urbs eſt *Gauzania Ptolemæi*, *Gaza Strabonis*, in Media Atropatene. Confer *Chriſtophori Cellarii Geogr. ant. III, 18, p. 777 ſeq.* ed. pr.

Goſchen, urbs Simeonitidis, unde tractus circumvicinus nomen traxit, *Ioſ. X, 41, XI, 16*. Oppidum *Goſchen* memoratur *XV, 51*, *Euſebio Goſen* dictum. Situs loci minus conſtat. Id affirmare licet, eum in montanis procul a mari exſtitiſſe prope Anim, ac videri in *Aſchan* latere. Vide ſupra *Bahalath*. *Ain* ſolet in *ge* transire.

Goſchen Ægypti, *Hardtii* ex ſententia, eſt urbs & tra-

r) *Iud. IV, 16.*
s) *De Locis Hebraicis fol. 126 D. Tom. IV Oper. 1516, Baſil.*

tractus Phacuſæ ad alveum Nili Bubaſticum. Ipſa regio Goſchen, Goſen, Geſſem, Goſſem, prope Tanin ad alveum Bubaſticum prope Patumon & Raemſes, ſeu Heracleopolin parvam, exſtitit. Tractus ille, auctior tamen & tractibus adiectis maior, nunc vocatur t) *Foſtat*, ſeu *Fuſtato*, inter Maſſuram & Heliopolis ruinam. Oppidum *Phacus*, reſpiciens Syriam, unde Alexandria centum, et amplius, milliaria diſtet, commemoratur *Wilhelmo Tyrio XIX, 24, p. 476.* *Pitom* u) ab *Herodoto* vocatur Patumon, & ſupra Bubaſtum ad ripam alvei Bubaſtici orientalem erat ſitum. Pitom vero & Raemſes fuerunt Goſenitidis loca. Goſenitis ſita fuit in ea Ægypti parte, quam, qui ex Canaane advenirent, primam intrabant x). Goſenitis vicina fuit Tani, regiæ ſedi. Goſenitis fuit regio, paſcuoſa, pecoribusque alendis præcipue idonea. In campis Zoan, ſeu Tanis, haud procul a Goſenitide, *Moſes* in gratiam *Pharaonis* miracula edidit, *Pſ. LXXVIII, 12.* Raemſes, id eſt, *Herculis urbs*, haud multum inde diſtat verſus Orientem, nomine Heracleopolis parva. Otia hic nobis fecit B. *Ioannes Gothofredus Lakemacherus* in *Obſervationum philologicarum P. VI Obſerv. I de Goſenitidis ſitu vero p. 297 ſeq.* Copioſe de ſitu Goſenitidis ac locorum Biblicorum

t) *De Maillet Deſcription de l'Egypte p. 107.*
u) *Ex. I, 11.*
x) *Iudith I, 9, Oliverius* in *Hiſtoria Damiatina* §. 17 p. 415 *Tom. II Eccardi.*

eorum propinquorum poſitu expoſui in *Comm. ad Num. XXXIII* apud Rev. *Mehlbornium.* Hic afferre argumenta allaboravi, quibus iter Iſraelidarum, ex Ægypto in Palæſtinam ſuſceptum, ſuperſtruxi in Tabula geographica, qua A. 1744 *Terram ſanctam* apud hæredes *Homannianos* exprimendam curavi.

Guba, urbs Arabiæ Petrææ mediterranea, quam *Ptolemæus* y) ſtatuit longitudinis eſſe 65°, 45′, & latitudinis 28°. Deſignari videtur alia urbs, ac ea, quam verba præferunt.

Gypſaria eſt ibidem long. 65°, 40′, lat. 29°, 45′. Suſpicatus fui olim, ſubeſſe locum *Dapheca.* At præſtat in obſcuris ignorantiam ſuam profiteri, quam affirmare id, quod argumentis pervincere & comprobare haud licet.

H.

Habor. Vide ſupra *Chabor.*

Habron, ſtatio Iſraelidarum XXXI in Arabia Petræa inter montem Sinai ac tractum Edomææ montanum. *Habera, Habberim*, in Transiordanica prope Abel Maacha, *2 Sam. XX, 14.*

Hadra, ſeu *Adra*, eſt hodie in Cœle Syria pagus frequentia hominum inclytus, in latiſſima poſitus planitie, fertiliſſimæ glebæ ſolo dives, ſegete varia & frugibus abundans; qua auſtrum ſpectat, ſolum omne vitibus eſt cultiſſimum z).

Eſt

y) *Vol. III Hudſoni p. 52.*

z) *Cotovicus III, 14, p. 387.*

Eſt Hadrach, a qua vocatur regio Damaſco vicina, *Zach. IX*, 1.

Hadid. Vide *Adid. Hadriana* dicta eſt Petra Idumææ Seculo II. Vide *Petram.*

Hagarim a *Stephano* vocantur Ἀγραῖοι, nec non a *Dionyſio* in *Periegeſi v.* 956, ac memorantur 1 *Par. V*, 19, 20, a Rubenitis, Gaditis, ac Menaſſitis, devicti auxilio Ituræorum, Napheſæorum, & Nabdæorum, confinium ab Oriente.

Ham, in quo loco habitarunt Suſim in Transiordanica, *Gen. XIV*, 5. Videtur ſubeſſe Hamath Gadi, Hamath Gader, alias Ammaus a) ad Gadara, locus thermis b) inclytus, quæ alibi vocantur thermæ Tiberiadis, niſi fallatur *Gorionides.* Conf. *Io. Lightfooti Chorographia, Matthæo præmiſſa, Cap.* 74, & *Lucæ præmiſſa Cap.* 4 *Sect.* 3.

Hhanes, חנס, *Eſ. XXX*, 4, eſt *Anyſus*, ad ortum ſolisj ſita in Delta Ægypti, quæ nomen dedit Anyſiæ præfecturæ, teſte *Herodoto II*, 164.

Hannegev, *Gen. XIII*, 1. Vide *Darom.*

Haramathaim zophim. Vide *Arimathæam.*

Harah, 2 *Chron. V*, 26, locus, in quem aliosque locos Tiglath Pileſſar abripuit Iſraelidas transiordanicos. Translati ſunt ipſi Haram, Haboram, Halam, & ad aquas Gozaniæ in Mediam. Haræ ſunt Charra, Carra, Carræ, in Meſopotamia. *Geographus Nubienſis* ſcripſit *Charân.*

Hie-

a) *Gorionides VI*, 28, *p.* 651.
b) Pſeudo-*Egeſippus de Excidio Hieroſ. IV*, 16, *Ioſephus de Bello Iud. IV*, 1, §. 3, *p.* 264.

Hieronymus in *Locis*: *Charran civitas Meſopotamiæ trans Edeſſam, quæ usque hodie Charra dicitur, ubi Romanus caſus eſt exercitus, & Craſſus dux captus*. *Plinius* novit in Meſopotamia ſuperiori Carras, *V*, 24. Harana *Abrahami* tam procul in Orientem haud fuit ſita. *Iacobus* diebus X inde, progreſſus lentiſſime, ad Ramath Gileadis c) iter fecit. Sita fuit hæc urbs ab Oriente ad Iabocum d) prope Menaſſitida transiordanicam, ſeu Batanæam, in regiuncula Arampaddan, ſeu Paddan Aram, a Batanea, ſeu Vatani, nomen nacta. Copioſe *de Regione Aram-paddan, ſeu Aram naharaim, eiusque urbe Haran*, commentatus fui in *Novis Actis Eruditorum A.* 1740 *Menſe Majo p.* 270 *ſeq.* Nolumus igitur committere, ut, diſcrimen inter Carras & Haran exſtare nullum, inficiemur. De Habora, ſeu Habor, diſſerui ſupra in *Chabor*. De Hala expoſui ſupra in *Chalach*.

Harar fuit patria herois Schammæ, 2 *Sam.* XXIII, 33. Si ex ſono ſolo iudicium facere licet, in cenſum venit *Aere*, *Chavran*, *Gerra*, ad fluvium Chryſorrhoam, ſeu Pharphar, ſita ſupra voragines.

Haſta fuit eadem ac *Aſtho*. Hanc vide ſupra.

Hatita trans Iordanem viſitur in *Tabula Peutingeriana*.

c) *Gen.* XXIX, 4, XXXI, 20, 23.
d) *Num.* XXII, 5, XXIII, 7.

geriana. Locus hic aberat a Thautia IX m. paſſ. hic porro a Boſtris XXIII m. paſſ.

Heliopolis Ægypti, *On* in literis ſacris, *Gen*. *XLI*, *45*, *50*. Rudera eius reſtant ac vocantur *Matta-reah* Arabibus. *Geographus Nubienſis* locum vocavit *Ainshims*, *fontem ſolis*, ac poſuit ad boream loci Foſtat. *Beniamin Tudelenſis* vocavit En elſchemeſch, & *Ieremias XLIII*, *13*, Bethſchemeſch.

Heliopolis Syriaca a Divo *Severo* per belli civilis occaſionem accepit ius Italicæ coloniæ. *Ulpianus Dig. L Tit. 15*. Propinqua erat urbs Libano, ſeu potius Antilibano, habebatque mulieres formoſas, quæ vocari ſolebant *Libanotides*. Colebatur ibi olim Venus admodum magnifice e). Confer ſupra *Bikat-Aven* & *Chamath*.

Heroonpolis urbs ac portus ad finem ſinus Arabici ſeptentrionalem, nunc *Adierute*, *Azirut*. Portus dudum exaruit, arenisque refertus eſt. Vid. *Shaw Voyages T. II Cap. 3 p. 78*.

Hesbon. Vide *Chesbon*.

Hipha eſt Hepha, Caipha, Ecbatana, Chilſon, Calamis. Hipha eſt portus Tiberiadis, diſtans hinc ſpatio levium ſtationum, teſte *Geographo Nubienſi P. V Clim. 3 p. 147*.

Hor, mons Iduinææ. Incolæ dicuntur Horræi, ſeu Choritæ, qui ante Edomum illic habitarunt, *Gen. XXXVI*, *20*, *Deut*. *II*, *12*. Mons Hor, in quo

e) *Expoſitio totius mundi p. 5 Vol. III Hudſoni*.

quo mortalitatem depoſuit *Aharon*, erat iuxta Petram, *Euſebio* & *Hieronymo* teſtibus. At mons ille haud procul fuit a Kadeſch, unde Iſraelidæ excurrebant usque ad *Hormah.* Ergò Kadeſch tantum exſtitit unum. Hor fuit pars tractus montani Seir. Mons vero Seir etiam fuit quidam ad ſeptentriones Palæſtinæ ſitus. Urbibus enim Archi, ſeu Arcæ, Tripoli, ac Biblo, ſupereminet excelſus admodum mons, & iuga in ſublime porrigens. Incolæ vocantur montis *Seir habitatores* g). Regio illa Libani editiſſimi, in qua eſt ſedes Patriarchæ Maronitarum, vocatur nunc *Giobbet Bſciarrai* h). Caſtella ibi ſunt *Bſciarrai* & *Hbadet*. *Moſes* delineat limites terræ promiſſæ *Num. XXXIV, 3-12.* Orditur a fine auſtrali maris asphaltitæ ad deſerta Zin ſupra Idumæam, inde pergit verſus Occidentem. Inde progreditur ad Kadeſch-barnea, ſeu Kadeſch Adaram, Azmonem; ac verſus occaſum ſolis ſubſiſtit ad fluvium, ſeu emerſum Aegypti. Per hunc aqua lacus Sirbonidis communionem ſervat cum mari mediterraneo. Tum vero definit mare magnum, ſeu mediterraneum, pro termino terræ promiſſæ occidentali. Ut vero porro Iſraelidis conſtaret, quousque ille limes occidentalis decurreret, addit *Moſes* hæc, quæ ſequuntur: *Dimen-*

X 2 *ſionem*

f) *Num. XXXIII, 37, 38, 41.*

g) *Wilhelmus Tyrius VII, 21.*

h) *De la Roque Hiſtoire de Syrie & du Mont Liban Tom. I P. I p. 174 ſeq.*

ſionem inſtituetis a mari magno usque ad montem Hor, non illum Idumææ, ſed ſeptentrionalem. *Inde per montana Hor*, ſeu per faſtigium montanum (ὄρος) Libani ac Caſii progrediendum eſt *Chamatham*, id eſt, in regionem Chamatham, id eſt, Cœlen Syriam. *Extremum dimenſionis erit terminus Zedada*, ſeu Poſidonii prope oſtium Orientis. Termini illius *finis ultimus ad ſeptentriones erit iuxta Siphron* i), id eſt, Daphnen, cypariſſis plenam, ſuburbium Antiochiæ, ſeu Tograi, ad ripam Orontis auſtralem ac ſiniſtram. *A Siphrone deveniendum erat ad munimentum Enan prope Damaſcum.* Orientalis limes erat *ab Enan ad Schepham*, ſeu Apamenen, Oronte diſtinctam. *A Schephamo* erat pergendum *Riblatam*, ſeu Raphaneas, *usque ad Ain*, non ultra Orontem ad Orientem. Raphanearum regio, Oronte ad Orientem determinata, hic intelligitur per *Riblath*. *Ain* eſt Ainos ad auſtrum Damaſci. *Inde ad Iordanem & per Iordanem usque ad terminum maris ſalſi auſtralem erat retrocedendum.* Quæ vero *Moſes* occupavit trans Iordanem, ea iure belli cepit, aditum ſibi ad terram promiſſam obtinendam pro ſuis patefacturus. Geographi alterum vocis *Hor* ſignificatum ſolent dimittere intactum. Terminos terræ promiſſæ dilucidius ad ſeptentriones ediſſerit *Ezechiel XLVII, 15-19*, additque verſus Orienſem *re-*

gionem

i) *Siphron* eſt *oraculi locus, adytum* ex זפר, ſeu דבר, *Zaphon*, *Daphna*, eſt æque *adytum*.

gionem Avranitida ac Gileaditida, ſeu Transiordanicam Iudæorum usque ad mare ſalſum. Ipſe addit termino occidentali maris magni confinia, quæ Cœlen Syriam, ſeu Chamath, obtendunt, atque hanc ſimul includit. Terram omnem promiſſam poſſedit Rex *Salomo*, ac usque ad Thapſacum, ſic *Scylax* Orontem appellat, regnum dilatavit. Thapſacus, Euphrati adiacens, eſt extra Chamatham, ideoque huc trahendus non eſt. *Ioannes Matthias Haſius* hoc momentum ob oculos haud habuit. Ex quo accidit, ut terminos terræ promiſſæ ſeptentrionales migraverit, minusque recte definiverit. Ediſſerui rationes ſententiæ, quam expoſui, in Commentariis ad capita *Ioſuæ* geographica quam copioſiſſime. Communicavi eos cum Pl. Rev. *Mehlhornio*, ut copiam eorum lectori in Diſſertationibus, ad *Ioſuæ* librum illuſtrandum facientibus, faceret. Ignoro autem cauſas, cur ipſe editionem earum diutiſſime moretur. Quæ cum fuerit evulgata, argumenta innoteſcent publice, quibus Mappam geographicam, Palæſtinæ monumentum, A. 1744 ſuperſtruxi. Cœle-Syria utrinque limitem a natura datum habet immotum, ad Occaſum mare ac litori prætenſum montis cohærentis iugum, *Hor* à *Moſe* appellatum, ad Orientem flumen, quod Thapſacus, Axius, Aſſi, Fer, Fert, Phrat, Typhon, Orontes, dictum fuit. Seleucis, pars Cœles-Syriæ ſeptentrionalis, Caſium montem oſten-

oſtendit verſus k) mare, Anticaſium verſus Orontem. Infra Seleuciam ad mare ab auſtrali latere Orontes Oceano ſe committit. Seleuciæ olim nomen erat *aquæ flumina*, ὕδατος ποταμοὶ, ſeu *Magog*. *Ma*, ſeu *maio*, aquam deſignat; *Gog* ſunt flumina, unde *Oceanus* appellationem obtinuit. Γογγύζειν, *murmuratio ſoni*, eſt aquarum profluentium. Ὦκα, ὠκέα, eſt *celeriter*, in modum fluvii feſtinantis ac procurrentis. Originationes, quas Lexicographi & Etymologi Græci afferunt l), nullius ſunt pretii. Κωκυτὸς, *Cocytus*, eſt *flumen*, inferis aſſignatum m), vocis ſtrepitum imitans. Ὁ κύτος φωνῆς ἐςὶ μίμημα, *Cytos notat imitationem vocis*. Hac ratione Κωκκυτὸς, ſeu Κωκυτὸς, eſt *flumen murmurans*, ſeu *ſtrepens*, ſtrepitu ſonum vocemve edens. Ad auſtrum Eleutheri verſus Occaſum Cœles-Syriæ eſt Libanus, & verſus Orientem Anti-Libanus. Hic etiam ſæpius ſimpliciter *Libanus* vocatur. Libanus ille verſus ſeptentriones deſinit in promontorium *faciei Dei* ad auſtrum oppidi Tripolis o). Uterque mons Cœlen-Syriam includit, paulo ſupra mare incipiens; Libanus prope Tripolim eſt & Dei faciem; Anti-Libanus ſupra mare Sidonium. Deſinit hic & ille, ad Eleutheri oram in ortum auſtralem progrediens,

k) *Strabo Lib. XVI p. 751.* Cœle-Syria Seculo IV fuit appellata *Syria ſecunda. Evagrius H. E. III, 32, p. 365.*

l) *Etymolog. magnum p. 821.*

m) *Ibidem p. 350.*

n) *Strabo Lib. XVI p. 754 ſeq. Maundrellus p. 43.*

ens, ad Arabiæ montes eos, qui ſunt ultra Damaſcum, & eos, qui ibi Trachonitæ dicuntur, contiguos montibus, qui gleboſos & fructiferos colles habent. Hi montes, dicti cum Caſio ac Anticaſio *Hor*, in medio concavam planitiem relinquunt, πεδίον κοῖλον, oo) *Chamath* dictum, cuius latitudo ad mare eſt ſtadiorum 200, id eſt, 50 milliarium Germanicorum, longitudo a mari in mediterraneam ſubdupla, teſte *Strabone*. Suffragatur *Straboni* Dominus *de la Roque* p), qui addit hæc: *Ces deux hautes montagnes ſont ſeparées l'une de l'autre par une diſtance preſqu'égale partout, laquelle forme un petit pays extremement fertile, & agréable, auquel autrefois le nom de Cœle-Syrie, ou Syrie, creuſe, à cauſe que ce n'eſt qu'une profonde vallée, preſque renfermée de toutes parts.* Orontis initia non poſui cum *Plinio H. N. V, 22, iuxta Heliopolin.* Fidem potius Viri huius generoſi *de la Roque* fui ſecutus, qui cum Secretario Patriarchæ Maronitarum fontes Orontis ſcrutatus eſt & conſpexit. Ipſe de hac Orontis origine ſic memoriæ r) prodidit:

o) E regione Aradi, inſulæ ad decem leucas Anglicas in Cœle-Syria dicitur exſtare locus *El Hammah*, ſedes Turcici Baſſæ. Vid. *Voyage de Mſ. Shaw Tom. II. Cap. 1 pag. 5.*

p) *Voyage de Syrie & du Mont Liban Tom. I P. I pag.* 27, Amſterdam 1723, 8.

q) *Pag. 28.*

r) *Pag. 135.* Conf. *P. II pag. 213 ſeq.*

Nous avons parcouru l'Oronte, le Secretaire du Patriarche des Maronites, homme fort curieux & intelligent, & moi, & nous avons remonté juſqu'à ſa ſource, que nous avons trouvé très mal placée dans Pline. Car cette ſource eſt non ſeulement tout à fait hors des montagnes, mais elle ſe trouve preſque dans la plaine à quatre ou cinq lieuës de diſtance du Mont-Liban, entre l'Orient & le Midy, & à un éloignement conſiderable de toutes les montagnes, qu'on peut appeller Anti-Liban, ſelon même, que Pline le décrit ailleurs. Iugum Caſii montis *Henricus Maundrellus* vidit ad Orientem eminere haud procul ab Oceani littore e regione s) Laodiceæ, Gabalæ, Balaneæ, ſeu Baneas, quæ ætatis noſtræ eſt denominatio loci, ac urbium, ad Tripolin uſque in littore viſendarum. Eleutherum fluvium ſuo loco poſui inter Tripolin ac Orthoſiam cum *Strabone* t) & prope Orthoſiam cum *Plinio V, 20*; ac Cœlen-Syriam, Eleuthero ad ſeptentriones reductiorem, appellavi Chamath, ut Phœniciam conſuetudinem, quam quoque ſecutus eſt autor *Macc. XII, 25 - 30*, retinerem ſalvam & inviolatam. Præiverat mihi exemplo ſuo *Henricus Maundrellus* u). Suffragantur alii. *Ioſephus Eleuthe-*

s) *Reiſe-Beſchreibung nach dem gelobten Lande pag. 15, 16, 23.*

t) *Lib. XVI pag. 753.*

u) Loco laudato *pag. 33.*

therum w) meminit. *Ionathas Maccabæus* ducibus *Demetrii*, Syriæ Regis, bellicis obviam proceſſit in regionem *Amathitin*. Hi vero fuga ſibi conſuluerunt traiecto proximo ad ſeptentriones fluvio Eleuthero x). Tunc *Ionathas* verſus Orientem in Arabiam excurſionem fecit, prædamque fecit multam, fuſis Nabatæis. Inde retroceſſit Damaſcum, ibique prædam y) vendidit. Hinc elucet, regionem Chamath, Emath, *Amathitin*, ſitam quoque fuiſſe ad auſtrum Eleutheri circa Heliopolin. *Ioſephus* auctor eſt, *Antonium* Triumvirum *Cleopatræ*, Ægypti reginæ, tribuiſſe urbes Syriæ, quæ fuerint ſitæ intra Eleutherum flumen uſque in Ægyptum, exceptis Tyro & Sidone, iam olim liberis y). Hinc rurſus pateſcit, Eleutherum Tyro & Sidone fluxiſſe ſeptentrionibus magis propinquum, ſeu ſeptentrionaliorem. Cœle-Syria vulgo Palæſtinam quoque complexa fuit z), & hoc ſenſu latius, quam *Chamatha*, patuiſſe traditur. Libani ultima *Maundrellus* prope Sidona deprehendit a), ad Letanes fontem prope villulam Meſchgara venit, ſcaturientem iuxta Orientem

X 5

w) *Ant. XIII, 5, §. 10, pag. 650.*
x) *Ant. loc. cit.*
y) *Ant. XV, 4, §. 2, pag. 749,* & *de Bello Iud. I, 18, §. 5, pag. 99.*
z) *Ioſephus Ant. XIII, 13, §. 3, pag. 669, Strabo Lib. XVI pag. 755.*
a) *Pag. 164, 192.*

tem montis, venit in *planitiem Bucca*, confecto uno a Meſchara milliari Anglico, in Anti-Libanum ex orientali latere, & porro Damaſcum. *Bucca* interiacet inter Libanum ac Anti-Libanum, lata duo milliaria Anglica, & longa iter aliquot dierum. Anti-Libanus e regione Damaſci ibi viſitur. Per Buccam decurrit flumen magnum Letane, exonerans ſeſe paulo poſt in fluvium Caſimir, ſeu Gaſmich, temere pro Eleuthero habitum. Ad orientem Buccæ *Maundrellus* adſcendit per radices Anti-Libani, emenſus ante tres horæ quadrantes villam *Iib-Ienéam*. Prætervectus fuit villam Uzzi, dextrorſus iacentem, venit villam Ayta, horaque una exacta appulit ad amnem *Ayn Ientloè*. Inde per viam anguſtam, duabus petris interceptam, intra quatuor horas b) deſcendit ex montano tractu Damaſcum, ſuperato ad urbem fluvio Barrady, ſeu Bardine, ſeu Pharphar, paulo ante e montibus ſe præcipitante. Habes hic, Lector, Anti-Libani, partisque iugorum *Hor*, potiora. Habes hic *Chatzar Enan*, ſeu *Iibjenéan*. *Iib* enim Arabibus eſt villa, haud ſecus ac *Chatzar* Ebræis. *Chatzar Enan* haud procul Damaſco abfuit. *Euſebius* eapropter locum vocavit ὅριον Δαμασκȣ̃, *confinem Damaſco limitem*. *Ptolemæus* locum vocat *Inam* c), hunc ordinem ſervans: Ἄβιλα Λυσανίȣ, Σαάνα, Ἴνα, Δαμασκὸς, Σαμȣλὶς, Ἄβιδα, Ἵππος,

b) *Pag. 167.*
c) *Geogr. IV, 15.*

Ἵππος, Καπιτωλίας, Γάδαρα - - *Abila Lyſaniæ, Saana, Ina, Damaſcus, Samulis, Abida, Hippos, Capitolias, Gadara. Chatzar hattichon* locus fuit in vicinia Avranitidis verſus ſeptentriones, *Ezech. XLVII, 15, XLVIII, 1.* B. *Ioannes Matthias Haſius* ſibi perſuaſerat d), locum hunc eſſe eundem ac Chatzar-Enan. At repugnat ſitus. *Tichon*, ex תוך, *medio*, eſt id, quod in medio iacet. Villa, ſeu ſtatio itineris, Damaſco Aeren ferentis, ac Neuen, ibi erat *in medio*, teſte tabula veteri. Ain vero *Moſis* eſt *Ainos*, quæ in eadem veteri tabula Canatham inter atque Damaſcum locatur. Sin vero per Ain malis deſignari Chatzar-Enan, id tibi obſtabit, quod *Moſes* utrumque locum lucide diſtinguit. Orontes, ut ad montem Hor redeamus, nomen ex Hor, ſeu Or, obtinuit. Succurrit hæſitanti denuo Dominus *de la Roque*, cuius verba, egregie huc facientia, addemus, ne quis nos ubique exiſtimet novitatis eſſe ſtudioſos. En illa e): *Nous avons deja dit, que le Fleuve Oronte ne change point de nom dans tout ſon cours. Ce nom, ſi nous en croyons un Ecrivain moderne, tire ſon origine de la même montagne, dont le fleuve tira ſa ſource, ſçavoir de la montagne de Hor, qui eſt, dit-il, manifeſtement le Liban de Syrie. Cette montagne eſt appellée Oroſt, Orus, ſans aſpiration dans la Verſion des Septante; d'ailleurs*

d) In *Deſcriptione regni Davidici ac Salomonæi pag. 222.*
e) *P. II pag. 212.*

leurs les Syriens diſent Ena & Entha pour ſignifier une ſource, une fontaine, d'où nôtre Auteur conclut, que d'Or & d'Entha on a pû faire Orontha, en Latin Ori fons, *dont les Grecs ont formé* Orontes. Succeſſu temporis Libanus appellationem ex nivis, eum tegentis, albore traxit. Syri enim *album* vocant *laban.* P. *Pezronius* limites terræ promiſſæ deſcripſit, montemque Hor æque expoſuit per Libanum, montem, quem *Moſes Num. XXXIV* laudavit. Idem credidit, voci *Hor* penes Syros haud aliam inhærere ſignificationem ac *alboris*, *candoris*, Vox certe חִוָּר, *Chvor*, Syris denotat *album*, *candidum.* Confer translationem N. T. Syriacam apud *Matth. XXVIII, 3, Apoc. I, 14, II, 17, III, 18, VI, 2, XIX,* [illegible], *XX, 11, Marc. XVI, 6, Io. XX, 12, Actor. I, 10, X, 30,* &c, Litera vero ח *Cheth* ab orientalibus, Arabibus Syrisque, per modum fortioris adſpirationis effertur. Syri *hhor* pronuntiant, deſignaturi *album.* Hactenus itaque fides *Pezronio* conſtat. Nec tamen intercedemus, ſi quis montium Cœles-Syriæ iuga malit dici per eximium quendam ſenſum *Hor* ex הר, *monte.* Creſcunt f) in Libano pabula pecudum copioſa, olearum ſilvæ, cupreſſi, larices, abietes, pini, buxi. Nives hærent rupibus g) diuturnæ. Ipſæ concretæ, ac in glaciem verſæ, exſpectant etiam dies caniculares, & paleis, ne liqueſcant, involutæ, ad

f) *Cotovicus III, 12, pag. 379.*
g) Ibidem *Troilo pag. 65.*

ad urbes circumvicinas deferuntur, ac in officinis, quas vocant Bazarras, exponuntur emturis. Mons natura eſt humidus, imbribusque frequens, & plurimis atque limpidiſſimis fontibus ſcaturit. Anti-Libanus eſt minus altus, nivibusque haud adeo tectus, ac horis decem ex transverſo tranſiri poteſt, teſte *Troilo*. Ex lignis Libani fit cinis ſubtiliſſimus, quo fullones ac ſaponis Veneti artifices utuntur. Ad Tripolim bombycum ac mororum eſt frequentia. Cedri ſunt tam craſſæ, ut vir unam circumplecti haud poſſit. Deſcripſerunt eas *Troilo* & *de la Roque* poſt *Cotovicum* aliosque. Sufſecerint hæc in præſens.

V.

CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI EPISTOLA CRITICA AD V. C. FRID. OTTONEM MENCKENIVM DE LOCIS ALIQVOT OVIDII ET VALERII MAXIMI.

Iucundiſſima mihi fuit, V. C. meditationum tuarum criticarum lectio, quas nuper exhibuiſti in *Miſcellaneorum*, quæ abs te magno reipublicæ

publicæ literariæ fructu proferuntur in lucem publicant, *quarto Volumine.* Admiratus ſum tuam ἀγχίνοιαν, tuam κρίσιν, tuum denique tuas emendationes doctiſſime illuſtrandi ſtudium. Spero proinde, te poſthac etiam exerciturum artem criticam, multisque veterum librorum locis veram ſcripturam reddditurum eſſe. Haud dubie vero agnoſcis, coniecturalem eſſe hanc artem, adeoque modeſtiæ criticæ eſſe, ſuam ſubinde coniecturam repudiare, ubi ſcilicet prolata fuerit probabilior. E re igitur harum literarum eſt, ſi corruptis locis plures admoveantur oculi, hoc eſt, ſi plures Critici de iis dicant ſententiam. Tum enim tandem fiet, ut, quæ veriſſima eſt, ſua luce omnes ad aſſentiendum permoveat.

Præfatus hæc ſum audaciæ meæ, dum accingo me ad emendationum tuarum unam atque alteram, ſi fors tulerit, emendandam, Fautor ſummopere colende. Ut ignoſcas huic meo diſſenſui, non eſt, quod abs te petam. Præterquam enim, quod ipſe *pag. 551* ais, exſpectare te aliorum de correctionibus iſtis tuis iudicium, dudum novi, tam generoſam tibi eſſe mentem, ut æquius feras probabilem amicorum diſſenſum, quam ſimulantium amicitiam aſſentationes. An vero mea ſit ſententia tuæ anteponenda, alii iudicent. Imo nec tuum iudicium deprecor, ac potius rogo, ut recognoſcas tuam ſententiam, ſiquo defendi poterit, defendas; ſin minus, meam auctoritate tua confirmes. Sed venio in rem præſentem.

Pag.

Pag. 366 & ſequenti acute contemplaris *Valerii Maximi Lib. I Cap.* 5 hæc verba: *Cum* (illa virgo) *aliquandiu perſediſſet, - - feſſa longa ſtandi mora rogavit materteram, ut ſibi paulisper locum reſidendi accommodaret. Perſediſſet* corrupte ſcriptum eſſe, tam facis manifeſtum, ut non verear, ne quisquam diſſentiat. Iure proinde miraris, ſanatum adhuc a nemine fuiſſe hoc vulnusculum. Tibi reſcribere placet *perſtitiſſet.* At vide, quæſo, an non ſit probabilius, ſcripſiſſe *Valerium: aliquantiſper ſtetiſſet.* Vides certe, quam facile librario fuerit, pro eo ſcribere *aliquandiu perſediſſet.*

Libet hanc occaſionem arripere, duas alias tibi exhibendi eiusdem Scriptoris emendationes meas. In uno ſcilicet *Capite Octavo Libri ſexti* bis male ſcripſiſſe obſervavi librarium. Initio de ſervo quodam fideliſſimo ita ſcribit: *Argui fortuna merito poteſt, quod tam pium & tam fortem ſpiritum ſervili nomine incluſit.* Quam dictionem quis æquo ferat animo? Spiritum huius hominis tam generoſum dolet *Valerius* incluſum fuiſſe corpori ſervili. Iam corpus *domicilium animæ* vocari ſolet, idque percommode. Quare ita ſcripſiſſe credo *Valerium: tam fortem ſpiritum ſervili domicilio incluſit.* Et an dubitare poſſim, cum & apud *Velleium Paterculum Lib. II Cap.* 69 hæc legam: *Adeo ut animus eius digniſſimo domicilio incluſus videretur.* Loquitur eodem modo *Lactantius* meus *Lib. VII Cap.* 12, *Anima,* inquiens, *tenebroſo domicilio terrena carnis incluſa eſt.*

Qui

Qui & ita paulo poſt fatur: *Anima, quoniam certa corporis parte -- reditura ſcilicet, cum medela & ſanitas domicilium ſuum reformaverit.*

Alter locus *Valeriani* huius *Capitis* ita editus eſt: *Contentus eſſem huius generis exemplis, niſi unum me dicere admiratio facti cogeret.* Pro *dicere* reſcribo *adiicere*, & quidem ipſo *Valerio* duce. Nam *Lib. VII Cap. 2 ext. 15* hæc lego: *Multis exemplis parvulum adiiciam.* Et ſubſequentis in *Capitis §. 10: His uno adiecto exemplo.*

Progredior tecum ad *Ovidium*, cuius verſum *Triſt. V, 8, 11*, a pluribus fruſtra tentatum, cum *Nic. Heinſius* ita correxiſſet:

Vidi ego, navifragum qui riſerat, æquore mergi;

tu, Vir optime, allata graviſſima cauſa, cur *navifragus* hic non poſſit recipi, *pag. 540 ſeq.* retines *naufragium*, &, quam eleganter hoc verbo hic uſus ſit Poeta, ſatis doces. Adiicio ad confirmandam tuam ſententiam alium Poetæ noſtri locum, quem habet Elegia ſubſequens. Ibi namque *verſus 17* ita fluit:

Naufragiumque meum tumulo ſpectavit ab alto.

Eſt vero & alter locus ſimilis in *Libri primi quarta Elegia*. En eius *verſum 36:*

Et date naufragio litora tuta meo.

Ceterum retineo *Heinſianum riſerat*, itemque *æquore mergi*: illud quidem, quia *v. 13* ſequitur *negarat;* hoc, quia *æquore mergi*, quod nec ipſe negas, ab optimis ſcriptoribus dicitur. *Caligine*

mer-

merſus apud *Virgilium* eſt. A *Curtio IX*, *9*, *20*, dicitur *profundo mari merſus*. En & hoc *Taciti Annal. XV*, *69*, *3*: *Is aqua calida merſatur.*

Nondum vero recedo ab hac *Naſonis Elegia*, ſed duas adhuc eius emendationes meas aciei tuæ criticæ ſubiicio. Vide igitur, quæſo, an *verſ. 9* recte ſcripſerim *Exigat Ab!* pro vulgato *Exiget ab!* Vide item, an *verſ. 30* ita mecum legere tibi lubeat:

Cum pœna venia ad plura roganda patet.

Hoc eſt, non ſolum permittit, ſe veniam pœnæ a me rogari, ſed patent etiam ad plures preces meas aures eius. Compara, quæſo, cum hac mea aliorum correctiones huius loci ſine dubio corrupti.

Libet quoque mihi te iudicem advocare, an iure e ſubſequenti *Elegia* unum eiiciam Diſtichon, idque ab aliena manu inſertum eſſe, credam. Dico penultimum, quod mihi quidem minime videtur habere ſaporem *Ovidianum*. Audi ſimiam Poetæ:

At non parerem, niſi ſi meminiſſe putares.
Hoc, quod non probibet vox tua, gratus ero.

Quam pulchre fluit oratio hoc Diſticho omiſſo! Audi, quæſo:

Ne tamen officio memoris lædaris amici,
Parebo iuſſis (parce timere,) tuis,
Dumque (quod ô breve ſit!) lumen ſolare videbo,
Serviet officio ſpiritus iſte tuo.

Noſti vero, quam multa ſubdititia Diſticha notarit atro carbone acutiſſimus ille *Ovidii* editor, *Nic. Heinſius;* ut adeo nec hic loci ſit incredibilis iſta audacia.

Venio nunc ad illum *Ovidii* (*Triſt. I, 2, 102,*) locum, quem tractas *p. 541 & ſeq.* ad quem emendandum & ipſe iam olim converti curam meam. Recte vero eam, quam tum protuli, correctionem reiicis, melioremque ut proferas, omnem moves lapidem. At nec ego, tibi ut ſubſcribam, impetrare a me poſſum. Aliam itaque tuæ opponam correctionem, quam & tuo, & aliorum Criticorum, iudicio ſubmitto, non dubitans, eam habitum iri tua longe probabiliorem, imo veriſſimam. Præmittenda tamen duco nonnulla. Primo nolim quemquam hic offendat *Auguſti* nomen. Etſi enim eum Poeta noſter ſæpius, imo ſæpiſſime, *Caſarem* appellat, non eſt hic unus locus, ubi nominavit *Auguſtum.* Fecit id etiam *Lib. II, 509,* & *IV, 4, 53.* Deinde leges *Auguſti* civiles recte atque etiam eleganter *publica iuſſa* vocaſſe cenſendus eſt Poeta noſter; ac ſummo iure tu reprehendis *pag. 547 Burmannum,* fluctus hic moventem in ſimpulo. Sunt etiam iuſſa publica Principum, id eſt, leges, quæ feruntur toti civitati. Uti dominus domus edit ſua iuſſa ad ſervos; ſic civitatis dominus ad ſuos cives. Nunc igitur accipe meam emendationem verſus *Ovidiani,* vel ſua ſimplicitate commendabilem. Hunc ſcilicet verſum ſcripſiſſe credo *Ovidium*:

Si ſancta Auguſti publica iuſſa mihi,

hoc

hoc eſt, ſi leges *Auguſti* mihi ſanctæ ſunt, atque a me habentur inviolabiles. Etiam apud *Horatium Sat. II, 1, 81*, eſt *ſanctarum inſcitia legum.* Ac *Francius* quoque hoc ſibi voluit, cum ita reſcripſit: *Si ſacra* (ſunt) *Auguſti publica iuſſa mihi. Sancta* tamen magis mihi placet, quam *ſacra;* etſi libenter aliis permitto arbitrium. Illud præterea obſervo, vel inde liquere, *Auguſti* nomen ex hoc verſu eiici non poſſe, quod ſubſequens verſus ita pergit: *Hoc duce ſi dixi felicia ſecula. Hoc duce*, inquit, ſubaudi, *quem modo nominavi.* Pro *ſancta Auguſti*, ſi aliquid caliginis obduxit literas, quam facile librarius ſcribere potuerit *ſatis Auguſti*, non eſt, quod doceam. Eſt enim minime obſcurum.

Concludere dum volebam has literas, forte ſubit meos oculos alius huius ipſius quinti Libri *Ovidiani* locus, quem ſuo liberavi vitio. *Quartæ* videlicet *Elegiæ verſus 23 & 24* ita eduntur:

Te tamen, o, ſi quid credis mihi, carior, ille,
Omnibus, in toto pectore ſemper habet.

Quam facile, quæſo, apparet, hanc eſſe ſcripturam veram: *carior illi omnibus*, hoc eſt, tu, qui carior illi es ceteris amicis omnibus! Verbulum non addo. Adeo res eſt in propatulo. Vale, Vir ingenio, doctrina, dignitate, fama, florentiſſime, & *Menckenianum* nomen iam dudum perilluſtre ſummis in rem literariam meritis magis magisque illuſtrare perge favente Numine. Gottingæ d. 27 Aug. 1746.

VI.

P. CORNELII SEVERI DE ÆTNA CARMEN ANTIQVVM A PRAEPOSTERIS IOANNIS CLERICI CONIECTVRIS VINDICATVM A FRID. OTTONE MENCKENIO.

PARS ALTERA.

Si quis locus eſt *Severi*, in quo emendando fortuna deſtituit *Clericum*, certe hic eſt *v. 322 ſeq.*:

Haud ſecus adſtrictus certamine tangitur ictu
Spiritus, involvensque ſuo ſibi pondere vires,
Denſa per ardentes exercet corpora venas,
Et, quacunque iter eſt, properat, tranſitque morantem,
Donec, confluvio revolutis æſtibus, *omnis*
Exilit, atque furens tota vomit igneus Ætna.

Hic in voce *revolutis*, quæ eſt in utraque editione Veneta, atque adeo probabilem auctoritatem habet, hæret cum *Scaligero Clericus*; ſed qui valde inter ſe diſcrepant in emendanda voce. Nihil ea moror, quæ nobis a *Scaligero* ſunt venditata, quippe quæ parum habent ingenii, ut *Scaligeri* pleraque, nec facile Lectorum quisquam ſibi probari dixerit.

rit. Unus huc *Clericus* iam prodeat, qui, illud *revolutis* in *reſolutis* mutando, corpori ſano & robuſto graviſſima vulnera infligit. Is igitur, ignarus, quid ſint *aeſtus confluvio revoluti*, tale quid effingit, quod, etiamſi multis ab ipſo explicatum, ſenſum tamen, ſi dicendum, quod res eſt, nullum habet. Ipſum coniecturæ ſuæ interpretem audi: *Confluvio reſolvi aeſtus Poeta dicit, ad ſignificandum, aeſtuantem materiam totam reſolvi in liquorem, poſtquam confluxit in unum locum, aucta nimirum communi motu.* Ubi, ne longus ſim in refutando, vel hoc unum monuiſſe ſufficiat, plus eſſe in explicatione, quam in formula, quæ explicari debet. *Æſtus* nominari video a Poeta; de *aeſtuante materia* ne verbum quidem. Quam vero inter ſe differant hæc duo, nemo eſt, quem non doceant ſenſus ſui. Proprium hoc *aeſtus* eſt, ut *reſolvat*, non ut *reſolvatur*. A *Clerico* igitur, formulæ, *reſoluti aeſtus*, eam tribuente vim, ut idem, quod *reſoluta aeſtuans materia*, valeat, id contendimus, ut vocis *aeſtus* hanc, quam ei tribuit, ſignificationem Auctorum veterum exemplis muniat; quod ſi facere non poſſit, inanem, videt, in tuenda hac lectione operam conſumi. Sed, utcunque de hac emendatione alii ſtatuant, nunquam ego emendari locum patiar, in quo mendorum nihil, nec tale quidquam, quod opem expetat Criticorum, invenio. Nimirum in voce *revolutus*, aut huius potius vulgari notione, qua notat *retro*, aut *denuo*, *volutum*, hæſiſſe apparet *Clericum*; qui, ſi ceteros, quicunque ſunt, huius vocis ſignificatus habuiſſet

cognitos, inveniſſet in his talem, qui planiſſimam facere Poetæ mentem poteſt. Et quidem in hoc æque ac in aliis aliorum Auctorum locis idem eſt *revolvi*, quod ſimplex *volvi*, aut, ſi mavis, *provolvi*, particula *re* in verbo hoc, ut in aliis multis, intendendi vim habente. Quem, mirari vix ſatis poſſis, ignotum *Clerico* ſignificatum fuiſſe; adeo magna exemplorum, quibus is firmatur, copia proferri poteſt. Ex *Cicerone* hæc dabo: *Lib. II de Nat. De. Cap. 42: Draco ſerpit ſubter, ſupraque* revolvens *ſeſe; & Lib. IV Acad. Cap. 6: Ita imprudens eo, quo minime vult*, revolvitur. Inprimis vero multa Poetæ ſuppeditant. *Virgilius Aen. V, 336:*

Ille autem ſpiſſa iacuit revolutus *arena;*

& *X, 660:*

Avulſamque rapit revoluta *per* æquora *navem;*

ubi egregie fallitur *Servius*, *revoluta per æquora navem* per hypallagen dictum putans pro *revolutam navem per æquora.* Sunt enim *revoluta æquora*, quæ volvuntur; id quod proprium eſt maris, aut certe fluctuum, ut omnes ſciunt. Sic enim idem *Maro Aen. VII, 718:*

Quam multi Libyco volvuntur *marmore* fluctus;

& *VI, 659:*

— — — *unde ſuperne*
Plurimus Eridani per ſylvam volvitur amnis;

& *Ge. III, 238:*

Fluctus *ut, in medio cœpit cum albeſcere ponto,*
Longius, ex altoque ſinum trahit; utque volutus

Ad

Ad terras, immane ſonat per ſaxa;

& *v. 521:*

— — *non qui per ſaxa* volutus
Purior electro campum petit amnis;

& *Aen. XII, 672:*

Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vortex, turrimque tenebat;

& *III, 196:*

Continuo venti volvunt mare, *magnaque ſurgunt*
Aequora.

Sed redeo ad vocem *revolutus*, quam hoc, quem dixi, ſignificatu habet *Virgilius Aen. XI, 671:*

— — *quorum alter habenas*
Suffoſſo revolutus *equo dum colligit;*

& *v. 627:*

Nunc rapidus retro, atque æſtu revoluta *reſorbens*
Saxa fugit;

ubi æſtui vides vim *revolvendi*, ſeu, quod idem eſt, *volvendi*, tribui. *Virgilio* præ aliis omnibus *Seneca*, Tragicus, accedat, quo, velim, *Clericus* in explicandis *Severi* verbis magiſtro utatur. Is in *Phœniſſ. I, 86:*

— — *regeret in fontem citas*
Revolutus *undas* amnis.

Habes hic ipſa illa *revoluta æquora Virgilii, Servio* præter meritum ſuſpecta. Alterum iam dabo locum *Senecæ*, ita ſimilem *Severi* illi, ut alter Poetarum ex altero ſumſiſſe ſua videatur. Eſt is in *Agamem. III, 489:*

Vento reſiſtit aeſtus, & ventus retro
Aeſtum revolvit.

En tibi, Lector, *revoluti* illi *aeſtus*, quos in Carmine ſuo *Severus* habet, ſed qui præter rem a *Clerico* in *reſolutos* ſunt converſi. Bene igitur *revolvi* dicuntur *aeſtus*, qui a vento huc & illuc agitantur, & ex una telluris, montis, regionis, parte ad alteram tranſeunt. Et, eſſe familiarem inprimis Poetis antiquis hanc per ſimilitudinem loquendi rationem, qua *volvi* dicuntur *ignes*, vel hæc *Ovidii* docent *Met. VII*, 109:

Pectora ſic intus clauſas volventia flammas,
Gutturaque uſta ſonant;

& multa *Virgilii: Ge. III*, 85:

Collectumque premens volvit *ſub naribus* ignem;

Aen. II, 706:

Dixerat ille: & iam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiusque aeſtus incendia volvunt;

& *v.* 758:

Ilicet ignis *edax ſumma ad faſtigia vento*
Volvitur.

Singula hæc miram habent vim ad illuſtrandum *Severi* locum; ut, ſi quis, his lectis, de illo emendando adhuc ſibi cogitandum putet, is qualemcunque ingenii gloriolam captaturus ex re inani videatur. Omnia bene concordant in verbis *Cornelii*, ſi vulgatæ lectionis ratio habeatur, & voci *revolutus* eadem, quæ ſimplici *volutus*, aut *huc & illuc volutus*, vis tribuatur. Vento vim, Poeta ait, tantam eſſe, ut denſiora corpora per arden-

tes

tes Ætnæ meatus magno impetu pellat, &, quacunque via patet, rapide feratur, ſi quid etiam ſe ipſi in itinere obiiciat, id proſternat & removeat; donec ipſe, æſtibus cum materia adnſta, & velut in liquorem redacta, (hoc enim *conſluvium* vocatur Poetæ,) per totum montem volutis, ſummo montis vertice erumpat, & flammas illas, toti regioni funeſtas, evomat.

Quid cauſæ fuerit, cur in his *Severi v. 377*:

Haud ſecus ac tenero, tum ſecum frigida monti
Deſidia eſt, tutoque licet diſcedere montes,

minus ferendum illud *diſcedere montes Clericus* putaret, & pro eo legi *adſcendere montem* vellet, nec ego perſpicio, nec ipſi, docere nos, *Clerico* libuit. Quod primum ad vocem *montes* attinet, ſi inſolitum videbatur *Clerico*, *montes* pro *montem* poſitum, non meminerat is nempe Poetarum moris, in *templis*, *tectis*, *mœnibus*, & ſimilibus multis, quæ ſolito maiorem ambitum habent, pluralem numerum pro ſingulari uſurpantium. Nec opus eſt, huic dicendi generi ab aliis vocibus auctoritatem peti, cum plurima *Virgilii*, *Ovidii*, & aliorum Poetarum, loca exſtent, in quibus hoc ipſum *montes*, cum ſermo eſt de monte alto & ſpatioſo, uſurpatum legitur. Satis hæc diligenti Poetarum lectori nota puto, neque adeo hic proferenda. Sed detur hoc *Clerico*, aliquid inuſitati habere hoc dicendi genus, nec ineptum fore, ſi levi mutatione *montes* in *montem*, aut *monte*, convertatur: facilis enim in una litera lapſus eſſe librariorum potuit; non æque tolerabilis nobis videtur

ea coniectura *Clerici*, qua loco movendum *diſcedere*, idque transmutandum in *adſcendere*, ſuſpicatur. Ita inter ſe diſcrepant forma literarum hæ voces, ut nihil minus ſit veriſimile, quam alteram pro altera exſcriptam a librariis; nec metri leges hanc verborum coniunctionem, *licet adſcendere*, patiuntur, quales, etſi non me fugiat, in ipſo paſſim *Marone* iuveniri, dubito tamen, an Criticis effingere emendando liceat. Dura igitur & inelegans hæc nobis emendandi ratio, nec id immerito, vocatur. Nec, ita vocaſſe, ſatis eſt; inutilem etiam & ſupervacaneam vocamus. Quod magis commendet *Clerici* illud, *adſcendere montem*, quam vulgatum *diſcedere montes*, nihil video. Nam, ſi in eo offendit *Clericus*, quod cum caſu quarto verbum *diſcedere* coniunctum eſt, dabimus ei ſimile exemplum ex *Senecæ Herc. fur. II*, 321:

Quam tunc habebat, cum per arentem plagam
Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas; bisque diſcedens fretum,
Et bis recurrens.

Nec male exiſtimari poteſt, *diſcedere montes Severo*, more Poetis familiari, pro *diſcedere in*, aut *ad*, *montes* dictum; quomodo etiam *Seneca diſcedens fretum* pro *diſcedens in fretum* dicere potuit. Sin forte in eo hæret *Clericus*, quod diſcedentes eo tempore, quo flammas & ruinam mons Ætnæus minatur, homines fingantur, quos, vix credibile ſit, adſcendendo illum montem, dare ſe

in

in exitum præcipites voluiſſe; primum doceri ſe patiatur, narrationibus Geographorum hoc conſtare, terribilem illum montem paſſim a colonis habitatum, qui, cum ſentiant a monte flammas parturiri, illo diſcedant, in remotiſſimis agris ſaluti ſuæ refugium quærentes. Egregie cum hac narratione verba *Severi* conveniunt, qui, monte illo diſcedi, ait, tempore opportuno, & ante horribilem flammarum eruptionem. Eſt enim hæc verborum ſeries:

Haud ſecus ac tenero, tum ſecum frigida monti
Deſidia eſt, tutoque licet diſcedere montes.
Poſt, ubi continuere moram, velocius urgent,
Pellunt oppoſitas moles, ac vincula rumpunt,
Quicquid in obliquum eſt, frangunt iter; acrior ictu
Impetus exoritur, magnis operata rapinis
Flamma micat, latosque ruens exundat in agros.

Inſanos ego putem illos homines, qui, inſtante ruina tanta, adſcendant montem, tanquam lubenter ſe in præſentiſſimum mortis periculum immiſſuri. Prudentis potius videtur, diſcedere tunc monte, & fuga ſaluti ſuæ proſpicere. Sed, ſi impetrare a ſe nullo modo poteſt *Clericus*, ut, de his potius, qui relinquunt montem, quam qui hunc adſcendunt, ſermonem eſſe *Severo*, ſibi perſuadeat, ne ſic quidem opus erit, *diſcedere* in *adſcendere* converti; quandoquidem *diſcedere* non ſemper *abire a loco* notat, ſed interdum etiam, inprimis vero in formula *diſcedere ad*, aut *in*, *locum*, pro ſimplici *ire* uſur-

uſurpatur. Habent hanc vocis vim loca Auctorum varia: *Seneca* in *Thyeſt. IV, 649:*

In *multa dives* ſpatia diſcedit *domus;*

& in *Oedip. II, 321:*

Sed ecce pugnax ignis in partes duas diſcedit;

Tullii Lib. VI ad Diverſ. Ep. 14: Hanc in opinionem diſceſſi, *ut mibi tua ſalus dubia non eſſet; Curtii VIII, 12, 8: Iamque & ipſe arma milites capere, & equites* diſcedere in cornua, *iuſſerat;* & *V, 12, 9: Ingens ergo in tabernaculo ſolitudo erat, paucis ſpadonibus, quia, quo* diſcederent, *non habebant, circumſtantibus regem;* & *VIII, 6, 19: Rex, benignius, quam alias, allocutus*, diſcedere *eos* ad curanda corpora, - - *iubet; Lucani VI, 360:*

Ergo abrupta palus multos diſceſſit in amnes;

& *X, 417:*

— — *non* in *generi ſocerique* favorem
Diſcedunt *populi;*

Lucretii II, 832:

Noſcere ut hinc poſſis, prius omnem efflare colorem
Particulas, quam diſcedant ad ſemina *rerum;*

& *III, 815:*

Aut ideo, quia nulla loci ſit copia circum,
Quo quaſi res poſſint diſcedere, *diſſoluique;*

& *v. 401:*

Sed comes inſequitur facile, & diſcedit in auras;

& *437:*

Et nebula ac fumus quoniam diſcedit in auras;

&

& *640*:

At quod ſcinditur, & partes diſcedit in ullas;

& *IV, 868*:

Humor item diſcedit in omnia, *quæ loca cunque*
Poſcunt humorem;

& *II, 710*:

Nam ſua quoique cibis ex omnibus intus in artus
Corpora diſcedunt.

Manifeſtior, & notior omnibus, res eſt, quam ut, pluribus eam probari locis, opus videatur. Hac igitur vocis ſignificatione poſita, ſi *diſcedere montes* dictum *Severo* pro *diſcedere in montes* putes, idque pro *abire in montem*, hoc eſt, *adſcendere*, accipias; iuvari etiam hac ratione lectio vulgata poterit, ne, aliam, minus probabilem, ei præferendi, nobis neceſſitas imponatur.

Quod maris æſtum Poeta *curvum* dixit in *v. 490*:

Sicut cum curvo *rapidum mare cernitur* æſtu,

id *Clericus* aliter ac *Scaliger*, ſed neuter horum ita, ut mihi ſatisfaciat, interpretatur. Et *Scaliger* quidem, *curvum* vocari *æſtum*, putat, cum adhuc, ut Poetæ loquantur, non κορύσσεται, vel κορθύεται, ſed curvi maris adhuc faciem retineat. Cum qua vocis explicandæ ratione ipſa Poetæ verba pugnant, qui æſtum maris, non ſedati & tranquilli, ſed inflati & fluctibus agitati, deſcribit. Sic enim ille:

Ingeminat fluctus, & ſtantibus increpat undis:
Sicut cum curvo rapidum mare cernitur æſtu,

At

Ac primum tenuis ſinus exigit ulteriores,
Progrediens late diffunditur & ſubcernens.

Nihil horum, quod mireris, *Scaligero* oppoſuit *Clericus*, cui ſatis fuit, diſſenſum ſuum profiteri. At noli ab hoc meliora exſpectare. Is, *curvum* vocari *æſtum*, putat, quod curva littora alluat, ac verberet. Quaſi vero in ipſo maris æſtu nihil ineſſe curvi appareat, ut a rerum extranearum curvamine nominis origo ſit petenda. Quaſi etiam in hoc uno cernatur æſtus maris, quod alluat verberetque littora; nec procul a littore ipſum maris profundum æſtuet, & fluctibus noſcatur. Quid longius evagaris, ea in littore quærendo, quæ, modo oculos afferas, invenire in ipſo mari potes. Ipſi illi fluctus, a maris æſtu excitati, curvam oculis ſpeciem præbent, & curvos habent ſinus quosdam, ita ab æſtuante intus mari formatos. Mecum, age, ſi ex parvis placet magna cognoſcere, ad fornacem accede, & ollam, ferventi aqua repletam, inſpice; videbis, aquas ab æſtu, intus furente, in orbem gyrari, & curvas natura ſua bullas emittere. Similis æſtus maris eſt, qui, cum curvas facere aquas ſoleat, ideo recte *curvus* dicitur. Neque adeo verum putari debet, quod ait *Clericus*, eſſe etiam *aquas* ideo a Poetis *curvas* vocatas, quod verberari his litora ſoleant. Si de aquis ita dicendum; quidni de carinis etiam, quæ item Poetis *curva* appellantur? Solent enim & hæ ad litora appellere, & hinc capere nomen potuerunt. At, curvas has eſſe forma ſua, dicis? Idoneam rationem profers, cui ſi vim aliquam tribuis, etiam

aqua

aquas a ſe ipſis, non a litore, appellatas *curvas*, mihi credes. Ceterum, quid curvi habeant litora, ignorare me fateor. Fortaſſe igitur probabilius dixerim, ideo litora vocari *curva*, quod a curvis aquis alluantur, quam aquis hanc appellationem a litoribus petitam.

Ad verba *Severi v. 537* & *ſeq.*:

Nec nimium hoc mirum; denſiſſima corpora ſæpe,
Et ſolido vicina, tamen compeſcimus igne.
Non animos æris flammis ſuccumbere cernis?
Lentitiem *plumbum non exuit? ipſaque ferri*
Materies prædura, tamen ſubvertitur igne?

peſſimum & interpretem, & *Severi* cenſorem, habes *Clericum*. Vocem *lentitiem* ipſe *mollitiem* interpretatur. Quo poſito, reprehenſione dignum ei videtur, cum rebus duris ac rigidis, ære, ferro, mollem natura ſua, plumbum, coniungi *Severo*, & in rebus mirandis hoc numerari, quod molle eſſe deſinat plumbum, igni admotum. Audire tibi videaris Orbilium aliquem, pueros in ſchola caſtigantem, cum hæc legas: *Male, ne quid diſſimulem, exemplum hoc additur exemplo æris, ſequente etiam ferri; nam frigidum eſt, dicere, plumbum mollitiem exuere, ut liquidum fiat; poſtquam ignis vi dixiſti rigorem æris vinci, dicturus & ipſum ferrum liquefieri. Sed Poetæ, ut non omnia dicunt, quæ dicenda eſſent, ſic æſtu meditationis abrepti, & numeris metrorum coacti, ea proferunt, quæ rectius tacerentur.* Ad quæ rectius nos ita: Critici indocti, ut, quæ faciunt ad explicandos Auctores,

ctores, pauca expromunt, ſic æſtu quodam gloriæ, & oſtentandi ingenii, abrepti, ea ſæpe in Auctoribus antiquis carpunt, quæ, ſi intelligerent, laudarent potius, & in exemplum aliis proponerent. Non hæc Poetæ bono, nec immoderato, obieciſſet *Clericus*, ſi veram vocis *lentities* ſignificationem inveſtigaſſet. Hac *mollitiem* notari, nec ego dixerim, nec fortaſſe, præter *Clericum*, quiſquam alius. Eſt hoc vocabulum in uno hoc *Severi* loco, nec in alio veterum Scriptorum ullo, obvium; ut adeo exemplis conficere hic nihil liceat. Relinquitur igitur hoc unum, ut, quæ vocis *lentus*, unde ductum eſt *lentities*, notiones ſint, inquiramus, eandemque ſignificandi vim huic, quod *Severi* eſt, vocabulo tribuamus. Neque vero veterum Auctorum ulli *lentum* uſurpari pro *molli*, hoc eſt, *facile tractando & ſolvendo*, memini; ut hinc mirum mihi videatur, *lentitiem Clerico* pro *mollitie* accipi. Contra manifeſta huius vocis ea eſt, (ut nunc alias omnes taceam,) ſignificatio, qua *tenax*, *difficile ſolvendum*, notat. Hoc nempe ſignificatu *pituitam* vocari *lentam* videmus *Horatio Sat*. *II*, 276:

Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta *feret* pituita;

& *gluten Virgilio Ge. IV*, 41:

— — *collectumque hæc ipſa ad munera gluten*,
Et viſco, & Phrygiæ ſervant pice lentius *Idæ*;

& *v.* 160:

— — lentum *de cortice* gluten.

Idem

Idem *radicem* dicit *lentam Aen. XII, 773:*

— — huc impetus illam
Detulerat fixam, & lenta in radice *tenebat;*

& *argentum*, minime inter mollia numerandum, *Aen. VII, 634:*

— — alii thoracas aënos,
Aut leves ocreas lento *ducunt* argento.

Inde etiam, qui nullis modis moveri ſe patitur, *lentus* appellatur *Ovidio Amor. III, 6, 60:*

Ille habet & ſilices, & vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacbrymas lentus *in ore videt;*

cui loco ſimiles alios collegit *Nic. Heinſius* ad *Ovidii Her. Ep. 15 v. 169.* Addo, *brachia*, quæ reluctantur, nec facile moveri poſſunt, *Horatio* dici *lentiſſima Sat. I, 9, 64:*

— — — Vellere cœpi
Et prenſare manu lentiſſima brachia;

eandemque vocis vim intelligi in his *Suetonii Tiber. Cap. 57; Sæva ac* lenta *natura ne in puero quidem latuit;* & in illis *C. Pedonis Albinovani El. I v. 279:*

Conſiſtam, lætisque oculis, lentusque *videbo*
Strata per obſcœnas corpora nuda vias;

ad quem locum, vide, quæ ipſi *Clerico* ſunt notata. Recte igitur *lentitiem Severi* pro *tenacitate*, mollitiei maxime contraria, accipias. Quo ſignificatu ſumtum vocabulum, naturæ utique plumbi convenit, cui rigorem tribuit *Lucretius*, inter maxime miranda hoc referens, quod plumbea ſæpe glans, longo voluta curſu, liqueſcat, *VI, 305:*

— — plumbea *ſæpe*
Fervida fit glans *in curſu, cum multa rigoris*
Corpora dimittens, ignem concepit in auris;

quo modo etiam ſupra *v.* 177:

Mobilitate ſua ferveſcit; ut omnia motu
Percaleſacta vides ardeſcere; plumbea *vero*
Glans *etiam longo curſu volvenda liqueſcit.*

Etiam ex *Plinio* conſtat, oppido falli eos, qui nullam, igni reſiſtendi, vim tribuant plumbo, idque facile diſſolvi poſſe, ſibi perſuadeant. Huc illa ſpectant *Hiſt. nat. Lib. XXXIV Cap.* 17: Plumbi *albi experimentum in charta eſt, ut liquefactum pondere videatur, non calore, rupiſſe.* Quibus addi debent, quæ eodem *Capite* leguntur: *Et mirum, aqua addita non liqueſcere vaſa e* plumbo *conſtat.* Iam, ſi dubitare non potes, ex iis metallis unum eſſe plumbum, quæ rigidioris ſunt naturæ, & igni non niſi coacta cedunt, mirari deſines, bone *Clerice*, plumbum a *Severo* æri & ferro adiungi, eidemque Poetæ ignem ideo potentem dici, quod plumbum, natura ſua *lentum*, hoc eſt, tenax rigidumque, liquefaciat.

In his, quæ *v.* 570 & *ſeq.* leguntur:

Nunc iuvat Ogygiis circumdata mœnia Thebis,
*Cernere*que & *fratres; ille impiger, iſte canorus*
Condere felices alieno interſerit ævo,

illud *&*, quod eſt poſt *cernereque*, & in editionibus plerisque legitur, transmutari iubet *Clericus* in *hic*, ita legens: *cernereque hic fratres.* Id nol-

id nollem factum, partim quod forma multum inter ſe diſcrepent voculæ *&* & *hic*, partim quod, reiici antiquam lectionem, non ſit opus. Nam, cum dicit Poeta: *Nunc iuvat, mœnia cernereque, & fratres*, poetica verborum traiectione idem dixit, ac ſi dixiſſet: *Nunc iuvat & mœnia cernere, & fratres.* Ipſe *Severus* ſimili ratione *v. 596:*

Hæc viſenda putas terræ dubiusque, marisque,

pro *terræque dubius, marisque*, dixit. Talem, verba extra ordinem ſuum ponendi, rationem inſoliti nihil habere, bene, qui verſati ſunt in Poetarum lectione, intelligunt, nec id putem ipſi *Clerico* incognitum, qui, cum ita locutum putat *Severum*: *Iuvat mœnia cernereque hic fratres*, æque inconcinnam, ac altera illa ipſi videtur, verborum disiunctionem ei tribuit. Eſt enim hic verborum naturalis ordo: *Iuvat hic mœnia & fratres cernere.* At illud fortaſſe peregrinum auribus *Goralli* noſtri, quod *cernereque & fratres* Poeta pro *& cernere & fratres*, dixit. Nam, qui ex regulis Grammaticorum, non ex Auctoribus antiquis, ſapiunt, his notæ ſunt formulæ *&*, *&*, *que*, *que*, non item illa *que &*, Auctoribus, quicunque in nobiliſſimis habentur, ita uſitata, ut inter maxime vulgares ac ſolitas referri poſſit. Rem novam a me narrari putas, Lector? At lege, ſi placet, ea, quæ de hoc dicendi genere nuper a me dicta ſunt in libro *Obſervationum Latinæ linguæ pag. 823 ſeq.* ubi exemplorum, quod ſatis, fortaſſe etiam quod nimium, eſt, a me datum vides. Cuius libri evolvendi ut ſu-

perſedere moleſtia poſſis, exemplis, in illo adductis, vel unius nonnulla *Ovidii* hic addimus, cum ex *Virgilio, Claudiano, Lucretio*, ſimilibusque, ſi id nunc ageremus, afferri bene multa poſſint. Et quidem hæc *Ovidii* habes *Met. IV*, 147:

*Quæ poſtquam veſtem*que *ſuam cognovit*, & *enſe*
Vidit ebur vacuum;

& *v.* 429:

*Quidque furor valeat, Penthea cæde ſatis*que
Ac *ſuper oſtendit*;

& *v.* 738:

*Incedit virgo, pretium*que & *cauſa laboris*;

& *V*, 107:

*Hinc gemini fratres, Broteas*que & *cæſtibus Ammon*
Invicti;

& *v.* 500:

— — *cum tu curis*que *levata*,
Et *vultus melioris, eris*;

& *v.* 616:

*Sed certe ſonitu*que *pedum terrebar*, & *ingens*
Crinales vittas adflabat anhelitus oris;

& *VII*, 251:

*Quos ubi placavit precibus*que & *murmure longo*;

& *v.* 541:

*Sponte ſua lanæ*que *cadunt*, & *corpora tabent*;

& *X*, 482:

*Atque inter mortis*que *metus*, & *tædia vitæ*,
Eſt tales exorſa preces;

&

& XI, 387:

Mittat ut auxilium ſine ſe, verbiſque precatur,
Et *lacbrymis;*

& XII, 94:

— — — *ſed qui*
Nereaque, & natas, & totum temperet æquor;

& *v.* 463:

Quem dederat leto membriſque & corpore Latreus
Maximus;

& XIII, 350:

Deſpice Tydiden vultuque & murmure nobis
Oſtentare meum;

& *v.* 649:

— — *pro patre locumque & regna tenentem;*

& *v.* 874:

Cum ferus ignaros, nec quidquam tale timentes,
Me videt atque Acin; videoque, exclamat, & iſta
Ultima ſit, &c.

& XIV, 208:

Quæ ſuper ipſe iacens, hirſuti more leonis,
Viſceraque, & carnes;

& *Faſt.* I, 435:

Territa conſurgens Nymphe manibuſque Priapum
Reiicit, & fugiens concitat omne nemus;

& III, 388:

Iam dederat Saliis (a ſaltu nomina ducunt)
Armaque, & ad certos verba canenda modos;

& IV, 287:

Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum
Brontesque, & Steropes, Æmonidesque, ſolent;

& V, 54:

— — dicta probarunt
Clioque, & curva ſcita Thalia lyra;

& *Triſt.* III, 9, 31:

Ut genitor luctuque novo tardetur, & artus
Dum legit exſtinctos, triſte moretur iter.

Nullus exemplorum finis foret, ſi, quæ habent alii Poetæ, coacervanda in unum eſſent. Idne vero dicendi genus, quo vel unum Poetarum plus quam vicies videmus uſum, in rarioribus & inſolitis numerabimus? Minime quidem. Imperite igitur a *Clerico* factum, quod formularum hoc genus e Carmine *Severi* tollendum, bonamque adeo & incorruptam lectionem permutandam minus bona & minus emendata, iudicavit.

Quid ſit *terra dubiusque, mariſque*, in his *Severi* v. 596 & *ſeq.*:

Hæc viſenda putas terræ dubiusque, mariſque;
Artificis naturæ ingens opus adſpice, nulla
Tu tanta humanis rebus ſpectacula cernes,

non eadem ego, qua *Clerico* videtur, explicandum ratio-

tione putem. Hunc nempe ſi ſequaris, verbis hiſce notari dices *dubium terræ, aut maris, cauſa, an pericula, in iis occurrentia, vitare poſſit.* Mihi quidem, nihil horum in mentem veniſſe *Cornelio*, perſuaſum eſt. Periculorum, quæ cum itinere, ſive terreſtri, ſive maritimo, eſſe coniuncta poterant, non habebat, cur hoc in loco mentionem faceret, Poeta; nec prudenter facturus videbatur, ſi a rebus tot mirandis, quas paulo ante copioſe memoraverat, ideo, quod ſine itinere periculoſo ſpectari non poſſent, avocaret homines, ad talem vero curioſe ſpectandam, quæ multo plus periculorum ſpectantibus obiiceret, profundiſſimas nempe montis Ætnæ cavernas, & naturæ, hic flammas generantis, triſtem horribilemque officinam, excitare eos ac permovere conaretur. Non in eo, quid ſibi velint hæc Poetæ verba, diu hæſitabis, Lector, ſi memineris, in his, quibus verba hæc ſubiecta ſunt, id a Poeta copioſe ac diligenter actum, ut, quæcunque ſive terra, ſive mari, exſtructa ab hominibus eſſent, miræ artis opera deſcriberet, & univerſum terrarum orbem, qua parte aliquid ſingulare haberet, nobis admirandum repræſentaret. Ita enim narrationi ſuæ velut præfantem *v. 565* videmus:

Magnificas ædes, operoſaque viſere templa
Divitiis hominum, aut ſacra marmora, resve vetuſtas,
Traduce materia, aut terris, per proxima, fatis
Currimus; atque avidi veteris mendacia famæ
Eruimus, cunctasque libet percurrere gentes.

Hæc igitur deinde oratione ſatis longa perſequitur, finiens hanc verbis:

Hæc viſenda putas, terræ dubiusque, mariſque,
Artificis naturæ ingens opus adſpice, &c.

quorum, iam intelligis, hunc eſſe ſenſum; Hæc ſi ſpectanda putas, de eo ſaltem dubitans, terræne prius, an maris, ſpectaculis utaris, aut, terreſtri, an maritimo, itinere illuc, ubi ſpectantur illa opera, excurras; melius te facturum ſcito, ſi ipſius opus naturæ, omnium, quæ ſpectari poterunt, maxime mirandum, adſpicias. Faciliima hæc, & ad mentem Poetæ maxime accommodata, explicatio eſt, quam nemo non lectorum, etiam a me non monitus, alteri illi, a contextu integræ orationis alieniori, & ex verbis Poetæ non niſi difficillime extorquendæ, præferendam iudicabit.

Non erat, quod inſolita ratione vocem *rapina Severo* pro *actu rapiendi* uſurpatam putaret *Clericus* in his verbis, quæ *v.* 611 leguntur:

Tum vero, ut cuique eſt animus, viresque, rapina
Tutari conantur opes;

nec, voce hac uſus, *raptum* cum *rapina* miſcuiſſe, ſed vocem adhibuiſſe actui rapiendi propriam, & hoc ſignificatu Auctoribus antiquis uſitatiſſimam, dicendus eſt *Severus*. Habet enim utrumque vocabulum, *raptus* & *rapina*, eam vim, ut *actum rapiendi* notet, ſed frequentiori uſu *rapina*, quam *raptus*, cuius vocis in Auctoribus antiquis, maxime vero in Poetis, exempla mihi invenire non niſi pauciſſima licuit. De altera, *rapina*, ut certius

tius conſtet, habendam hoc ſenſu, quo apud *Severum* legitur, in maxime vulgaribus eſſe, operæ pretium fuerit, ex infinitis Poetarum locis vel potiſſima huc afferri. Et quidem hæc dabimus: *Claudiani Lib. I in Eutrop. v. 195:*

— — Nunc uberiore rapina
Peccat in orbe manus;

Lib. III de Rapt. Proſerp. v. 439:

Exitiique reos flores, ipſumque rapinæ
Deteſtata locum, &c.

Lib. II in Eutrop. v. 150:

— — aliis exordia ſume rapinis;

Valerii Flacci VII, 51:

— — vobiſne parentes
Eſſe putem, ratis infandis quos ſola rapinis
Sævaque paſcit hiems?

& *VI, 538:*

— nocturnis mitte hac ſimulacra rapinis;

Catulli XXXIII, 5:

— — quandoquidem patris rapinæ
Notæ ſunt populo;

& *XIX, 19:*

Quare hinc, o pueri, malas abſtinete rapinas;

Senecæ in *Medea II, 277:*

Fugam, rapinasque, *adice; deſertum patrem*,
Lacerumque fratrem;

Martialis XII, 52, 10:

Abſolvit Phrygium veſtra rapina *Parim;*

& *XI, 42, 5:*

Triſte nemus diræ vetuit ſupereſſe rapinæ;

& *VI, 68, 11:*

Quicquid id eſt, ſubita quæcunque eſt cauſa ra- pinæ;

& *VIII, 64, 15:*

Sit tandem pudor, & modus rapinis;

Horatii Sat. II, 3, 157:

Quid refert, morbo, an furtis, pereamne rapinis?

& *Ovidii Triſt. I, 11, 31;*

Barbara pars læva eſt, avidæ ſuccincta rapinæ;

& *Faſt. V, 203:*

Et dederat fratri Boreas ius omne rapinæ;

& *Met. V, 492:*

Terra nihil meruit, patuitque invita rapinæ;

& *Her. Ep. XX, 52:*

— — *mors huius pœna* rapinæ

Ut ſit;

& *Met. X, 28:*

Famaque ſi veterem non eſt mentita rapinam;

& *Art. am. I, 675:*

Quæcunque eſt ſubita Veneris violata rapina.

Sed Poetis etiam princeps Oratorum, *Tullius*, accedat, cuius hæc ſunt loca: in *Or. in L. Catil. II Cap. 5: Nihil cogitant, niſi cædes, niſi incendia, niſi* rapinas; *Lib. II Offic. Cap. 15: Atque etiam ſequuntur largitionem* rapinæ; & *Lib. XIV ad Att. Ep. 14:* Rapinas *ſcribis ad Opis fieri.* Hæc igitur, & his plura, Auctorum veterum exempla, non, quod *Clerico* videtur, Græcorum, voce ἁρπαγὴ & *actum rapiendi*, & *rem raptam*, notantium, rationem, ſecutus eſt *Severus*, cum *rapinam* pro *raptu* poſuit, aut, ut rectius dicam, (nihil enim me-

melior vox *raptus* altera *rapina* eſt,) cum vocabulo hoc, inter optima & uſitatiſſima numerando, ipſum *rapiendi actum* ſignificavit.

Atque, hæc dixiſſe de *Clerici* in *Ætnam Severi* Animadverſionibus, nunc quidem ſufficiat.

VII.
DE SATIRA VARRONIANA, SEU MENIPPEA,
BREVIS COMMENTATIO I. G. HAVPTMANNI, HAYNENSIS.

PALINGENIUS:

Non melior, non virginibus magis apta Camenis,
Materies, quam, quæ tractat de moribus, illa eſt.

INDEX.

I. Diverſa Satirarum genera. II. de Varrone. III. de Menippo. IV. Definitio ſatiræ Varronianæ. V. Nonnulli eiusmodi ſatirarum ſcriptores, tam antiqui, quam recentiores. VI. Regulæ illarum & cautiones. VII. Earundem adverſus diſſentientes defenſio.

I.

Differunt σατυρικὸν Græcorum & ſatira Latinorum. Illud nomen accepit a Satyris, ſeu Faunis; hæc, ut videtur, lanci ſaturæ debebat. Illud totum

totum eſt δραματικόν: hæc ſæpius διηγηματική, interdum mixta, & ad ſillos Græcorum propius accedit. Illius exemplum præbet *Euripides* in Cyclope; hujus Romanorum numerus non parvus. Eſt autem Latinorum ſatira vel *Enniana*, vel *Luciliana*, vel *Varroniana*. Satira *Enniana*, ſive *Pacuviana*, poema fuit morale, variis carminum modis conſtans a). *Luciliana* eſt poema, eodem carminis modo ad carpenda hominum vitia, & ridenda, compoſitum b); atque hæc iterum vel antiquæ, vel mediæ, Græcorum comœdiæ rationem ſectatur. Illa eſt ipſius *Lucilii* maledica, petulans, vulgaris, neque ab ipſis perſonarum nominibus abſtinens; hæc *Horatii* & *Iuvenalis*; quorum prior iocoſus ridendo verum enuntiat c), poſte-

a) *Iſ. Caſaubonus de ſatyrica Græcorum poeſi, & Romanorum ſatira, Lib. II Cap. 2.*

b) *Diomedes col. 482: Satira eſt carmen apud Romanos, non quidem apud Græcos, maledicum, & ad carpenda hominum vitia archææ comœdiæ charactere compoſitum; quale ſcripſerunt Lucilius & Horatius & Perſius. Sed olim carmen, quod ex variis poematibus conſtabat, Satira dicebatur; quale ſcripſerunt Pacuvius & Ennius. Horat. Lib. II Satyr. I v. 62:*

Quid, cum eſt Lucilius auſus
Primus in hunc operis componere carmina morem;
Detrahere & pellem nitidu, qua quisque per ora
Cederet, introrſum turpis?

c) *Perſius Sat. I v. 116 ſeq.*

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

poſterior ſeverus ſecat vitia atque urit d). *Varronianam* denique, quæ huius nominatim eſt inſtituti, exornavit præſertim *M. Terentius Varro.*

Erat hic *Varro*, ut *Quintilianus* ait e), Romanorum eruditiſſimus, atque, *Arnobio* teſte, *multiformibus eminens diſciplinis, & in vetuſtatis indagatione rimator.* Condebat autem ſatiras, in quibus non ſolum varium ſtilum adhibebat, orationemque pedeſtrem cum carmine miſcebat, ſed & argumenta ipſa multiplicabat f); atque indidem duplicem fere ſatiris titulum præfigebat. Ludicra quidem cum ſeriis componebantur plurima; nihilo minus non pauca ex intima Philoſophia erant deprompta. Docet id ipſe *Varro* apud *Ciceronem* g), *& tamen*, inquiens, *in illis veteribus, quæ Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conſperſimus, multa admiſta ex intima Philoſophia, multa dialectice dicta; quæ quo facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus, in iis ipſis antiquitatum proœmiis, Philoſophiæ ſcribere volumus, ſi modo conſecuti ſumus.*

III.

d) *Ioſ. Trapp.* in *Præl. poet. p.* 255 *ed.* 2: *Satira in genere eſt poema, vitia atque ineptias hominum reprehendens; eſtque duplex: iocoſa, qualis eſt Horatii, & ſeria, qualis eſt Iuvenalis. Illa occulta eſt, hæc aperta; illa ridet utplurimum; hæc urit crimina, ſecat, & flagris proſcindit.*

e) *X, 1.*

f) *I. A. Fabricius B. Lat. Lib. I Cap.* 7 *§.* 4.

g) *Lib. I Acad. quæſt. Cap.* 2 *§.* 8.

III. *Menippum*, ait, ſe imitatum fuiſſe, hincque ſatiras ſuas *Menippeas* nominat; quemadmodum *Menippeum* auctorem h) alii, ſatiras vero Cynicas, appellarunt i). Nimirum *Menippus* ille, inter quinque alios eminens, patria Gadarenſis k), conditione ſervus, Cynicorum hæreſi addictus fuit; ac tredecim voluminibus condidit nænias, teſtamenta, epiſtolas, & id genus alia; in quibus crebris, quibus pollebat, ſalibus ac Cynica omnino mordacitate vitia carpebat. Nullum quidem illius ſcriptorum ſatirarum titulum habet; quod iſte de hoc genere commentationum nondum adhiberi ſolebat, Latinus potius, quam Græcus. Primario ſolum ab argumento libris auctor nomen indidit, iisdemque varia inprimis principum Poetarum carmina inſeruit ac varias parodias. Hinc etiam non habebimus, cur, *Probum* erraſſe, cum *Caſaubono* arbitremur; quippe qui nomen illis tribuit, ætate, qua vivebat, ſolenne, cum contra, qui loca ex *Menippo* excitarunt, iure Græco agere ſolerent. Nec

h) *Athenæus Larenſis*: Μέμνηται τῆς παροιμίας καὶ ὁ ἐμὸς προπάτωρ Οὐάῤῥων ὁ Μενίππειος ἐπικαλούμενος.

i) *Gellius II, 18*, &, qui ex eo ſapuit, *A. Macrobius Lib. I Saturn. Cap. 11 p. 216* ed. Par. *Tertullianus Varronem Romanum Cynicum* vocat. Conf. *Fabric. B. G. Lib. III Cap. 3 p. 364*.

k) *Strabo Lib. XVI*: ἐκ τῶν Γαδάρων ἦν Μελέαγρος καὶ Μένιππος ὁ σπουδογέλοιος. Conf. *Stephanus in* Γάδαρα.

Nec eſt, cur, ſemper illum aliorum Poetarum verſus, quod idem cenſet Vir celeberrimus, miſcuiſſe, dicamus, quamvis eum tales ſemper loquentem inducat *Lucianus*. Sufficit enim ad hoc faciendum, ſi vel ſolam Νεκυίαν ita elaboravit. Similis *Menippi*, civis atque æqualis, fuit *Meleager*, de quo pluribus agit *Thomas Crenius* l); ut de ipſo præſertim *Menippo* legi *Diogenes Laertius* meretur m).

IV. Ex hactenus allata hiſtorica narratione patebit, quod ſatira *Varroniana*, ſeu *Menippea*, ſeu *Cynica*, ſit ſatira, ubi varia, ad vitia acriter deridenda quæ pertinent, pedeſtri oratione, diverſis modis carminum admixta, proferuntur. Hæc eadem ſpeciem conſtituunt duplicem; prout vel aliunde ſumuntur, vel ab ipſo ſcriptore panguntur, quorum alterum inprimis *Menippus*, alterum *Varro*, feciſſe videtur.

V. Alii vero ſcriptores, quorum non paucos habemus, tam antiquiores, quam recentiores n), poſteriore magis in genere calamum exercuerunt. Pertinent huc præ ceteris, ex antiquioribus, *Petronius*, *Seneca* o), *Iulianus*, Imperator; ex recentioribus

l) In Notis ad *Iſ. Caſauboni* librum citatum *pag. 200 ſeq. Muſei philologici & hiſtorici*.

m) *Lib. VI Cap. 8*, ſive §. 99 *ſeq.*

n) De quibus vid. Cel. *Gottl. Stollii Hiſt. lit.* (*Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit*) P. I Cap. V §. 70.

o) Qui in Ἀποκολοκυντώσει iam ſua, iam aliorum, carmi-

bus autem *Iuſtus Lipſius*, *Io. Barclaius*, *Petrus Cunæus*, atque inter Gallos *Sarraſinus* p). Neque autem proprie huc ſpectant, qui, externam quidem huius ſatiræ formam imitati, vitia non ex inſtituto caſtigarunt, vel, id ipſum facientes, verſus haud miſcuerunt. Prioribus annumerandi ſunt *Martianus Capella* q), & *An. Man. Torq. Severinus Boetius*. Atque inter recentiores maxime nonnulli talem ſcribendi modum ad amorem applicarunt, quo nomine plures libelli, Romanenſes qui dicuntur, appellandi ſunt. Eundem in ordinem referendus erit *Caſpar Barthius* in *Erotodidaſcalo*, ſive *nemoralium Libris V*, quibus, ut in Præfatione loquitur, *Gaſparis Gilli Poli* Dianam amore percitam, Hiſpanice ſcriptam, ſuperare Latinis numeris laboravit. Ad poſteriores pertinet Cel. *Heineccius*, qui vituperationem, elegantem illam quidem & lepidam, ſed ſtilo tantum libero ſcriptam, *Satiram Menippeam* nominare voluit r).

VI.

mina miſcet. Vid. de hoc libello Diſſ. *Dan. Heinſii*, adiuncta eius *Orationibus pag. 608 - 622 ed. Elzer. 1627.*

p) Scripſit *la Pompe funebre de Voiture*, quæ Satira, ut & alia, *le Catholicon* inſcripta, laudatur à *Dacierio* in *Diſcours ſur la Satire dans Mem. de l'Ac. des Inſcr. & B. L. Tom. III pag. 290.*

q) Qui quidem opus ſuum eruditiſſimum ſatiram nominat ipſe, ſed ſenſu latiori. Conf. *G. I. Voſſii Inſtit. poet. Lib. III Cap. VIII* ſub finem.

r) Vid. Sylloge exemplorum, *Fundamentis ſtili cultioris* adiuncta, *n. 3.*

VI. Nos autem ad regulas potius & cautiones præcipuas, quam definimus, ſatiræ progredimur. Sunt illæ potiſſimum ſequentes, quaſi per lancem ſaturam proponendæ. Finis ſatirarum primarius ſit emendatio, ſecundus delectatio. Satiricus debet eſſe Philoſophus, ac præſertim doctrinam morum callere, ut & iudicio pollere atque prudentia. Neque animi perturbationibus ducatur, ſed mero emendandi alios ſtudio excellat. Inde lateant perſonæ, vitia rideantur; eademque non apparentia, ſed vera, non naturæ, ſed morum. Ea præſertim huc pertinent, quæ, ſtoliditatis atque imprudentiæ documenta, ridiculos reddunt homines. Augeantur potius eiusmodi vitia, quam minuantur, nec velentur unquam; niſi pudor ac verecundia iubeant. Mores non tam generatim, quam ſingulatim, non tam præteriti, quam noſtri, temporis, vituperentur. Iocus ſalſus præcipua ſatiræ noſtræ virtus eſt. Atque id merito. Quodſi enim ridicula vitia proponimus, locum maxime tenerum tangimus, adeoque ſenſum facillime ac celerrime excitamus. Nique feri omnino fuerint vitioſi, horrorem ita tacti & nauſeam conſuetudinis ſentient, quæ melioris notæ hominum riſui exponit. Hinc & acrimonia uſurpetur, & libertas in taxando. Servandus tamen in dicacitate modus eſt, ne ſcurræ videamur. Cavendum pariter, ne, dum vituperamus vitia, doceamus. Stilus ſit ordini iunctus, & ad convincendos homines idoneus. Quotidianus quoque, nec adeo exquiſitus. Hinc omnia ſint perſpicua, ne fatigentur lectores, ſed dele-

delectentur. Attamen humilitas ſtudioſe vitetur, ne miſerationem emendationis loco excitemus. Παρεκβάσεις præterea vitemus, atque adeo iudicium magis, quam nudam facultatem imagines formandi, ſignificemus. Hinc & in verbis pondus ſit pariter ac lepor. Varietas ubique delectat. Neque vero carmen pro lubitu miſceatur; ſed ubi gravitatem præ ſe fert ac ſuavitatem, aut ubi nimis alioquin longus fieret liberæ orationis contextus.

VII. Licet vero has ipſas regulas obſervare quam ſtudioſiſſime laboremus; periculi tamen tam plena eſt, quam utilitatis, eiusmodi ſatirarum elaboratio. A ſuſpicioſis ac malevolis ad res, de quibus ne minimam quidem notitiam habuerat, multo minus cogitarat, Poeta, temerario ſæpe niſu fieri applicatio ſolet, atque ita inſigne haud raro eidem contrahi detrimentum s). Noſmet appellare

s) P. *Cunæus* in *Præf. Sard. venal.*: *Quoniam rem haud novam quidem, ſed calumniis tamen obnoxiam, inceptamus, periculum eſt, Lector, ne quis tibi error offundatur. Scio, eſſe homines quosdam male feriatos, qui, ſimul atque ſcripta huiusmodi, in quibus vitiorum eſt vituperatio, attigerint, ſtatim ingenium advocant, &, quid cuique aptari poſſit, aut in quem dictum quidque ſit, curioſe ſpeculantur. Quod in mente nobis neque fuit, nec erit unquam, tamen ii ſcient. Et, cum aliquem iam ſibi, quem ipſi læſum eſſe cupiant, opinionis errore confinxerint, applaudent induſtriæ ſuæ, & favebunt voluptati. Hic eſt ſuccus loliginis, hæc mera ærugo, quæ ubi animos ſemel infecit, ilicet, actum eſt, perimus.*

lare poſſemus; ſi quidem damnum foret, quod maioris fortaſſe honoris atque emolumenti cauſa reperietur. At non ignoramus exempla perquam multa, ubi re vera nocuiſſet huiusmodi ſinceritas. Dubium igitur oboriri poſſet, an non propter talem timorem diris potius ſint devovendæ ſatiræ ipſæ atque abominandæ. Nos quidem contrarium tuebimur. Damnent ſatiras, qui vituperantur, vitioſi, damnent alii; vel ex mandato divino noſtrum eſt, homines emendare; quidni ius ſit Poetis liceatque ſatiras ſcribere? Hoc etiam modo publica ſalus, prudentia ſaltem ne deſit, prærogativam meretur. Nocuit, ſi ſpeciem intueamur, legatis divinis cœleſtem veritatem propagaſſe, neque tamen fatigati ſunt unquam. Ac, ſi quid bonæ notæ ſatirarum ſcriptori adverſi propterea contingat, dummodo mente gaudeat recti conſcia, nil habet, cur ægre ferat. Cedet denique in bonum, ſeu potius re vera bonum eſt, ipſo ſaltem nondum intelligente. At forte talis in ſemet habet vituperandum. Quid tum? Cos etiam ferrum reddit acutum, ipſa ſecandi expers, & quot ſunt præcones, qui vita doctrinam non exprimunt! At pauciſſimi emendantur. Si pluribus ſatiris vel unus corrigatur, non contemnendus fructus erit, &, ſi nullus, alii tamen ab iisdem vitiis deterrebuntur. Verum enim vero noſtrum non eſt, hic fuſius agere, ne tam rationem ſatiræ breviter oſtendiſſe, quam defendiſſe, videamur. Ponimus igitur calamum, ac ſuo quemlibet ſenſu permittimus abundare.

VIII.

IO. BOGUSLAI PROSCCHOWSKI,

ARTIUM BACCALAUREI,

NOTITIA

LIBRI GRAECI, OMNIUM

PRIMI IN POLONIA TYPIS EXCUSI.

Inter univerſas hodie Europæ gentes nullam eſſe, a qua Græcarum literarum ſtudium, earumque pretium, magis negligatur, quam a noſtra Polona, res eſt teſtatiſſima. An vero priſcis ſic quoque fuerit temporibus, nec loci, nec mei eſt, hic inquirere, inſtituti. Nulla tamen magna literaturæ Græcæ in Polonia inveniemus monumenta. Igitur & multi vocarunt in dubium, an vel ullum unquam aliud opus Græcum, quam *Theſaurus ille Cnapii Polonico-Latino-Græcus* apud nos typis ſit excuſum a). Præſertim cum & ipſe *Ioannes Daniel Hoffmannus* in ſuo de Typographiis, earumque in regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ, initiis atque incrementis, ante

a) Prodiit primum Cracoviæ A. 1621. *Tomus II* ſecutus eſt A. 1626. Ejus recenſionem quære in *Catalogo Scriptorum Poloniæ & Pruſſiæ*, in *Biblioth. Brauniana collectorum*, *pag.* 75 *ſeq.* & 131. *ſeq.*

ante aliquot annos edito Tractatu b), quique ab omnibus, quibus patriæ Hiſtoria literaria cordi eſt, non ſine magno applauſu animique delectatione fuit exceptus, nullius, quin immo néc huius quidem, fecit mentionem. Miror, ſed haud demiror. Multa enim ſe latuiſſe, ipſe teſtatur, ideoque ad privata non tantum ſcrinia libraria, rarioribus libris repleta, verum etiam ad ipſam Illuſtriſſimæ gentis noſtræ *Zaluſciana*, cuius in Regem Rempublicamque patriam fides, in res literarias merita, indefeſſumque languescentes ac pæne collabefactas regni noſtri Muſas priſtinæ integritati atque nitori reſtituendi ſtudium, in toto decantatur terrarum orbe, Bibliothecam, omni librorum genere, inprimis ad patriam ſpectantium, inſtructiſſimam, aditum ſibi patere, haud immerito optat. Hic quod abſens præſtare non potuit, ad hoc, cum meæ, tum aliorum, curioſitati ſatisfaciendi gratia, ſum pervenire eniſus. Nam familiaritate, quæ mihi cum Viro nobiliſſimo atque politisſimo, *Ioanne Daniele Ianozkio*, Bibliothecæ huius haud indigne curam habente, intercedit, utendum ratus, eum adii, qui quoque, ut meo, pro ſua, qua pollet, humanitate, reſponderet petito, non libri tantum Græci, ſed & omnium, quos Sarmatia typis expoſuit, primi, mihi fecit copiam. Quem & ipſe, ut nitidioris literaturæ ſtudioſis, rariorumque librorum amatoribus, innoteſceret, publicare

b) Dantiſci A. 1740 in ipſo Typographiæ iubilæo, cuius recenſio extat in *Novis Actis Eruditorum An.* 1745 in fine *Menſis Ianuarii.*

non distulisset, nisi continuus, (quo in ordinando Bibliothecam, III Id. Nov. superioris anni magnis solennitatibus publice inauguratam, distentus est, labor eum huc usque impedivisset. Quo minus vero istius libri notitia longius orbem lateret eruditum, eius recensionem iteratis precibus in me suscepi, quam tibi, benevole Lector, brevibus nunc exponendam puto. Est vero huius libri titulus, qui, ut infra videbimus, A. 1537 in quarto Cracoviæ in lucem prodiit, talis:

Oeconomicorum Aristotelis libri, Græcis & Latinis annotationibus suis locis illustrati. In quibus pia, gravia, & Christiana, documenta sunt omnia. Hos ære modico si coemes & leges, aliis quoque, ut emant & legant, author eris, & ipse iterum iterumque emere non gravaberis.

Editor est *Georgius Libanus*, Lignicensis, almæ, ut apparet, Academiæ, quæ Cracoviæ floret, tunc temporis doctor. Dedicatio spectat ad Generosum *Franciscum Bonerum*, ob generis nobilitatem, consularem dignitatem, prudentiam singularem, suaque in studia merita, non tantum apud cives suos illustrem, spectabilem, atque clarum, sed & ob profundam suam eruditionem exteris gratum atque carum. Argumento nobis esse potest literarum colloquium, quo cum *Bembo*, Patre Purpurato, est usus c); ut & ipsa Editoris verba, quibus eum, inter alia, & multæ lectionis virum, doctum

c) Vid. eius *Epistolis familiares Lib. VI* edit. Venet. *pag.* 301.

doctum inter paucos, multarum rerum prudentia præditum, literatorum amplexatorem & ſuffragatorem, appellat, ſingularem d). Hanc ſubſequitur ad eundem Epigramma, in quo Editor adhuc breviter eius enumerat laudes. Textus nunc venit ipſe Græcus, ſive, Ἀριστοτέλους οἰκονομικῶν, τό α. Literæ ſunt diſtinctæ, atque ultra illorum temporum morem correctæ, abbrevationes, ut vulgo dicimus, nec multæ, nec nimis inuſitatæ. Charta eſt pura & ſubalba, accentus hinc & inde deſiderantur, quod vero compoſitoris magis, quam editoris, incuriæ attribuendum exiſtimo. Qua editione Editor ſit uſus, nullibi annotavit; probabile vero eſt, fuiſſe Aldinam e), vel Baſileenſem f). Nullam enim Operum *Ariſtotelis* editionem Græcam apud *Ioannem Albertum Fabricium*, virum literaturæ Græcæ omnium peritiſſimum, invenio vetuſtiorem f). Textui Græco ſubiungitur *Leonardi Aretini* verſio Latina, cum prologo ad *Coſmam Medicen*. Pauculas ad marginem adiecit annotationes, textui vero ipſi inſertæ ſunt literæ, ad notas, in fine annexas, ſe referentes. *Capita* ſunt *ſex*, quorum *primum*, de differentia & inconvenientia Politicæ & Oeconomicæ, & earum ordine, tractatur. *Secundum* agit de partibus domus, & unde ſumenda poſſeſſio. *Tertium* oſtendit, qua-

 lis

d) In modo allegata Dedicatione.
e) Quæ A. 1498 Venet. prodiit.
f) Iſta editio, emendante *Simone Grynaeo*, A. 1531 typis eſt publicata.
g) Vide eius *Biblioth. Graec. Lib. III Cap.* 5 *pag.* 115.

lis viri & mulieris œconomica ſocietas. *Quartum* docet leges mariti ad uxorem. *Quintum* recenſet leges domini ad ſervum. *Sextum* & ultimum enarrat œconomi leges. Nunc ſequitur Oeconomicorum *Ariſtotelis* Liber ſecundus, de quo, an iure ei adſcribatur, adhuc ſub iudice lis eſt. *Laertius* unum tantum memorat, de cura rei familiaris librum h), &, laudato *Fabricio* teſte, *Aretinus* ipſe ſupplevit, ſive addidit, poſt Caput ſextum, quatuor Capita de officio uxoris & mariti, quæ ex Latino poſt Græce vertit. *Iacobus Tuſanus*, *Aretinum* in Græco illa Codice reperiſſe, ratus, cui quoque aſſentiri videntur *And. Schottus*, *Voſſius*, *Samuel Petitus*, & ipſe *Eraſmus*. Vide citatum *Fabricium* in *Bibl. Græc. Lib. III Cap. 6 pag. 160.* Alteri additur Libro brevis vitæ coniugalis collaudatio, quam Editor verbis concludit ſequentibus:

Quis adeo ſtultus eſt & inſanus? ut tot tantisque commodis carere potius, quam tot animo frui voluptatibus, velit? Niſi qui ſolitudinem, orbitatem, generis interitum, & alienum heredem, optaverit.

Nunc ad annexas in primum Oeconomicorum venimus annotationes, in quibus Philoſophia, illorum temporum more, in tres dividitur partes, in Ethicam ſcilicet, Oeconomicam, & Politicam, quarum ſecunda, tanquam præcipua, de qua in iſto tractatur libro, fuſius proſequitur. Poſtea quatuor Oeconomicarum ponit ſpecies, quæ ſunt Regia,

h) Libro V, 22.

gia, Præfectoria, Civilis, & Privata. Tribus prioribus omiſſis, amplectitur ultimam, de qua ſolum in his duobus libris, a *Leonardo Aretino*, ut Editor putat, i) translatis, agitur, & remittit lectores ad *Iacobum Fabrum*, qui alium *Ariſtotelis* traduxit librum, quem Oeconomiarum publicarum appellavit. Loci, ex *Heſiodo*, *Euripide*, *Homero*, *Plutarcho*, *Cicerone*, *Plinio*, *Virgilio*, *Horatio*, aliisque, tam Græcis, quam Latinis, Autoribus, quin imo & ex ipſa Scriptura Sacra, hinc et inde ſparſi, haud inopportune citati, atque ad cuiusvis captum ſunt accommodati. Inducunt enim adoleſcentes ad modeſtiam, inſtruunt ignaros, minantur retractariis, conſulunt lapſis, pollicentur præmia obedientibus, omnemque ætatem vitiis deſueſcere tendunt. Annotationes in alterum librum, plerumque ad coniugium ſpectant, de quo & ipſe totus iſte agit liber. Multa occurrunt ſtolidi ſincerique amoris exempla, deſcribuntur probatæ virtutis atque caſtitatis mulieres, offendimus regulas, a coniugii cupidis obſervandas, multaque alia, quæ ad vitam pertinent coniugalem. Ne vero plura enumerando lectoris patientia abutamur, feſtinamus ad clauſulam, quam totam apponendam exiſtimamus, quia brevis non tantum eſt totius libri recenſio, ſed &, quod plurimum, argumento nobis eſt avthentico, librum iſtum eſſe re vera omnium, quos Polonia Græce typis expoſuit, primum. Clauſulæ vero tenor eſt iſte:

AD

i) Contrarium iam ex *Fabricio* probavimus.

AD LECTOREM.

Habes, optime Lector, Ariſtotelis Oeconomicorum libros, quibus adiecimus annotationes & locos ex Græcis Autoribus, Euripide, Heſiodo, & Homero, in his libris citatos, inſeruimus præterea textui literas alphabeti, & easdem annotationibus præfiximus, ut legenti tibi absque longa inquiſitione ad manum foret. Præterea Philoſophiam eſſe divinarum humanarumque rerum cognitionem, cum ſtudio bene vivendi coniunctam, ſi usquam alibi, ex his libellis, ſaluberrimis documentis plenis, & prope divinis, verum eſſe, facile intelligi. Tuum erit igitur, quicquid eſt noſtra induſtriæ, boni conſulere, & ſi quidquam ex noſtro labore emolumenti ad te redierit, quod futurum haud dubie confido, totum velim illud Clariſſimo viro, Domino Franciſco Bonero, Mæcenati noſtro, acceptum feras, cuius auſpiciis liber primus apud nos Græcus in lucem prodiit. Bene vale, & his interim fruere.

Cracovie per Mathiam Scharffenberg k).
III die Martii MDXXXVII.

His iſtam nunc quoque finio relationem, quam ex ſingulari in patriam amore, ut & alios, populi mei, meo incitem exemplo, tibi, benevole & cordate Lector, communicare ſum auſus.

Accipe

k) Cujus officina, quæ, ut ex variis libris, in ornatiſſima Bibliotheca *Zaluſciana* exſtantibus, patet, per totum fere Cracoviæ floruit Seculum, non ſolum inter celeberrimas atque optimas regni noſtri numeratur, ſed & ipſa cum tam famoſa *Halleriana* pro palma certare potuit, quod varia, quæ ex [illegible] iſta prodierunt, opera ſatis luculenter probant.

Accipe eam, tanquam primitias, benigno animo hilarique fronte. Deo T. O. Terque Maximo vitam & otium concedente & alia forte gratiora offerre licebit. Si quid alicubi non ex voto ſucceſſerit, corrige. Nec enim pigebit unquam, ſicubi hæſitavi, quærere, neque pudebit, ſicubi erravi, diſcere. Semper tamen, quod Madaurenſi illi Philoſópho oraculo erat, & mihi pro ſcopo erit. Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in caſu, eſt. Quo concludo, & te, benevole & cordate Lector, etiam atque etiam, ut faveas, rogo, ut valeas, iubeo.

IX.

MARCI VELSERI, CIVIS AVGVSTANI, AD CONRADVM RITTERSHVSIVM, ICTVM ALTORFINVM, EPISTOLA ANECDOTA.

LECTORI S. D. F. O. MENCKENIVS.

Miſit ad me nuper, pro inſigni, quam omnes admirantur, humanitate ſua, *Chriſtianus Gottlieb Schwarzius*, Altorfinæ Academiæ decus, aut ſidus potius, illuſtre, Epiſtolarum, a viris olim doctis ad æque doctos ſcriptarum, ſed nondum editarum, faſcem plenum & copioſum, quo ſi ita uterer, ut hinc fructus aliquis ad *Miſcellaneorum* meorum

orum lectores rediret, id facturum me, ipſo non ſolum non abnuente, ſed lubenter etiam liberaliterque concedente, idem Vir humaniſſimus ſignificavit. Quo igitur maius harum Epiſtolarum, ſive nomen & fama ſcribentium, ſive rerum, quæ, his continentur, rarior doctrina, ſpectetur, pretium ac decus eſt, hoc minori negotio a me impetrari paſſus ſum, ut e tenebris ſuis in lucem publicam exire præſtabiles has ſuperioris ætatis reliquias iuberem, &, ſi quid in his ſingulare ac lectu dignum ineſſet, id eorum, quibus aliquis iſtiusmodi deliciarum ſenſus eſt, uſibus permitterem. Neque vero ex hac, quam, ſpatio præcluſi, nunc unam damus, judicium facere de ceteris omnibus Te velim. Nam, ut omne hoc genus ſcribendi ita eſt comparatum, ut a variis vario excolatur, ita, ſi dixero, in his, quas deinde dabimus, Epiſtolis alias docte ſatis, alias multo doctius, alias doctiſſime, eſſe ſcriptas, non me falli hoc meo iudicio, tum, cum leges, intelliges.

CONRADO RITTERSHVSIO
S. P. D.
MARCVS VELSERVS.

Si brevis ſum, *Iſidorum* tuum imitor. Codicem Boicum uſui fuiſſe, gaudeo. Bene tectum & incolumem nudius tertius recepi. De reliquis epiſtolis, quas in Monachienſi Bibliotheca supereſſe ſuspicaris, nihil inaudivi. Fac, auctores huius rei diſtincte ſignificent, quid volumen illud præterea contineat, & quo numero exſtet. Tum operæ non parcemus. Sed vereor, rumorem ru-

mo-

morem tantum eſſe. Editionis conſilium laudare pergo, neque difficile erit, tam vendibili vino cauponem reperire, typographum inquam. *Baronii* quintum & ſextum Annalem, ſi apud vos ſunt, de quibusdam *Iſidori* locis conſulere ne pigeat, non pœnitebit. Tum vide, an non conſultum, unam & alteram pagellam impendere conferendis numeris epiſtolarum editionis *Billianæ* cum MS. quo nimirum facilius, ſi quis Lector in eiusdem ſeriei MS. alicubi aliquando incidat, diiudicare poſſit, an præter edita adſit quidquam. De moderatione in ea cauſa, quæ librum Italia & Hiſpania excludere poſſit, ſemel monuiſſe ſufficit. Non committes, ut me huius officii pœnitere debeat. Cogitationes de *Sulpitio*, *Gloſſario*, Geographicis, te poſuiſſe, opinor. Clariſſ. Collegam *Gentilem*, quem ſalvere iubeo, non etiam Francoford. Catalogi oſtendunt. Nam libri nondum comparent. Immodicis titulorum fulgoribus, ſi me amas, abſtinebis. Cui enim bono? An non olim dixi, ad populum phaleras? Vale. Auguſtæ Vind. Prid. Paſchæ, quod tibi felix precor, anno MDCIV.

* *

INDEX DISSERTATIONVM,

QVAE VOLVMINIS QVINTI PARTE SECVNDA CONTINENTVR:

I. Ç. O. N. Diſſertatio de Elia, auctore Epiſtolæ, ad Ioramum datæ, ad *2 Chron. XXI, 12.* Pag. 188-208.

II. IO. CHRISTIANI BIEL, Paſt. ad Ulr. & Ioh. Brunſuic. Obſervatio ad verba *Ezech. XVI, 8*, ואפרש כנפי עליך, *& expandi alam meam ſuper te.* 208-218.

III. PETRI ZORNII Diſſertatio de במות, ſive Mauſoleis veterum Ebræorum, poſthuma, Pag. 218-247.

IV. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Continuatio prima Supplementi in *Hadriani Relandi* Palæſtinam, eiusque *Lib. III* de urbibus & vicis, complectens reliqua literæ C, ac literas D, E, G, H. Pag. 248-328.

V. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI Epiſtola critica ad V. C. *Frid. Ottonem Menckenium*, de locis aliquot *Ovidii* & *Valerii Maximi*. Pag. 328-334.

VI. *P. Cornelii Severi* de Ætna Carmen antiquum, a præpoſteris *Ioannis Clerici* coniecturis vindicatum, ſtudio FRID. OTTONIS MENCKENII. *Pars altera.* Pag. 335-358.

VII. I. G. HAVPTMANNI, *Haynenſis*, de Satira Varroniana, ſeu Menippea, brevis Commentatio. Pag. 358-366.

VIII. IO. BOGVSLAI PROSCCHOWSKI, Art. Baccal. Notitia Libri Græci, omnium primi in Polonia typis excuſi. Pag. 367-374.

IX. MARCI VELSERI, Civis Auguſtani, ad *Conradum Rittershuſium*, ICtum Altorfinum, Epiſtola anecdota, cum Præfatione *Frid. Ottonis Menckenii.* Pag. 374-376.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS QVINTI PARS TERTIA.

LIPSIAE,
IN OFFICINA HAEREDVM LANCKISIANORVM
MDCCXLVII.

I.

PETRI ZORNII
HISTORIA CONCERTATIONIS
IN ECCLESIA
CONSTANTINOPOLITANA
DE QVÆSTIONE:
AN CHRISTVS MEDIATOR SIBI IPSE SATISFECERIT?

I.

Notatu utique digna ſunt illa verba S. *Auguſtini* 1), ſive, ut alii malunt 2), *Fulgentii: Unus Chriſtus ſacerdos, per quem ſumus reconciliati, templum, in quo reconciliati, Deus, cui reconciliati. Ni-*

1) Libro *de Fide ad Petrum Diaconum Cap. II.*

2) Liber *Auguſtini de Fide* ad *Petrum Fulgentii* eſt, certe illi adiudicatur in MS. Corbienſi, mille annis vetuſtiori, ut & in alio recentiore. Eius præterea nomine a *Ratramno* laudatur in libro *de Corpore & ſanguine Domini.* Meminerunt

Nimirum ſatisfactum eſt per Chriſtum iuſtitiæ divinæ, quæ una eſt communis omnibus tribus Deitatis Perſonis, & ſibi ipſi Chriſtus ſatisfecit, quia ipſe Deus eſt. Audire hic inter noſtrates fas fuerit *Ioannem Andream Quenſtedium* 3): Obiectum, cui ſatisfactio præſtita, ſolus Deus unitrinus eſt. Tota enim SS. Trinitas peccatis offenſa iraſcebatur hominibus, & ob iuſtitiæ ſuæ immutabilitatem, naturæ ſanctitatem, & comminationum veritatem, impune peccata dimittere, & citra ſatisfactionem homines in gratiam recipere, non poterat. *Toti ergo SS. Trinitati reconciliatum fuit per Chriſtum genus humanum.* Nec valet hic vetus Coccyſmus: *quod nemo ſibi ipſi poſſit ſatisfacere, vel reſpectu ſuimet mediare.* Nam, Rege Patre offenſo, offenditur & Filius; nihil tamen obſtat, quin Filius offenſus ex affectu miſericordiæ reum Patri conciliet. Hinc dicitur *2 ad Corinthios V, 19:* Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi ipſi 4). Et *ad Romanos V, 10*, dicimur reconciliati

etiam *Iſidorus* & *Honoratus Auguſtodunenſis* cuiusdam *Fulgentii* libri, qui fidei regulam continebat. Is non differre videtur ab eo, de quo nunc quæſtio eſt. Hæc obſervavit *Ludovicus Ellies Dupin* in *nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum Tom. III pag. 445.*

3) In *Syſtemate theologico Part. III pag. 326.*

4) Duo dicit Apoſtolus, unum, Deus erat ἐν Χριστῷ, in Chriſto, non ſaltem, ut in Sanctis, per gratioſam inhabitationem, ſed per perſonalem unionem. Confer. ad *Coloſſ. II, 9, ad Romanos IX, 5.*

Al-

liati Deo per mortem Filii eius 5). Hactenus *Quenſtedius*. Subiungere placet verba *Wolfgangi Franzii* 6): Aliud exagitat adverſarius *Valentinus Smalcius*, quod dicimus, Chriſtum Patri ſuo ſanguinem fudiſſe. Nihil nunc dico (inquit adverſarius,) quod *Franzius* pro lubitu ſuo vocem Deus pro Patre accipit, quod, etiamſi apud nos verum ſit, ei tamen, qui non tantum Deum pro Patre habet, ſed etiam Filium & Spiritum Sanctum, neſcio quomodo licebit. Reſpondemus: Chriſtus ratione ſuæ carnis habet Deitatem totam, adeoque Trinitatem ſuum Patrem, & tota illa fuit offenſa per peccatum hominis, toti igitur ſolvitur redemtionis pretium. Vide *Auguſtinum Quæſtione LI in Novum Teſtamentum*. Nec tantillum

Bb 2 ali-

Alterum: mundum reconcilians ſibi ipſi. *Reconciliavit igitur ſibi ipſi mundum non Deus Pater tantum, ſed etiam filius Dei*, qui caro factus eſt, quaſi diceret, *hic Deus in carne ſua habitans ſibi ipſi reconciliavit mundum.* Hinc præter *Auguſtinum*, ſive *Fulgentium*, iam laudatum, *Epiphanius Hæreſi LV:* Chriſtus ipſe victima, ipſe ſacrificium, ipſe altare, *ipſe Deus*. Vide hoc inſigne *Epiphanii* teſtimonium apud *Balthaſarem Bebelium Tomo poſteriori Antiquitatum Eccleſiæ in quarto poſt natum Chriſtum Seculo Evangelicæ & hodiernæ ὁμοψήφου pag. 121.* Atque ita Chriſtus θεάνθρωπος ſecundum aliam atque aliam rationem fuit læſa & placans perſona, atque ut offenſam ſolvens, ſatisfecit ſibi ipſi ut offenſo.

5) Dicimur a *Paulo* hoc in loco conciliati Deo, ſcilicet æterno Patri, per mortem Filii, non tamen aliis excluſis perſonis reliquis.

aliquem abſterrere debet *vetus veterum Arianorum obiectio, quod nemo ſibi ipſi aliquid poſſit ſolvere, ſicut etiam nemo poſſit apud ſe ipſum pro aliis intercedere.* Si enim una tantum eſſet perſona divina, quod adverſarii noſtri contendunt, & ea perſona per lapſum primorum parentum fuiſſet offenſa, ut & irata facta primis parentibus, quis, quæſo, ambas partes reconciliaſſet? Si dicunt, illam unam perſonam hoc feciſſe, & ex libertate plena ſuæ voluntatis hoc facere, tum regerimus, *etiam in Trinitate quantumvis mediator tamen potuit in ſolutione pretii analogum & ſimile aliquid ſibimet ipſi certo reſpectu præſtare.* Hæc *Franzius*. Subiungere libet verba *Cyrilli Alexandrini* ex eiusdem *Oratione altera de recta fide, habita in Concilio Epheſino, p. 258 Tomo III Conciliorum*, a *Philippo Labbeo* & *Gabriele Coſſartio* editorum: *κἂν ἱερατεύειν ἀνθρωπίνως λέγηται, ἀλλὰ δέχεται τὴν θυσίαν αὐτὸς θεικῶς ὁ αὐτὸς ὢν ὁμοῦ Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, etſi ſacerdotio fungi dicitur ſecundum naturam humanam, ſacrificium tamen oblatum ſuſcipit ſecundum divinam: eſt enim idem Deus ſimul & Homo.*

II. Quemadmodum autem ex hiſce, quæ præmiſimus, in hac quæſtione diſceptanda Chriſtianorum recte ſentientium ſententia ſatis luculenter apparet; ita nunc operæ pretium fuerit, ad *ipſam contentionis hiſtoriam* pervenire. Nimirum, indicio

b) In *Schola Sacrificiorum Patriarchalium ſacra Diſputatione XVI* §. *CXXXII ſeq.*

cio *Gerardi Ioannis Voſſii* 7), *Leo Allatius* 8) ex *Ioanne Cinnamo* 9) luculentum fragmentum promit, ad controverſiam pertinens, utrum, ſi dicatur, *Chriſtum non modo Deo Patri ſe obtuliſſe victimam, ſed etiam ſibi ipſi*, quatenus ὁ Λόγος, Verbum, eſſet Deus, inde conſequatur, *duas in Chriſto eſſe perſonas*, uti ex *Neſtorii* dictis recte colligebant Catholici. *Neſtorio* interim contendente, ſeſe duas quidem naturas agnoſcere in Chriſto, ſed unam perſonam 10): quemadmodum *ex actis Concilii*

7) *De Hiſtoricis Græcis Lib. IV Cap. XIX.*

8) In Præfatione *Rhetorum Græcorum* ad *Sophiſtarum Excerpta*, primo a ſe edita Romæ A. 1641.

9) Hic anno Chriſti 1180 claruit, & literis perſecutus eſt res geſtas *Ioannis Comneni*, Imperatoris Conſtantinopolitani, filiique eius, *Manuelis. Allatius*, qui ex *Ioanne Cinnamo* excerpſerat in dicta Præfatione, quæ huc pertinent, *Allatius*, inquam, in libro *de Pſellis pag. 24* ſcripſerat, in *Cinnamo* vertendo illuſtrandoque diu ſeſe exercere; ſed *Allatius* nunquam edidit *Cinnamum*. Primus *Cornelius Tollius Cinnamum* Græce cum verſione ſua notisque vulgavit. In hac editione *Tollii Lib. IV pag. 102* occurrunt excerpta illa *Allatii* ex *Cinnamo*, dicto loco tantopere a *Gerardo Ioanne Voſſio* paulo ſuperius laudata.

10) Multi Scriptores vel defendunt, vel excuſant, *Neſtorii* doctrinam, uti pluribus declaravimus *Tomo I Opuſculorum* noſtrorum *ſacrorum pag. 689.* Hiſce addimus Scriptoribus *Paulum Erneſtum Iablonskium* in *Exercitatione hiſtorico-theologica de Neſtorianiſmo*, *Maturinum Veyſſiere La-Croze* in ſingulari Epiſtola ad *Iablonskium*, quæ legitur in

cilii Epheſini cognoſcere eſt, modo quis legerit ea animis oculisque minime conturbatis. Hæc generatim de diſſentientium doctrina, quam ex ipſo *Michaele Theſſalonicenſi* 11) magis magisque explanare atque illuſtrare licet: Ὁ μέγας καὶ πρῶτος ἀρχιθύτης Χριςὸς προσφέρων μὲν καὶ προσφερόμενος ἐςὶν, ὀ προσδεχόμενος δὲ καὶ προσλαμβάνων ὁ αὐτὸς τὸ θῦμα, ἀλλὰ προσδεχόμενος ἤτοι προσλαμβανόμενος παρὰ τῦ πατρὸς, *magnus primusque archithyta Chriſtus offerens eſt & oblatus, non excepit vero, aut admiſit, idem ſacrificium, ſed tantum exceptum, aut admiſſum, eſt ſacrificium a Patre.* Porro *Nicetas Choniates* in *Theſauro orthodoxæ fidei*, uti ex argumentis librorum Theſauri *Nicetæ* apud *Bernardum Montfauconum* 12), &

in *Muſeo hiſtorico-philologico-theologico Bremenſi Vol. I Part. I num. II pag. 79 ſeq.* idemque in altera Epiſtola apud *Ioannem Albertum Fabricium Part. III Codicis Apocryphi Novi Teſtamenti p. 422*, & denique in *Hiſtoria Chriſtianorum Orientalium.*

11) Fuit hic magiſter Rhetorum, præceptor Evangeliorum, & magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Protecdicus. Huius *Michaelis* verba in medium a nobis allata leguntur in huius *Confeſſione*, in qua ſub finem vitæ errorem hunc aliosque errores retractavit & repudiavit. Vide *Leonem Allatium de Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione Lib. II Cap. XII §. V pag. 691*, & *Ioannem Albertum Fabricium Bibliotheca Græca Vol. X pag. 231.*

12) In *Palæographia pag. 322 ſeq.*

& *Ioannem Albertum Fabricium* 13), videre licet, Τόμος κδ΄. περὶ τοῦ δόγματος τοῦ σὺ εἶ ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος, λαληθέντος ἐπὶ τοῦ βασιλέως κυροῦ Μανουὴλ τοῦ Κομνηνοῦ, *Tomus viſimus quartus*, de illo dogmate: *tu es offerens & oblatus* 14), quod ſub Imperatore Domino *Manuele Comneno* prolatum eſt.

III. Intelleximus adverſariorum ſententiam; nunc addemus ipſa adverſariorum nomina. Nimirum ſub Imperatore *Manuele Comneno* veluti non recte de fide ſentientes urbe agroque Conſtantinopolitano eiecti ſunt *Nicephorus Baſilaca*, 15) *Sotericus Panteugenus* 16), *Michael Theſſalonicenſis* 17), & *Euſtathius Dyrrhachenus* 18). Au-

13) *Bibliotheca Græca Vol. VI pag. 428.*

14) Conferatur etiam de hac controverſia *Nicetas Choniates* in *Lib. VII de rebus geſtis Emanuelis Imperatoris pag. 137.*

15) Rhetorices Profeſſor fuit Conſtantinopoli, & *Pauli* Epiſtolas interpretatus eſt.

16) Apud *Nicetam Choniatam* in *Hiſtoria Byzantina pag. 137* hic *Soterichus Panteugenus* appellatus Theopolitanus, hoc eſt, magnæ Antiochiæ Epiſcopus ὑποψήφιος, hoc eſt, ſuffragiis electus, licet Epiſcopatum adire non potuerit, uti ex *Ioanne Cinnamo* videre licet apud *Ioannem Albertum Fabricium Bibliotheca Græca Volumine VI pag. 400.*

17) Vide paulo ſuperius *Notam 11.*

18) Vir doctus itidem, ſed ob hæreſin in exilium miſſus. Confer *Allatii* Præfationem ad *Excerpta Rhetorum.*

diarius Auctorem MS. apud *Leonem Allatium* 19): τούτῳ μέν τοι τῷ Μιχαὴλ συνεφρόνησαν καὶ συνέπαθον ἐν τῷ ῥηθέντι δόγματι καὶ Νικηφόρος ὁ Βασιλάκης διδάσκαλος τῶν ἐπιστολῶν, καὶ Εὐστάθιος μητροπολίτης Δυῤῥαχίου, καὶ Σωτήριχος ὁ Παντεύγενος ὑποψήφιος τοῦ πατριαρχείου τῆς Ἀντιοχείας, ἄνδρες πολλοὶ τὴν σοφίαν καὶ παντοδαποὶ τὸν λόγον ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ Κομνηνοῦ Μανουήλ, cum hoc *Michaele* idem ſenſerunt, & prædictum dogma amplexati ſunt; *Nicephorus Baſilius*, Epiſtolarum Magiſter, *Euſtathius* Dyrrhachenus, & *Sotericbus Panteugenus*, Patriarchatus Antiocheni Hypopſephius, viri ſapientia celebres, & ſermone omnigeno ſub imperio *Manuelis Comneni*. Quid multa? Addimus *Concilium Conſtantinopolitanum* adverſus *Soterichum Panteugenum*, Antiochiæ Syriæ hypopſephium electum Epiſcopum, & quosdam alios, qui dicerent, *divinum ſacrificium ſoli Patri & Spiritui Sancto, non etiam verbo, offerri, cum ſit ipſum offerens, inquiebant: ne duæ in Chriſto Perſonæ inducantur*. Præfuit Synodo *Lucas*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, plurimis adſidentibus Metropolitis. Decretum Synodale recitat, & rem totam narrat, *Leo Allatius*, in *Vindiciis Synodi Epheſinæ pag. 582*, ex *Niceta Choniate* & *Ioanne Cinnamo*. Datum illud Decretum 26 Ianuarii anni 6674, ab O. C. Chriſti nempe 1166, anno 23 *Manuelis* Imperatoris. Denique idem *Leo Allatius* in *Vindiciis di-*

19) *De Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione Lib. II. Cap. XII §. V p. 691.*

dictis Synodi Epheſinæ pag. 596 edidit fragmentum breve *Ioannis Damaſceni*, ſervatum a *Niceta Choniata Lib. XXIII Theſauri*, ubi diſputat contra *Soterichum Panteugenum, qui, ſacrificium Patri ſoli offerri a Filio, docebat.* Incipit ὁ τῶν ὅλων θεός.

II.

GOTTLOB FRIDERICI GVDII,

V. D. M. LAVBAE LVSATORVM,

DISSERTATIO CRITICA

PRO

HILLERIANA SENTENTIA

DE

ORIGINE ET SENSV

τοῦ

כתיב & קרי.

I.

Quas in *Veteris Teſtamenti* Codice circello notatas videmus voces, non unius *Critici* oculos & operam in ſe converterunt. Suarum enim partium eſſe merito credebant, ut Scriptores ſacros ab halucinationibus, ſcripta vero eorum ab incertitudine ſenſus, vindicarent. Cui duplici criminationi voces illæ locum facere videbantur. Quandoquidem, quæ in textu conſpicitur, ſcriben-

di ratio ab analogia grammatica non raro aliena eſt, ut pronuntiari, nedum explicari, nequeat; alia ſcribendi ratione commendata ab iis, qui tabularum ſacrarum margini notas criticas adiecerunt. Ergo de reſtituenda genuina vocum lectione iis laborandum erat. Neque ſimplicem ſententiam excogitarunt, qui de *origine & ſenſu vocum*, quæ כתיב & קרין ſalutantur, ſolliciti fuerunt. Quibus quidem recenſendis in præſenti ſuperſedemus, poſtquam venerabilis Lubecenſium ſacrorum Præſul, *Io. Gottlob Carpzovius*, otium nobis fecit, labore iſto in *Critica* ſua *ſacra P. I Cap. VII* perfunctus. Silentio tamen præterire non poſſumus, in diverſum plane cenſum venire, quæ hac de re iudicia prolata ſunt. Quo quis enim animo in ſacrarum tabularum divinam auctoritatem fuit affectus, eo magis, vel minus, divinitati illi conatibus ſuis conſulere laboravit. Quotquot vero indagandæ huic rei operam navarunt, iis omnibus palmam præripuiſſe videtur *Matthæus Hillerus*, orientalium linguarum, donec in vivis ſuperſtes erat, callentiſſimus, & in Tubingenſi Academia Doctor publicus a). Quippe qui, relictis, quæ hactenus calcatæ erant, viis, novum prorſus iter excogitavit, viamque, nondum ſtratam, & a nemine adhuc tritam, petiit, ut ad veritatis metam pervenire, & ad eam alios ſecum ducere, poſſet.

II. Scilicet admiranda prorſus *ἀγχινοία*, & in-

a) Cuius vita Cel. *Pfitzeri* ſtilo recenſetur in *Bibliotheca ſelecta theologica P. XV pag. 260.*

inuſitato plane ſtudio, adiutus, in eam is pervenit ſententiam, *ut, voces, circello notatas, diverſarum ſcriptionum ſymbola eſſe, crediderit, quas in diverſis voluminibus ab Esdra manu exaratis obſervarint viri ſanctioris linguæ peritiſſimi & ſtudioſiſſimi, ipſi tam coævi, quam ab ævo illius non longe remoti; in notis margini adſcriptis docentes, qua ratione ſymbola illa, monſtroſarum vocum ſpeciem utplurimum præ ſe ferentia, interpretari debeant lectores, & quæ diverſa vocum lectio modo vocalium, modo conſonantium, ductu per ſymbola indigitetur* b).

III. Dici non poteſt, quam divino huic viro Scripturæ ſacræ auctoritas curæ cordique fuerit. Hac ipſi nihil ſanctius, nihil antiquius. Quam ut ſartam tectamque ſervaret, eiusmodi quærebat ſententiam de diverſis illis ſcribendi generibus, per quam illa perſiſteret illæſa. Voto enim & inſtituto ſuo ſententiæ, hactenus in medium allatæ, nondum ſatisfacere videbantur c).

IV. Suam vero ſententiam excogitandi anſam ipſi præbebant loca, quæ in tabulis ſacris plus vice ſimplici literis mandari curavit ſummum Numen. Quorum primas facile tenet *Pſalmus XVIII*, & *Capiti XXII Libri poſterioris Samuelis*, & *Cantionum ſacrarum Libro*, diverſis temporibus inſertus. Hæc enim loca, quotiescunque repetita legerat, ſenſu quidem ſibi invicem ex aſſe re-

b) Vid. *Hilleri* librum *de Arcano Kethib & Keri p.* 13.

c) Vid. *l. c. p.* 7.

reſpondere; vocum tamen quarundam & literarum ratione diſcrepare viderat. Inprimis, duplicem citati *Pſalmi ſcriptionem nonageſies & amplius* diſcrepare, invenerat; id quod lectoribus ad oculum demonſtrat. Quandoquidem, *literas, vocalesque, & integras voces alterutra vice modo additas, modo ablatas, modo permutatas, modo transpoſitas, fuiſſe*, obſervaverat d); eandemque mutationem *reliqua* etiam *loca* ſubiiſſe, quæ in ſacro Codice repetita leguntur e). *Quia*, ipſo iudice, *in Spiritus Sancti arbitrio poſitum erat, mentem ſuam, quibus vellet, verbis, & qua ſcribendi ratione ipſi placeret, exprimere.*

V. Ex quo tandem ſuſpicatus eſt *Hillerus, eadem quoque libertate uſum fuiſſe Spiritum Sanctum, cum integrum V. T. Codicem deſcribere Esdram iuſſerit.* Ut modo *aliis alias voces ſubſtituerit; modo verbis & nominibus alias formas induerit; modo aliam voces ſcribendi* rationem uſurpaverit. *Ne vero, quod ſemel inſtinctu & inſpiratione Numinis ſcriptum e ſacro Codice periret; ipſius Esdræ ætate, vel certe illi proxima, viros zelo & pietate plenos in eam curam totis viribus & ſtupenda diligentia incubuiſſe*, credit Hillerus, *ut lectiones haſce diſcrepantes, quarum aliæ a prima, aliæ a ſecunda, divini notarii manu venerint, uno quodam ſymbolo in textu poſito com-*

pre-

d) Vid. *l. c. pag.* 14.

e) *Ibid. pag.* 22.

f) Vid. *l. c. pag.* 25.

prehenſas in apographis ſuis ad poſteritatis memoriam transmiſiſſe g).

VI. Sed vero huic coniecturæ fidem nondum præbuiſſet ſagaciſſimus Auctor, niſi, ſingulas voces, quas in codice ſuo, & Maſoræ finalis ductu, circello notatas deprehenderat, ad illius regulam reſolvi poſſe, inveniſſet g). Hanc autem convenientiam intelligens, ſententiam ſuam *probabilem* dicere non dubitabat; eamque cum erudito orbe communicare haud verebatur h). Exemplorum enim inductione nititur probabilitas omnis, eo maiori aſſenſu digna, quo cum pluribus exemplis hypotheſis conſpirat i).

VII. Nec inficias ire poſſumus, hoc ad invertum, cum foras emitteretur, ſtupuiſſe omnes, & inventoris operam devoratam non minus, quam ἀγχίνοιαν illius, divinam prope, admiratos fuiſſe, qui *Maſorethaurum* labores huc usque fuerant mirati. Unus enim *Hillerus* reſtituiſſe laudabatur vocum iſtarum originem, ſcopum, & ſenſum, qui per tot ſecula obliteratus pæne fuerat & ſepultus. Licet ignorantiæ illius cauſa non tam Iudæorum & Chriſtianorum incuriæ, qui

g) Vid. *l. c. pag.* 2.
h) Edidit *libros* ſuos *duos de Arcano Kethib & Keri* Tubingæ A. 1692. Recenſentur in *Actis Eruditorum Anno 1693 pag.* 425.
i) Vid. *Rüdigeri Senſum veri & falſi pag.* 426: *Probabilitas eſt ratiocinatio, qua ex plurium ſenſionum convenientia in ſuppoſitione quadam, ſenſui immediate haud obvia, concludimus certitudine omni exceptione haud maiore.*

qui Hebrææ linguæ operam dederant; quam potius myſteria venandi pruritui, Iudæis ſolenni, & labori, quem explicando & vindicando Scripturæ ſacræ Codici impendere oportebat Chriſtianos; imo etiam quorundam doctorum præiudiciis, in divinam Scripturæ ſacræ auctoritatem tantum non ſemper iniuriis, tribuenda fuerit. *Wagenſeilii* laudes, quibus inventum illud excepit, ipſe præmiſit libro ſuo *Hillerus*. In *binis epiſtolis* ille affirmavit, *non ſine divino afflatu illud ipſi in mentem veniſſe.* Cui in præſenti *Io. Henr. Heideggeri* iudicium addere placet, *Nulla*, inquientis, *tam ingrata & immemor beneficii poſteritas erit, quin Hillerum alterum velut Oedipum ſublatarum tot difficultatum, integritatis codicum originalium vindicatæ, & arcani conſpirantium in eundem ſenſum lectionum variantium reſerati, laudibus ad tertium uſque cœlum ferat* k). Quibus iudiciis ſubſcripſit *Henr. Bened. Starckius* in *Luce* ſua *Ebræa pag.* 2 *b*, *Hilleri Arcanum, ingenioſum, & nunquam ſatis laudandum opus* appellans & affirmans: *Quisquis nobile illud inventum recte diſpexerit, facile ei applaudet, ſibique & aliis de illa ſcientia, ſpiſſis antebac tenebris involuta, gratulabitur, nec cum excellentiſſimo Wagenſeilio credet futurum, qui in controverſiam vocaturus ſit rem tam dilucide oculis expoſitam.*

VIII.

k) Referente *Io. Ge. Schelbornio* in Schediaſmate *de eximiis Suevorum in literaturam orientalem meritis* §. 9, inſerto *Amœnitatibus literariis Tom. XIII pag.* 197.

VIII. Id autem, quod celeberrimus *Wagenſeilius* in *epiſtola ad noſtrum data* præcinit: *paucos repertum iri, qui inventum illud vero pretio æſtimare poſſent, atque arduitatem eius aſſequi*, opinione citius evenit. Criticis enim dubiis ſolvendis minime idoneum illud eſſe, pronuntiarunt Viri quidam ſummi. Præſertim *Meyerlinus* quidam in ſe recepit demonſtrandum, *Hilleriani Syſtematis fundamentum dubium, incommodum, falſum, novis regulis, nullam veritatis ſpeciem habentibus, & integritatem textus ſacri diſturbantibus magis, quam conſervantibus, niti; totumque hoc arcanum eſſe lubricum, imperfectum, minus cautum, & per iuſtas ſequelas periculoſum* l). Et, cum celeberrimus *Clericus Hilleri* noſtri *Hierophyticon* in Ephemeridibus ſuis literariis, quas inſcripſerat: *Bibliotheque ancienne & moderne, Tom. XXIV P. I pag. 58* recenſeret, huius etiam inventi non ſine cenſoria virgula mentionem iiciebat, *C'étoit*, inquiens, *un homme, qui s'étoit fort appliquè à l'étude des Langues Orientales, & ſur tout de celle des Hebreux. Quoique ces Livres ne fuſſent pas de l'uſage de tout le monde, & que l'Auteur y ſoit ſur tout dans le premier (de Arcano Ketbib & Keri,) peut être trop attachè aux ſentimens de Buxtorff; on ne laiſſoit pas d'y voir un genie propre à approfondir les matieres, qu'il traite.*

IX.

l) Recenſente *Reimanno* in *Catalogo Bibliothecæ ſuæ theologicæ Tom. I pag. 625.*

IX. Hiſce igitur iudiciis adeo diſſonis de hoc invento latis, mens mea non heri, aut nudius tertius, fluctuare cœpit; ſed mecum etiam conſtitui, rationes, quibus inventum illud niteretur, & quibus illud aggrederentur adverſarii, ſub incudem revocare, & tentare, utrum illud ab iniectis telis vindicari poſſet. Haud enim temere deſerendam eſſe ſententiam duxi, quæ mihi non tam per ſummorum virorum applauſum, quam per exemplorum, ſive ſenſionum, conſenſum, firmo talo ſtare videbatur. Neque diſſentientibus viris inſtitutum meum diſplicere poſſe timebam; quorum quidem laudibus, & in rem literariam meritis, nunquam non aſſurgo, quorum tamen indicta inquirendi libertatem mihi ſervavi.

X. Quod itaque fauſtum ſit ac felix, perluſtremus argumenta, quæ *Hilleriano Syſtemati* oppoſuit Vir laudibus noſtris maior, Lubecenſium ſacrorum Antiſtes primarius, nec minus de re literaria, quam de cœtu puriori doctrinæ addicto, meritiſſimus, Summe Reverendus *Io. Gottlob Carpzovius*, in laudata ſua *Critica ſacra V. T. p. 335 ſeq.*, et quæ clariſſimus *Petrus Chriſtianus Kæmpfferus*, Orientalium linguarum doctor Roſtochienſis, in Diſſertatione ſua critica *de origine atque indole τῦ Keri & Chetibh*, Roſtochii A. 1739 habita, repetiit. *Perluſtremus*, inquam, *haſce rationes*, &, *an earum cauſa Hillerianum Syſtema aſſenſu ſit indignum*, diſpiciamus. Præter hos enim Duumviros, qui adverſus *Hilleri* inventum

aci-

aciem ordine inſtruxerit, me prorſus fugit. Nec mihi conſtat, an promiſſis ſuis ſteterit *Meyerlinus*.

XI. *Primum*, quo ab adverſariis *Hillerianum* *ἐυρημα* petitur, *telum* deſumtum eſt *a ſcriptorum vetuſtorum ſilentio*, *quod complura Codicis ſacri exemplaria manu ſua deſcripſerit Esdras. Licet enim is ampliſſimis cum encomiis* ס׳ פ׳ *in Scriptura ſalutetur; ea tamen propter non nudo ſcribendi officio, ſeu partibus librarii, defunctus eſſe cenſendus eſt, quod* סופרים *legis potius periti eſſent, atque interpretes. Parum ſane magnifice*, inſtat *Carpzovius*, *de Esdra ſentiunt, qui, maximam vitæ partem deſcribendis tantum ſacri Codicis exemplaribus eum transegiſſe, autumant, in quo librarii multi paria cum ipſo facere facile potuerint. Longe graviores ille pro eccleſiæ reducis reſtauratione voluit curas, auguſtiores longe exantlavit labores, maiora omnino eius in univerſam gentem ſuam proſtant merita, quam ut, ſacra volumina iterum atque iterum deſcribendo, tantorum nominum menſuram impleviſſe dicendus ſit.*

XII. Quæ diſputata quidem certo modo concedenda ſunt. Deſideramus *teſtimonium Scriptorum ſacrorum æque* ac *Ioſephi*, in quo, *Esdram* nonnulla ſacri Codicis exemplaria manu ſua deſcripſiſſe, perhibuerint. Id vero ſilentium *Hillerianam* hypotheſin veriſimilitudine nondum privat omni. Cum, quæ de *Esdræ* ſacrum Codicem deſcribendi opera ſilentio prætererunt ſcriptores, ex *offi-*

 cii,

cii, cui præerat *Eſdras*, *ratione*, & *Iudaicæ eccleſiæ* in *patriam reducis ſtatu & moribus*, colligi poſſint. Prædicatur *Eſdras Cap. VII*, *6*, *10*, *12*, *ſacerdos*, & *divinæ legis ſcriba*; laudatur *eius ſtudium divinæ legi invigilandi*, *eamque docendi*. Hiſce vero laudibus bene congruit, quod ſacri Codicis tabulas manu ſua deſcripſiſſe *Eſdras* credatur. Legis enim deſcriptio nec a *ſcribarum*, nec a *ſacerdotum*, munere aliena erat; quamvis ad eos *non nuda legis deſcriptio*, *ſed quoque interpretatio*, pertinuerit m). Quippe quæ ſine illius ope ætate illa fieri non poterat, quæ artem typographicam deſiderabat. Maximi etiam momenti res credebatur, ſacrum Codicem deſcribere, ut negotium illud non cuivis facile librario, ſed religioſis & prudentioribus viris, committerent. Auctor eſt *Ioſephus* n), *Iudæos curaſſe*, *ut*, *ſi propter ingruentia bella ſcripturæ veteres diſſiparentur*, *pace reddita a ſuperſtitibus* ſacerdotibus *recognoſcerentur & inſtaurarentur. Nec enim cuivis permiſiſſe*, *ſcripta de rebus ſacris edere in vulgus*, *ſed vatibus tantum*, *qui Dei inſtinctu præterita*

m) Vid. *Goodwini Moſes & Aaron pag. 66* edit. *Reitzii*. Quam ſolliciti fuerint Iudæi in deſcribendo *Codice ſacro*, ut alios nunc taceamus, ediſſerit *Io. Iac. Quandt* in Diſſertat. *de Atramento Hebræorum §. 10 ſeq.*

n) *Lib. I contra Apionem §. 6*, *7*, *8*, citante *Io. Henr. Maio* in Diſſertat. *de Conſignato Canone Scripturæ §. 3.* Videantur etiam loca, quæ ex eodem libro excitat *Frickius de Cura eccleſiæ veteris circa canonem Scripturæ ſacræ §. 4 & 10.*

terita & præſentia ſcirent. Hinc, *non innumeros diſcordesque inter ſe ac pugnantes libros ſibi eſſe, ſed* XXII *ſolum, omnem ante acti temporis hiſtoriam continentes.* Tantum igitur abeſt, ut infra *Esdræ* dignitatem ſacri Codicis deſcriptio dici poſſit, ut potius eum hic labor quam maxime decuerit. Ecquid autem hoc labore ſanctius & gravius dici poterat? eo imprimis ævo, quo ſacri Codicis integritati proſpiciendum erat, ſi forte illa Iudæis extorribus temerata fuerit. Huius accuratior recenſio & deſcriptio divinum afflatum ſibi poſtulabat. Sacrorum enim Auctorum Codices αὐτόγραφοι, quorum ad amuſſim volumina recens deſcripta revocari debuiſſent, Iudæis patriam ſuam repetentibus, non amplius ſupererant; ſed una cum *Arca fœderis*, cuius ad latus aſſervati fuerant o), deſiderabantur. Hinc non librariorum turbæ mercede conductæ aſſociavit *Esdram Hillerus*, ſed divini vatis auctoritatem ipſi aſſeruit, &, prouti decebat, *admodum magnifice de ipſo ſenſit*, Iudæos ſecutus, qui, *Frickio* teſte p), uno ore docent, *Esdram ſacri canonis*

 in-

o) Conferatur *Io. Henr. Maii* Diſſertatio *de Libris canonicis in arca fœderis reconditis*, quæ in eiusdem *IV Diſſertationibus de Scriptura Sacra* ſecundum locum occupat, *pag. 51*.

p) *Lib. cit. §. 11 pag. 28.* Procul dubio *Clementis Alexandrini* narrationem, quam a Iudæis hauſerat, in mente habuit *Frickius*. *Libro I Stromatum pag. 342* ſcriptum is reliquit: Κὰν

inſtauratorem fuiſſe, qui disiectos antehac in captivitate Babylonica libros ſacros denuo collegerit, ordinaverit, & e primis & authenticis exemplaribus, ſi tamen haberi poterant, aut certe aliis optima notæ Codicibus deſcriptos reviſosque publicaverit --- Neque vero humanam ſolum attuliſſe induſtriam, ſed, cum eſſet Propheta, lumen habuiſſe plane divinum, quo menda, ſi qua forte in Codices ſacros tempore cladis exiliique irrepſerint, non coniecturis, ſed infallibili certitudine, correxerit. Quamvis enim libri, qui *Esdræ* nomen in fronte gerit, eiusque *quartus Liber* fraudulenter inſcribitur, νοθείαν agnoverit *Frickius*, eamque ob cauſam *ſacrorum librorum omnium una cum urbe combuſtionem factam, pariter ac eorum reſtitutionem, per divinam inſpirationem Esdræ* conceſſam, quam falſarius illius libri auctor confinxit, in dubium merito vocaverit q); haud tamen diffitetur,

Κἀν τῇ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ, διαφθαρεισῶν τῶν γραφῶν, κατὰ τοὺς Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως χρόνους, ἐπιγνοὺς Ἔσδρας, ὁ Λευίτης Ἱερεὺς γενόμενος προεφήτευσε γραφάς, h. e. *etiam in captivitate Regis Nabuchodonoſor cum periiſſent Scripturæ, Esdras ſacerdos, temporibus Artaxerxis, Perſarum Regis, afflatu omnes veteres iterum renovans prophetavit Scripturas.* Ad idem teſtimonium provocat *Clericus* in *Arte Critica P. III Sect. I Cap. II §. 3.* Conferatur quoque *Sam. Kripneri* liber *de falſis Prophetis pag.* [illegible]

q) *In citato libro §. 3.*

tur, quod ad ſacri canonis per Chaldaicam cladem diſiecti novam collectionem & accuratiorem recenſionem in ipſa Dei Spiritus Sancti ſchola, immediato afflatu abundantiſſime edoctus, & praeparatus, acceſſerit Esdras.

XIII. Ecquis vero ex hiſce dictis non perſpiciat, *Scriptorum ſilentium*, quod *Hillero* oppoſuit *Carpzovius*, tantum detrimentum ſententiae illius nequaquam inferre, quantum illud inferre debebat? Cum ſilentium illud per alias circumſtantias compenſetur. Ex quibus idem fere efficitur, quod ex Auctorum teſtimoniis exſpectabatur. Quam ob rem *nudus ingenii luſus Hilleri εὕρημα* immerito audit; e contrario iure ſuo dignum eſt, quod *hypotheſis ex rei circumſtantiis per ratiocinandi artem eruta* dicatur. Id tamen haud confidentius affirmaverim, ſymbola illa duplicis ſcriptionis ex *duplici Codice*, ab *Esdra* deſcripto, conflata eſſe; ſed *Carpzovio* r) lubentius aſſenſus fuerim, ſymbolorum illorum auctores Codicem melioris notae, ex *Babylone* reportatum, cum Codice, Hieroſolymis ab *Esdra* (quod *Hillero* facile largior,) deſcripto, comparaſſe, &, quibus in locis alter Codex ab altero diſcrepet, ſymbolis illis annotaſſe. Ex quo ratio apparet, propter quam non niſi *duorum Codicum* varietates in iis fuerint obſervatae.

XIV. Gravioris momenti eſt *alterum* dubium, quod adverſus *Hilleri* ſententiam movet

r) Vid. eiusdem *Critica pag. 343.*

Carpzovius. *Ipſi* enim *Spiritus Sancti conſtantiam in iis, quæ ſemel inſpiravit, ſollicitare* videtur *Hillerianum* ſyſtema. *Fidem*, inquit, *non facile impetrat, Spiritum Sanctum, qui per primos amanuenſes unam tantum & ſimplicem adhibuerat lectionem, poſt multa ſecula variam diverſamque Esdræ manu data opera textui inſerere valuiſſe -- Sibi ſemper & ubivis in verbo ſuo conſtans Deus hoc pacto quam optime & immutabilitatis ſuæ ἄυχημα tuebitur, & infirmitati pariter ac ſimplicitati fidelium conſulet, & petulantium denique ingeniorum proterviæ obicem ponet; ſi ſartum tectum per omnia ſecula ſervaverit verbum ſcriptum, nec vocem aliquam in eo vel intercidere paſſus fuerit, ac perire, vel mutationem quandam ſubire, talem cumprimis, quæ genio & analogiæ linguæ adverſetur, & manifeſtam ſapiat corruptionem.* Qua in obiectione Cel. *Wolffium* in *Bibliotheca Hebraica* præeuntem habuit *Carpzovius.*

XV. At vero telum hoc iam dudum prævidit *Hillerus*, illudque in *Arcano* ſuo *pag. 23* retudit. Scripturæ ſacræ certitudini enim ne officere, eiusque ſenſum cerei naſi ad inſtar flectere, videretur, ſapienter loco citato monet: *Quod autem, quæ ſemel tradita ſunt in Scripturis, mutatis vocabulis repetuntur, non ideo factum cenſeri debet, ut, quod primum a divinis viris incultius ſcriptum, ſecundis poſtea curis corrigeretur. Abſit vero, abſit, ut de verbis Dei viventis tam exiliter ac ſiniſtre ſentiamus. Ipſe enim optimus dicendi*

cendi

cendi magiſter Deus, tam res, quam verba, amanuenſibus ſuis Prophetis inſpirans, nihil ſcribere eos paſſus eſt, quod ſcriptum aliquando nollet. Sed, quia poſitum erat in Sapientiſſimi Auctoris arbitrio ac poteſtate, mentem ſuam, quibus vellet, verbis explicare; nos quidem ad verba ſemel revelata, literisque comprebenſa, ita adegit, ut ne latum quidem unguem ab iisdem recedere cuiquam noſtrum liceat. Ipſe autem, animi ſui ſenſa declarando, variis modis rem eandem elocutus eſt. Neque aliud, niſi omnia me fallunt, initium fuit lectionum variantium in Codicibus V. T., qui manibus populi a Babylonica captivitate reducis terebantur &c.

XVI. Hiſce igitur monitis ſufficienter cavit *Hillerus*, ut Scripturæ ſacræ adverſariis frigidam ſuffundere videretur. Mutationes enim, quas in ſacri Codicis exemplaribus obſervarunt ſymbolorum Auctores, *uni Spiritus ſancti arbitrio* reliquit, *eundemque ſenſum eas omnes reddere* demonſtravit. Quamvis de rationibus, ob quas hæc, vel illa, leviter mutaverit *Spiritus Sanctus*, haud temere pronuntiaverit, nec facile pronuntiari poſſe, nos oporteat confiteri. Forſitan & *orthographiæ*, & *dialectorum*, & *vocabulorum*, *uſus*, ante & poſt Babylonicam captivitatem diverſi, quibusdam in locis habuit rationem. Sicut enim ad *amanuenſium ſuorum temperamenta* ſtilum ſuum accommodaſſe tuto creditur *Spiritus Sanctus*; quid obſtat, quo minus credatur, *Spiritum Sanctum* quoque notariis ſuis libertatem permiſiſſe,

in *formandis vocum terminationibus* ſeculi ſui morem ſequendi; imo *vocibus*, quas ætate ſua *pro obſcœnis* habebat uſus, alias ſubſtituendi, quas tunc pro *honeſtis* habebat hominum opinio. *Dialectos* enim *vocum*, & *orthographiam* s), imo *vocabulorum uſum*, temporum mutatio permutat t). Sufficit, quod *Spiritus Sancti* conſtantiam ſartam tectamque relinquant illæ diſcrepantiæ, nec a mente ſua ullo tempore receſſiſſe *Spiritus Sanctus* dici poſſit, nec vel genio & analogiæ linguæ adverſetur, vel contrarium ſenſum ſuppeditet, vel ſcriptorum corruptionem prodat mutatio ulla. Dicunt pro *Hilleri* ſententia *nonginta & amplius* exempla, quæ cum *grammatica analogia* optime conſpirare is docuit u). Neque unquam in mentem ſuam *Hillero* veniſſet hæc coniectura, niſi *Pſalmus XVIII*, & *alia loca*, quæ *pag*. 22 allegavit, hæc cogitandi anſam ipſi præbuiſſent. Manifeſtis autem & indubitatis hiſce exemplis edoctus, quod *Spiritui Sancto, verba ſua repetenti, iiſdem vocibus, literis, & apicibus, inſiſtere, non ubi-*

s) Conferantur *Io. Dan. Kieslingii* doctiſſimæ tres Diſſertationes *de Dialectis Ebræorum*, Lipſiæ A. 1712 & 1714 editæ.

t) Id quod *Cicero de Officiis Lib. I Cap.* 12 exemplo vocabuli *hoſtis* probat, *Qui proprio nomine*, inquiens, *perduellis eſſet, is hoſtis vocatur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. Hoſtis enim apud maiores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.*

u) Videatur Auctoris *Arcanum pag.* 25 & 415.

ubiuis placuerit; non abſque omni prorſus ratione iudicavit, potuiſſe *Spiritum Sanctum in aliis quoque locis eadem libertate uti, cum volumina ſacra vel ſecunda, vel tertia, vice deſcribi curaſſet.*

XVII. Secundæ huic ſuæ obiectioni ut eo maius pondus adderet *Carpzovius*, negatum ivit *tertio loco, exempla omnia* τῶν *Karian* & *Catban ita comparata eſſe, ut vel ad hypotheſin hanc commode examinari, vel in eundem ſenſum redigi, queant.*

XVIII. Quo exemplorum diſſenſu ſi laboraret *Hilleri* ſententia, fide omnino indigna eſſet: Exemplorum enim conſenſu innititur; illoque ſubruto, ſimul deſtruitur ſententia. Ad hunc enim perpetuum conſenſum plus vice ſimplici provocat *Hillerus.* Statim ſub libri ſui initium *pag.* 2 is affirmat: *Non in eo proprii cerebelli commenta, ſed, quod ſolidis rationibus, & perpetua exemplorum inductione, concluderetur, ſecuti ſumus.* Idem *pag.* 9 monet: *Illa ſententia, quæ nunc corruptis, nunc prodigioſis, vocabulis ipſum Chetibh annumerat, fortuito caſui, & inſcitiæ ſcribarum, tribuit, quod tamen, ut innumeris pæne exemplis probabitur, certis legibus adſtrictum, & admirabili artificio excogitatum eſt. Hoc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo, cur non idem putet, ſi innumerabiles unius & viginti formæ literarum, vel aureæ, aliquo coniiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis Annales Ennii, ut deinceps legi poſſent, effici: quod, neſcio, anne in uno quidem verſu*

ſu poſſit tantum valere fortuna. Præterea ex multorum exemplorum inductione *p. 186* concludit: *Vides, exempla omnia examuſſim regulis congruere, quod argumento ſit, iſta ſymbola nec temere, nec caſu, exſtitiſſe, nec pro lubitu novaturientis ingenii fingi potuiſſe, quæ tot legibus, & his tam arctis conditionibus, circumſcripta & limitata ſunt.*

XIX. Equidem *Hillero* voces opponit *Carpzovius, in quibus litera indebite redundare, aut deficere, dicitur, ut Neh. VI, 8,* in כּוֹרָאם, *comminiſcens eos, 2 Sam. XXIII, 9,* וְאַחֲרָו, *& poſt hunc* item ibidem גִּבֹּרִים; *fortes heroes.*

XX. At vero utinam, hæc exempla *Hilleriano* Syſtemati obeſſe, eviciſſet *Carpzovius!* Neutra enim vocum iſtarum forma, ex citatis ſymbolis ab *Hillero* eruta, grammaticæ analogiæ, ſenſusque unitati, adverſatur, quamvis ſymbolorum forma grammaticis regulis non reſpondeat. Sive enim in *prima voce* א ſcriptum, ſive omiſſum, fuerit; unus idemque manet vocis ſenſus, *comminiſcens eos*, docente *Hillero pag. 44;* ſive in *altera voce* י ante ו expreſſum, ſive non præmiſſum, fuerit, idem emergit ſenſus, *poſt hunc autem*, eodem docente *pag. 47;* ſive *tertiæ voci* ה demonſtrativum fuerit præpoſitum, ſive neglectum, ecquis ideo ſenſum illius mutatum fuiſſe dixerit, *Hillero* eius unitatem aſſerente *pag. 202?* Neque, adverſus genium & analogiam Hebrææ linguæ hac diverſa vocum ſcriptione peccatum fuiſſe, quisquam affirmare poterit.

XXI.

XXI. Inprimis obiicit *Hillero Carpzovius particulam* לא, *quam ille ſæpius pro* לו, *& vice verſa, uſurpatam fuiſſe affirmavit. Hac enim explicatione ſenſum in ancipiti ſuſpendi, affirmativusne ſit, an negativus. Quam tamen diverſam ſcribendi rationem divino Spiritui tribuere poſſit nemo.*

XXII. Illud autem exemplum tot admiratores & aggreſſores nunquam ad ſe convertiſſet, & adverſus ſe concitaſſet, ſi R. *Iudæ Grammatici* regulam, citante *Abeneſra* ad *Exod. XXI, 8*, expendiſſent x): *Quicunque verſiculi habent* א *intrinſecus &* ו *extrinſecus, illi iuxta Keri ſuum habent ſenſum.* Quam regulam *Varenius* ad *Ieſ. IX, 2,* hiſce verbis eloquitur; *Ubicunque in Scriptura* כְּתִיב *habet* לא, *&* קְרִי *habet* לו, *ibi ſemper* קְרִי *eſt explicatio illius* כְּתִיב. Neque, hac ſuppoſita literarum quieſcentium א & ו permutatione, negativum ſenſum in affirmativum violenter permutari in ſingulis duodeviginti locis, quæ diverſam hanc ſcriptionem admittunt, luculenter probavit *Hillerus pag. 60 ſeq.* Singulis hiſce locis affirmativum ſenſum vindicavit, licet לא pro לו ſcriptum fuerit, quemadmodum etiam *duobus illis locis*, in quibus לו pro particula negativa לא fuit ſcriptum, negativum ſenſum aſſeruit

p. 72.

x) Referente *Starckio* in *Luce Ebrææ pag. 20.* Conferantur etiam *Vitringæ* Diſſertationes *de Cauſis variantium lectionum* לֹא & לוֹ in eiusdem *Obſervationibus ſacris Lib. III Cap. XVII, XVIII, XIX.*

pag. 72. Igitur non prius deſerendus eſt *Hillerus*, quam oſtenſum fuerit, explicationem eius contextui adverſari, & vim inferre. Et, ne Scripturæ depravatoribus, admiſſa hac literarum alternatione, pro audaci ſuo lubitu alternationem illam fingendi licentia concedatur, *Maſoretharum* ſolertiam obicem illis poſuiſſe, monet *Hillerus p. 60*, qui, quibus in locis לא pro לו accipiendum ſit, ad *Exodi XXI, 8*, annotarunt, certumque numerum definiendo temeritati omni obſtiterunt. Quam ob rem hanc *Hilleri* ſententiam cum *Carpzovio pag. 351 Alexandri* gladium non dixerim, quo nodus non ſolveretur, ſed violenter diſſecaretur. E contrario, illius ope locorum ſenſum multo certius erui poſſe, mihi quidem perſuaſerim, quam ſi *Carpzovii* ſuaſu interpretum arbitrio relinquatur, utrum כְּתִיב in negandi, an affirmandi, ſenſu *Spiritus* ſancti mentem dicere velint.

XXIII. Præterea urget *Carpzovius*, *Hillerum in quibusdam locis haſiſſe dubium, quis ex emergente duplici ſenſu prævaleat ſenſus, v. g. 2 Sam. XIV, 21, 1 Reg. VIII, 48, num primæ, an ſecundæ, perſonæ, item Ezech. XLVII, 12, Dan. XI, 10, num ſingularis, an pluralis.*

XXIV. Ego autem, dubia omnia ſuperaſſe, credo, *Hillerum*, citata loca commodiſſime interpretatum, ut contextui quam optime conveniant. Auctoribus etiam iis *pag. 334* & *336* obviam ivit non perterritus, qui, alterutram ſcriptionem in

mendo

mendo cubare, ſibi perſuaſerunt. *Nunquam dixero*, ait, *in ſacris Codicibus inveniſſe Maſorethas, quod de mendo ſuſpectum eſſet. Summa eorum cura fuit, ſi quid alio volumine aliter divinus ſcriba Esdras exaraſſet, illud fideliter annotare.*

XXV. Denique ad *apocopatas voces* provocat *Carpzovius*, v. g. *Ier. XL, 16*, תַּעַשׂ, *in quibus nulla ratio, nullum ſymbolum, indicari poſſet; nec non ad eas, in quibus* י *otioſum in fine redundaret.*

XXVI. At vero meminiſſe debebat *Carpzovius*, voces illas, quæ *apocopata* videbantur, pro *Hilleri* ſententia diverſarum formarum ſymbola eamque ob rem, docente *Hillero pag. 371*, per תַּעַשׂ indicatum eſſe, quod in altero Codice תַּעֲשֶׂה, in altero תַּעַשׂ, uno eodemque ſenſu permanente, fuerit ſcriptum. Quem ad modum etiam obiectioni, a י *paragogico* petitæ *p. 380*, occurrit.

XXVII. Quarto deinceps loco vituperat *Hillerum Carpzovius, quod per ſyſtema illius ſymbolorum puncta Scriptoris* θεοπνεύςυ *manui eriperentur, & viris zelo pietateque plenis aſſererentur; ideoque non pro divinis, ſed humanis, haberentur. Quam ob rem vero multæ Scripturæ ſacræ voces divina & authentica punctatione privarentur.*

XXVIII. Quæſiverim tamen ex Celeberrimo *Carpzovio, utrum Scripturæ Sacræ auctoritati minus damnum afferat eius ſententia, quam p. 354*

pro-

propoſuit: vocum quarundam ſcriptionem, ab Hebrææ lingua analogia prorſus alienam, librariorum alucinationi & oſcitantiæ, an cum Hillero viris pietate & zelo plenis, eam tribuere, quorum ſtudio nunquam ſatis laudando utraque lectio, in Codicibus fide dignis reperta, fuit conſervata. Certe, quia, priorem ſententiam periculoſam, & in Scripturæ Sacræ θεοπνευςίαν iniuriam, eſſe, putabat *Hillerus*, in excogitanda novà ſententia non ſine immenſo ſtudio, & ſingulari ἀγχινοίᾳ, laboravit, qua Scripturæ Sacræ integritati conſuleret. *Huius* voti ſui compos, *hoc libro*, ait *p. 415*, *quantillus etiam appareat, octingentos amplius Scripturæ Sacræ locos, quos corruptos partem, partem inexplicabiles, Critici noſtri putarunt, integritati & puritati ſuæ reſtitutos, explicavimus.* Ex quo inventi ſui utilitatem merito deducit.

XXIX. Denique *incertum Karian & Cathan numerum Hillero opponit Carpzovius; &, ex eo tot lacunas & iacturas lectionis* θεοπνεύςȣ *deplorari dicit, quot hodie deſiderentur eiusmodi lectiones diſcrepantes.*

XXX. Sed autem nec *Hillerum* numeri illius incertitudo fugit. E contrario *pag. 118* ingenue profeſſus eſt: *Certum & accuratum iniri poſſe numerum dubitamus, tum quod non raro in his ipſis Symbolis diſcrepant Ben-Aſcher & Ben-Naphthali; tum quia manuſcripti & optimæ notæ impreſſi Codices nonnihil variant, & ab ipſa Maſora nonnunquam ſecedere ſolent.* Hac tamen

in-

incertitudine non obſtante, Scripturæ Sacræ integritatem in vado eſſe, credidit *Hillerus*. Varient Codicis editores in *Karian* & *Catban* numero; omittant alii *Karian*, quos alii addiderunt; ſi modo *Catban* linguæ analogiæ reſpondeant, & ſint effabiles, tunc *Karian* eorum, qui ignorant, unam quidem legendi formam deſiderant, contenti autem eſſe poſſunt, cum alteram legendi formam, æque ac illam a *Spiritu Sancto* dictatam, in כְּתִיב inveniant. Quandoquidem, utramque lectionem a *Spiritu Sancto* diverſis temporibus inſpiratam, probatum ivit *Hillerus*.

XXXI. Habes itaque, benevole Lector, quæ ad *Carpzovii* diſputata poſſe regeri, & ad vindicandum *Hilleri* inventum pertinere, mihi viſa fuere, Tantus enim, quem exantlavit *Hillerus*, labor, Herculeo quovis labore maior, ſaltem utilior, vindicias merebatur. Quare iam dudum inique tuli, quod ſolertiſſimus inventor inventi ſui vindicem & aſſertorem adhuc deſideret. Equidem, quod omnino largiendum eſt, hac in pugna coniecturis non niſi coniecturæ opponi poſſunt; præſto tamen ſunt regulæ, ad quas coniecturas decet examinare. Ab iis igitur ſtat victoria, quarum circumſtantiæ regulis reſpondent. Abſit autem a me quam longiſſime, ut, me *Hilleri* invento palmam aſſeruiſſe, mihi perſuadeam. Sed eam tantum ob cauſam pro ingenii mei modulo litem hanc movere volui, ut plures alii hanc in arenam deſcendant, & vel cum *Hillero*, vel eius cum adver-

verſariis, manus conſerant. Forte aliquando convinci poterit *Hillerus*, exempla, quæ in medium protulit, regulis ſuis adverſari, &, hiſce adverſantibus, inventum ſuum probabilitatis ſpecimen amittere; vel eo luculentius apparebit, exempla producta cum eius ſyſtemate amice conſpirare, & ſyſtema eius hoc modo ſalvum perſtare & illibatum. Ego quidem, donec licuerit, impiger & diſcendi cupidus pugnantium ero ſpectator, operamque dabo omnem cautiſſime, ut non niſi veritati triumphanti applaudam.

III.
IO. CHRISTOPH. HARENBERGII IN HADR. RELANDI LIBRVM III DE VRBIBVS ET VICIS SVPPLEMENTI CONTINVATIO SECVNDA, COMPLECTENS LITERAS I, K, L, M, N.

Iaan, יען, 2 *Sam.* XXIV, 6, videtur urbs fuiſſe. Eos, quos *David* Rex ad numerum incolarum terræ ſibi ſubiectæ dimiſit, novimus tranſiiſſe Iordanem, caſtra fixiſſe prope Aroeram ad dextrum latus urbis illius, quæ in medio alveo

Gadi-

Gaditarum erat ſita, & quidem ad Gazorum veniſſe, proceſſiſſe ad Gileadem, ſeu Ramotham Gileaditicam, ad terram *Tachtim Chodſchi*, ac porro verſus *Dan*, *Iaanam*, & *tractum Sidonium*. Terra illa *Tachtim* vulgo redditur *campeſtris*. Ad nomen *Chodſchi* hærent omnes. Ordo itineris exigit, ut locus regionis inter Ramotham ac Danem in Batanæa, ſeu Menaſſitide ulteriori, fuerit ſitus. *Geſſuritis* videtur per *Gadſchi* deſignari; Iabneel vero per *Iaan*.

Iaar, יער, vulgo *ſilva*, eſt *Pſ. CXXXII, 6*, urbs Kiriath - Iearim.

Iabate. Codex Vaticanus *Ioſephi Ant. Iud. X, 3, §. 2, pag. 516*, habet nomen Ἰατεμάτης. In *Epiphanii* libris legitur *Iechabeth*. Apud LXX legitur 2 *Reg. XXI, 19*, Ἰετέβα, in aliis Codicibus Ἰετεχάλ. *Ioſephus* Iabaten vocat *urbem*, πόλιν. Eſt urbs *Theba*, ſeu *Tebetz*, diſtans olim Neapoli, ſeu Samaria, 13 milliaribus Scythopolin, ſeu Betſchan, verſus.

Iabeſch a Moabitis fuit occupata, poſtquam Iudæi exulatum miſſi, *Ier. XV, 5*. *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis pag. 33* putavit, Iabeſſum & Bacathum haud differre. At repugnat ſitus. Bacatha ſita fuit prope Philadelphiam, ſeu Rabbat - Ammon, trans Iordanem, & a *Iaboco* fluvio dicta; Iabeſſa autem ultra Iabocum verſus auſtrum erat poſita.

Iano Samaritica eſt alia ac Naphtalitica. Illa nunc vocatur *Gianin*, *Ginum*, aliis *Gilin*, ſeu *Chilin*, ultimum Samariæ provinciæ oppidum,

ad radices montis Ephraim, a Samaria XII mill. paſſ. remotum. Incolæ ſunt plerique Mauri, Chriſtiani pauci, Turci pauciſſimi. Nullis iam muris locus eſt cinctus, fertili gaudet ſolo, ſitu eſt pulcherrimo, imminens quippe valli latiſſimæ. Propinqui ſunt montes Gilboë. Ibi Chriſtum mundaſſe decem leproſos, referunt vulgo. Hæc *Cotovicus p. 346. Ginæa Joſephi* huic quadrat. Erat alia urbs *Iano* in tribu Naphtalitide, ינוח, quam Tigletpileſſar occupavit & afflixit, 2 *Reg. XV,* 29. Non dubito, quin hæc exſtiterit *Iann* & *Iabneel.*

Iapho nunc vocatur *Iaffa*, & portu excellit. *Troilo p. 99 ſeq. 109 ſeq.*

Iareb Hoſ. VI, 13, X, 6, videtur fuiſſe locus. Rex ibi memoratur *Iareb*, ſeu Iarebi. *R. Salomo Iſaacides*, ibi *Sancheribum* regem deſignari, credidit. *David Kimchi*, verbum fuiſſe, putavit, ſecutus paraphraſten Chaldæum. Arbela videtur definiri, urbs Medorum.

Iaris legitur in *Bartholomæo de Salignaco de Ægypto* ſub calcem *Onomaſtici Euſebii Cap. 12,* a *Ioanne Clerico* editi, pro *Laris*, ſeu *El-Ariſch*, urbe, qua veteres vocarunt Rhinocoruram, ubi eſt ſinus maris, *Lariſo gulphus* dictus, ac in eum effluens amnis, quem nonnulli pro *rivo Ægypti*, Palæſtinæ termino, habent.

Iaſor, ſeu Aſor, ad tertium a Ioppe lapidem, quæritur Dioſpolin, caſtellum ruinoſum cum ignobili vico. *Cotovicus II, 1, p. 157.*

Iavan,

Iavan, urbs Græciæ, *Ez.* XXVII, 19, poſtea *Megara* nomine celebrata. Conf. *Strabo Lib.* IX *p.* 392. *Ievanim*, Iones, fuêre Græci, (*Ioel* IV, 6.) in Hellade & Ionia commorati.

Iebtheel eſt eadem ac Petra. *Euſebius* in *Onomaſtico*.

Iehudah, locus tribus Naphtali ad ultimam verſus auſtrum oram occidentalem lacus Geneſaret, *Ioſ.* XIX, 34. Circa eam ad ſolis ortum utrinque ad Iordanem exſtitit ſupra Iabboci oſtium regiuncula Iehudah, 2 *Reg.* XIV, 28, *Matth.* XIX, 1, *Marc.* X, 1. Alia urbs *Iehudah* erat in montana Iudæa, 1 *Sam.* XXX, 14. Vide *Iuttah*.

Ienyſus Herodoti ad mare eſt quærenda haud procul Gaza. *Minnis* videtur ſubeſſe. Zinna, ſeu Ezeongeber, haud procul a Kadeſa auſtrali olim ſita, ad ſinum illum maritimum proſſus non quadrat, licet *Hermannus von der Hardt* Zinnam & Ienyſum pro loco uno habuerit.

Ierahmeel, locus in Iudæ tractu auſtrali, unde dicti ſunt Ierahmeelitæ, quos *David* haud ſecus ac Kenæos, Geſchuræos, Girzæos, & Amalekitas, profligavit, 1 *Sam.* XXX, 29.

Iericho, Arabibus *Eriha*, diſtat a Iafa bidui iter, teſte Geographo Nubienſi *P. V Clim.* 3. Hierichuntem inter ac mare Galilæum planities interjacet ſpatioſa ultra & cis Iordanem, longa 60 milliaria Italica, 15 lata, ultra quam Iordanes defluit. *Troilo pag.* 446. Tractus, prope mare mortuum incipiens, iſtic ab Hieri-

chunte porrectus, vocatur in ſacris [illegible] ac planitiem continet, quam *Strabo* & *Ioſephus* deſcripſerunt. *Devt.* XXXIV, 1. *Brocardus Argentinenſis* de Hierichunte hunc in modum: *Iericho erat quondam civitas, ſed nunc eſt vilis villa, & diſtat ſex milliaribus* a) *a Bethania. Civitatem Ioſue deſtruxit --- Iordanes diſtat a Iericho 2 milliaribus* (Germ.) *& ulterius per medium milliare --Mare mortuum diſtat 3 milliaribus a Iericho.* Itinerarium Hieroſolymitanum hæc habet *pag.* 154: *Ab Hiericho ad mare mortuum millia novem* (Rom.). Aquas Hierichuntinas olim in pretio fuiſſe, conſtat. *Solinus Cap.* 38: *Succeſſit* (Hieroſolymis) *Hiericus: & hæc deſiit caput eſſe, Artaxerxis bello ſubacta.* Principatus ille ad aquas eſt referendus. *Artaxerxes* hic quoque Antiochiam ſub *Maximino* Thrace circiter ademit Romanis, caput Syriæ, quam *Gordianus* recepit, *Capitolino* teſte *Cap.* 26, 27. Hinc pateſcit, *Solimum* floruiſſe b) Seculo tertio medio. Celebravit æque aquas Hierichuntinas *Ioſephus de Bello Iud.* IV, 8, §. 3, *pag.* 298, *T.* II *Oper.*

Olim

a) Diſtat ab Hieroſolymis 150 ſtadiis, teſte *Ioſepho*, 18 mill. paſſ. Rom. et quod excedit, decem vero *parſas* Iudaicas. Dicuntur Hierichuntini audiiſſe ac ſenſiſſe res vehementioris motus in templo Hieroſolymitano obvias. *Tamid* III, 9. Vid. Rev. *Conr. Ikenius ad h. l. pag.* 68 *ſeq.*

b) *Henricus Dodwellus* in *Diſſ. de Iſidoro Characeno* §. 19 *Vol.* II *Hudſoni pag.* 71 *ſeq.*

Olim prope Hierichuntem provenit balſamum, a *Iuſtino*, *Plinio*, ac *Tacito*, prædicatum. Iudæi, a *Veſpaſiano* infeſtati, opobalſamum exciderunt. Nunc nihil ibi reſtat. *Troilo pag.* 446. *Solinus* tamen *Cap.* 38: *Cum Iudæa potiti ſumus, ita luci illi propagati ſunt, ut iam nobis latiſſimi colles ſudent balſama. Veſpaſianus* enim in Ægyptum arbusculas transduci curavit, ubi balſamum æque ac apud Meccam adhuc provenit.

Ieruel; locus, ad quem exſtiterunt campeſtria, eaque incolis vacua, 2 *Chron.* XX, 16. Abfuit circiter millia paſſuum XII Hieroſolymis, ſiquidem exſtitit prope Tecoam. Oſtendit id ipſum *Hieronias Philadelphus* in *Bibl. Brem. Cl. VIII Faſc. I n. 1 §. 20 pag. 19 ſeq.*

Ieruſalem ſita eſt in loco, rivis, ſilvis, fontibus b), & paſcuis, penitus carente. Teſtem compello *Wilhelmum Tyrium VIII*, 2, *pag.* 167. De hac urbe ex profeſſo commentati ſunt eruditi ſodales Angli in libro *Hiſtoire univerſelle, T. III pag. 82 ſeq. Ælius Hadrianus* eam poſt

b) Unicus fons Siloe eſt tamen in angulo auſtrali, ſimulque occidentem paululum reſpiciente. Vid. Ionæ Kortens *Reiſe nach dem gelobten Lande pag.* 97, *Wilhelmus Tyrius VIII*, 4, *pag.* 171, *Oliverius Scholaſticus pag.* 1358 *T. II Eccardi*. Hinc *Fontem defluentem*, נהר בינר vocavit *Maimonides* aquam Siloe, ut indicat *Ioannes Lightfoot* in *Oper. poſt. p.* 66. Dicitur alias Siloe etiam *Gihon*. Hoc nominis denotat *fluxum*, apud Arabas جلح [illegible]

Veſpaſianum excidit, teſte *Appiano de Bell. Syr. pag.* 119. Ad occaſum urbis montes ſunt ſaxoſi, vallesque fertiles, teſte *Cotovico II, 1, pag.* 144. De Meridiano eius diſſerui alias. *Brocardus Argentinenſis* de ſitu montis Sion hæc habet: *Mons Syon eſt in civitate Ieruſalem verſus meridiem - - collis, ſive monticulus, non nimis altus.* Locus *Pſ. XLVIII, 3,* videtur quidem obſtare; at ירכתי צפון ibi non ſunt *latera aquilonis*, ſed *latera adyti operti.* Vide ſupra *Daphnen.* Iudæi exiſtimant, Hieroſolyma, adveniente Meſſia, demum eſſe igne cœleſti expurganda, ac ab integro condenda, fundanda ſuper X lapides pretioſos. Ut ita ſentiant, ſunt ipſi occaſionem nacti ex *Ez. XXVIII,* 13, rati, Deum additurum eſſe duos, qui memorantur *Eſ. LIV,* 12. Vide *Sepher Abkath Rochel, ab Antonio Hulſio* Latine converſum, editumque Bredæ A. 1653, 4, *p.* 152. Addunt iidem, tunc reſtitutum iri res quinque, ſub templo ſecundo deficientes, ob *Hagg. I,* 8, ubi ה deficit. Sunt autem illæ: arca, Cherubim, oleum unctionis, Urim ac Tummim, & Spiritus ſanctus. De ſitu montis Tzionis auſtrali conferendi etiam ſunt *Oliverius Scholaſticus* in *Hiſtoria Regum terræ ſanctæ pag.* 1358. *T. II Eccard. Wilhelmus Tyrius de Bello ſacro VIII,* 6, aliique. Nomen et ſitum fere retinuerunt Chriſtiani. Exſtitit enim ibi templum montis Sion, teſte eodem *Wilhelmo VIII,* 11, *pag.* 178. Applaudunt *Adamus Reuſnerus. Ionas Korten* in libro *Reiſe nach dem weiland gelobten Lande,*

Altona,

Altonæ, 1742, 8, *p.* 152, 164, aliisque. Mons calvariæ loco alieno nunc oſtenditur. Indicavit errorem *Ienas Korte*, bibliopola olim Altonavienſis. Inter Sionem & Acram, immo Gihonem & Moriam, locus exſtat, vallem referens, mortario ſimilem, quam eruditi Angli ſodales c) putant *Zephan. I, 11,* dici מכתש. Templum dominicæ reſurrectionis, *Anaſtaſis* dictum, exſtruxit *Conſtantinus Maximus*, teſte *Euſebio* in eius *Vita III, 25 ſeq.* Confer *Henrici Valeſii Epiſtolam ad amicum de Anaſtaſi & Martyrio Hieroſolymitano*, editioni *Euſebianæ Hiſtoriæ eccleſiaſticæ* ab ipſo ſubiectam, *pag. 785 ſeq.* Templi huius fata & viciſſitudines ediſſeruit *Wilhelmus Tyrius I, 4 ſeq.* Gihon mons eſt ad occaſum urbis, ſenſim declivis usque ad introitum urbis occidentalem, mœnibus partim comprehenſus, teſte *Cotovico II, 3, pag. 151* & *Cap. 4 pag. 155.* Idem habitationes veterum ibi præcipuas quaſi digito monſtravit *III, 11, p. 253 ſeq.* Plus fidei ſibi vir bonus feciſſet, ni etiam divitis epulonis ex *Luc. XVI* domum demonſtraſſet *p. 254.* Fons Gihhon memoratur *1 Reg. I, 33,* & eſt inferior, ex monte Gihhon emanans, in quo fullones quondam pannos ſuſpendere ac ſiccare conſueverant, teſte *Cotovico pag. 289.* Aquæ fontis Gihhon paullo poſt coniunguntur cum aquis fontis Siloe. Has nonnunquam eſſe inſipidas, retulit *Wilhelmus*

c) *Hiſtoire univerſelle Tom. III Lib. I Cap. 3 pag. 85. Petrus Zornius* putavit, locum a ſonitu mortariorum ibi crebro, fuiſſe denominatum.

belutus Tyrius VIII, 7, *pag.* 274 cc). De ſacra Servatoris tumba expoſuit *Cotovicus II*, 4, *pag.* 154, & copioſa Diſſ. *Ioannes Andreas Schmidius*. De igne paſchali, qui in templo ſacræ tumbæ quotannis oritur; ſolide commentatus fuit Ven. *Ioannes Laurentius Moshemius* in *Commentatione de Lumine ſancti ſepulcri*, Helmſtadii A. 1736, 4, evulgata, qui fraudibus omnia tribuit eorum, qui rebus ſuis inde tuendis conſulere ſolent. Idem iam *Cotovicus* ingenue ac aperte confeſſus eſt, licet non ex toto, *II*, 4, *pag.* 183. Arx Antonia, παρεμβολὴ dicta, erat quadrata, eaque munitiſſima, adiacens monti ædis ſacræ ab angulo, inter ſeptentriones & occaſum ſolis proſpectante, in rupe admodum excelſa. Hieroſolymis ibi בִּירָה, πύργον, *caſtellum* quoddam, exſtruxerat *Salomo*. *Ioannes Hyrcanus* Aſſamonæus, ſummus Iudæorum Pontifex, idemque Princeps, condidit ibi domicilium ſuum, ibidemque veſtes pontificales voluit aſſervari. Poſtea ſucceſſoribus *Hyrcani* arx eadem ſedem præbuit. Tandem *Herodes Magnus*, rerum in Iudæa potitus, cum ſitum loci valde opportunum obſervaret, eum magis munire ſtatuit, dignum aptumque iudicans, ex quo urbs æque ac

cc) Conf. Cel. *Conradi Ikenii Diſſ. de Rivis fluvii*, habitacula altiſſimi lætificantibus, ad *Pſ. XLVI*, 5, Bremæ 1742, 4, nec non eiusdem *Diſſ. de Libatione aquæ in feſto tabernaculorum, a Iudæis Rabbanitis demum ſub templo introducta*, in *Symbolis literariis T. I P. II pag. 160 ſeq.*

[illegible] templum in officio continerent. Quare polito undique rupem, cui arx erat impoſita, texit, tum ornatus cauſa, tum ut magis inacceſſum eſſet propugnaculum. Hoc facto, præſidium iſtuc ex militibus ſuis collocavit, & arcem in honorem *Antonii*, amici ſui, Antoniam dixit, cum antea *Baris* vocaretur d). In extremo margine murus erat, tres cubitos altus, loricæ vicem gerens, ut ſine periculo ibi ambulari poſſet. In partibus extremis intra hunc murum area conſpiciebatur ampla, arcem in medio habens, muro 40 cubitos alto, cinctam, ac variis domiciliis, eisque ſplendidis, diſtinctam, adeo, ut arx ſpeciem palatii regii referret. Area illa tantæ erat amplitudinis, ut exercitum capere poſſet. Cum Romani Judæorum eſſent domini, hanc quoque ſibi arcem, quæ παρεμβολὴ dd) vocatur, vindicarunt, perpetuoque ei impoſito præſidio cavebant, ne qua ſeditio in templo vicino oriretur. Ipſi præterea ibi veſtes Pontificis ſacras in arce cuſtodiebant, Judæis, non niſi ſolennitates anniverſarias agentibus, tradendas. Ceterum rupes ponte committebatur templo, quod alioqui profunda valle ab arce erat ſecretum. Confer *Joſephum* in *Antiqu. Jud.* XV, 11, §. 4, *pag.* 780 *ſeq.* XVIII, 4, §. 3, *pag.* 880. Reliqua in antiquitatibus Judaicis ſolent exponi.

Dd 5

d) *Conr. Ikenius*, D. ac Profeſſoris *Conradi Ikenii* ex fratre nepos, ad Th. *Exegid pag.* 11 *ſeq.*

dd) *Act.* XXI, 37.

poni. Hieroſolymam dictam fuiſſe terrae umbilicum, autor eſt *Joſephus de Bell. Jud. III, 3, 5, p. 230.* Rationem eius denominationis ſupra *Vol. IV P. II pag.* 283 *ſeq.* & 285 indicavi.

Jesreel, prope campum, inde dictum *Esdrelon*, urbs olim nobilis, poſtea dicta *Gerinum parvum*, ad quod fons viſitur, *Tubania* vocatus. *Wilh. Tyr. XXII, 26.*

Iethira eſt יתיר, urbs tribus *Simeon*, quam Alexandrini vocant Ἰεθέρ. Conf. *Relandum* ſupra *pag.* 827. Exſtat tamen gentile הַיִּתְרִי, *Iethirita*, *2 Sam. XXIII, 38.*

Iion, urbs tribus Naphtali *1 Reg. XV, 20*, alibi *Goiim*, *Choſet-goiim*, *Choraſin*, prope Capernaum ad littus maris Genneſaritici occidentale ſita.

Jora, pagus ignobilis ac perexiguus haud procul vico Betſur, *Cotovicus pag.* 246.

Iogbeha. Occurrit locus etiam *Iud. VIII, 11*. *Herm. von der Hardt* in *Medabonis pag.* 108 eam habet pro Bacatho & Iabiſſa Gileaditidis. Iabiſſa autem ad Bacathum haud quadrat. Vide *Jabiſſa*. Et quid impedit, quo minus nonnunquam ignorantiam noſtram profiteamur?

Ioppe alias vocatur Iapho, Iafa, Iaffa, Zaffo. Urbs ipſa, *Plinio* teſte *V, 13*, *antiquior terrarum inundatione, ut ferunt*. Repetiit haec *Pliniana Cotovicus II, 1, pag.* 135. Ioppe quondam Comitatus ac Epiſcopatus adhaeſit titulus. Patricii quidam, gente Veneta, ſeſe vocant *Conte del Zaffo*, ex illuſtri familia *Contarena*

pro-

prostravit; qui inter equites paratis [illegible] primas tenent. Fit Ioppes mentio Act. IX, 10, alibique. Deſcripſit ſitum Joſephus de Bello Jud. III, 9, §. 3, pag. 251.

Iordanes, Samariae vicus Pſeudo-*Hegeſippo III, 6, pag. 314. Principium Samariae de Arabiae finibus a vico, cui nomen Iordani, fluit ad aquilonem usque Borceos.* Verum menda irrepſit in hunc locum, qui ex *Joſepho de Bell. Jud. III, 3, §. 5, pag.* 224, deſumtus eſt. Reſcribe apud *Joſephum* & *Hegeſippum* Nardan pro Iardan, tum omnia ſunt ſalva. Confer infra *Neara, Naaratha. Joſephi* haec ſunt verba de Judaeae finibus eorumque diſtributione: *In utriusque autem* (Samariae & Judaeae) *confinio eſt Anuath (a), vicus, qui alias Borceos dicitur, terminus ille Judaeae verſus ſeptentrionem. Meridiana vero pars ejus, ſi in longitudinem eam metiaris, finem habet vicum Arabibus conterminum, quem ibidem Judaei Iardan appellant,* καλοῦσι δ᾽ αὐτὴν Ἰαρδὰν οἱ τῇδε Ἰουδαῖοι. *Ceterum latitudo a Iordane fluvio ad Joppen porrigitur.* Ingeſſit ſeſe Iordanes oculis librarii. Ex eo accidit, ut ſcripſerit loco proprio minusque opportuno *Iordan* pro *Nardan*. Novit alibi Nearam *Joſephus*.

Iotapata pro Gathhachepher reputat *Auguſtinus Calmetus* in Praef. ad *Jonam*. Nec video, quid huic ſententiae opponi poſſit.

Ietha-

(a) Vide *Relandum* ſupra in *Anua* pag. 571.

Iotbatha, ſtatio 30 Iſraelitarum in Arabia Petræa. Ibi irrigua erat regio, *Deut.* X, 7. Situs colligitur ex ſtationibus viciniis, quarum poſitus ex *Euſebio* eſt cognitus ac exploratus.

Ir haheres, *Eſ.* XIX, 18, urbs Ægypti *Cereaſorum* in nomo Memphitico. *Herodotus* II, 15, *Strabo Lib.* XVII *pag.* 552. Alibi *Kir*.

Ir hammaim, urbs aquarum, Ammonitidis pars ætate *Davidis*. Eam expugnavit *Ioabus* haud ſecus ac urbem Rabbat-Ammon, ſeu Philadelphiam. 2 *Sam.* XII, 27. Ipſa vicina erat urbi Aroër, ac *in medio vallis*, ſeu *alvei*, הָעִיר אֲשֶׁר בְּתוֹךְ הַנַּחַל, *Ios.* XIII, 9. *Alveus ille vocatur Gad prope Iaëſer* 2 *Sam.* XXIV, 5. Aroër urbi illi fuit a dextris. An alveus ille Gad, הַנַּחַל הַגָּד, ſit Arnon, an alius, quærendum. Quadantenus innoteſcit ex adductis loci ſitus inter Aroëram & Iabiſſam.

Ir hammelach, urbs, ob ſitum ad mare bitumineſum ex מָלִיחַ, *bitumine* illo *Iudaico* appellationem traxit.

Ir hattemarim, urbs palmarum, eſt *Engada*, *Engadi*, *Chatzazon Tamar*, *Tamar*, *Thamara*. Vide ſupra *Engedi*. *Relandus* a Iudæorum Commentatoribus Biblicis ad avia fuit abreptus, ut urbem palmarum in Hierichuntam converterit. Ipſe ſupra *pag.* 764 agnovit, Engadam a palmis fuiſſe dictam *Chatzazon Tamar* 2 *Chron.* XX, 2. Quid vero Chatzazon eſt niſi *domicilium*, *ſecura ſedes?* Conf. Cl. & Pl. Rev. M. *Mehlhornii* Syllogen Diſſertationum

in Pentateuchum Moſaicum T. III pag. 1350. Sita fuit urbs palmarum in confinio Moabitidis *Iud.* I, 16. Situs hic in Hierichunta haud quadrat, nec Iericho urbs per יְרִחוֹ eſt intelligenda.

Iſchtobb, cuius incolæ in gratiam Ammonitarum arma adverſus *Davidem* cum Zobaiis, Rechobitis, & Maachatenis, commoverunt, 2. *Sam.* X, 6, 8. Locus nude dicitur *Tob* æque ac regio circumiacens. Syri ſolebant initialibus conſonantibus ſuum s adſibilare.

Iſſachar, *Iſaſchar*, *Ios.* XVII, 7, videtur eſſe nomen urbis in Iſſacharitide, qua ad Orientem ſpectat. *Heidmannus* & *Humphrey Prideaux* in Mappis ſuis geographicis locum hunc expreſſerunt.

Iulias Caulonitidis. Inde duo patebant itinera, ad Canam unum, alterum verſus Gamalam, teſte *Ioſepho* in *Vita ſua* §. 71 pag. 36.

Kadmonitarum ſedes non ſunt confundendæ cum ſedibus *Orientalium*, ſeu Bne-Kedem. *Bne-Kedem* incoluerunt ad orientem Ammonitidis ac Moabitidis ſub tuguriis, utentes camelis ac pecorum grege. *Ez.* XXV, 4, 5. Alibi hos eſſe Makkedæ incolas, ut *Iud.* VI, 4, VII, 12, ſibi perſuaſerat *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis*. Non licuit mihi eſſe tam felici, ut nervum rationis, cur ſic ſit ſentiendum, exquirere valuerim. *Kadmonitæ* videntur dicti a fluvio Kedumim, ſeu Kyamon, cuius fit mentio *Iud.* V, 21. Kyamon legitur *Iudith.* VII,

VII, 3, ac eſt *Kammona* vicus in campo magno ſex millibus paſſuum a Legione verſus ſeptentrionem. Locus vocatur *Kiſchjon Ioſ. XIX, 20, XXI, 28*. Fluvius Kiſchón, ſeu Kedummim, inde traxit denominationem, labens per planitiem Iſrael, ſeu Esdrelon, juxta montem Tabor ad auſtrale ejus latus. *Cotovicus* de eo *I, 20, pag. 127*: *Iuxta Caipham fluit, atque in mare ſe exonerat, torrens Ciſon. Is, ex monte Thabor ſcaturiens, in duos mox diviſus rivos, quorum alter ortum verſus in mare Galilææ labitur, alter, ad occaſum mediam Galilææ planitiem juxta Naim oppidum perlabens, multisque auctus rivis, tandem juxta Caipham mari miſcetur.* Tribus, vel quatuor, alveis in mare effluit, qui ab Arabibus vocantur *Ras el Kiſchon*, i. e. capita Kiſonis.

Kalub, locus *1 Sam. XXX, 14*. Gentile *Calbi*. Vide *Krethim*.

Kedar, gens Arabica, tentoriis uſa, *Pſ. CXX, 5; Cant. I, 5*; habitans prope Saracenos, ſeu Bne-Kedem, Orientales. *Ier. XLIX, 28; Ez. XXVII, 21*. Urbs ejus primaria Chatzor *Ier. XLIX, 30, 33*, *Plinii* Soractia, a *Semiramide* condita, *VI, 28*. Eandem vocavit *Saracha Stephanus de Urbibus*, ſcriptor vero ſacer *Eſrach*, unde *Eſrachi* gentile ſupereſt. *Cedreos Plinius* Nabatæis junxit. *Bos* erat in terra Cedar, teſte *Hieronymo de Locis Hebraicis*. De Nomadibus Scenitis *Plinius* nonnihil attigit *VI, 28*. Cedrei horum pars fuerunt.

Ki-

Kinah Num. XXIV, 21, & *Kain*, urbs Iudææ au-ſtralis, Kinæorum ſedes. Diſtinguendi hi ſunt a poſteris Keni, qui *Zipporæ* fuit frater. *Iud.* I, 16. Conf. M. *Andreæ Murray Diſſ. de Kinæis*, Ienæ A. 1717 evulgata. Urbes Kenitarum memorantur 1 *Sam.* XXX, 29. *Hakkain* vero *Ioſ.* XV, 54.

Kir, urbs *Eſ.* XXII, 6, *Amos.* IX, 7, in nomo Memphitico Ægypti, alibi Cercaſorum apud *Herod.* II, 15, & *Strabonem Lib.* XVII *pag.* 555. Urbs *Kir* dicitur circuire verſus montem illum, Sionem, *Eſ.* XXII, 5.

Krethim, gens Philiſtæorum, maris accolæ in-fra Gazam, *Ezech.* XXV, 16. Hi *Davidis* ætate haud procul habitabant a Iehudah & Caleb & Ziclag. 1 *Sam.* XXX, 14. *Iehudah* eſt Iuthah, Iutah, Iittah *Ioſ.* XV, 55, XXI, 16, πόλις *Iuda* in regione montana tribus Iudah *Luc.* I, 39. *Caleb* videtur eſſe Betul, ſeu Betulia, quaſi *Kepharbetul*, ad orientem Gazæ. *Kreth* locus fuit eodem in tractu.

Laban, ſtatio Iſraelidarum in deſertis transiordanicis. *Devt.* I, 2. *Ioannes Matthias Haſius* in *Deſcriptione regni Davidici ac Salomonæi pag.* 184 eam habuit pro loco Libna, cuius fit mentio *Num.* XXXIII, 20, 21. At ſitus repugnat. Laban erat prope Moabitida; ac dicta videtur *Lemba* a *Ioſepho Ant. Iud.* XIII, 15, §. 4, *pag.* 675.

Lao-

Laodicea, 1) maritima ad littus Syriæ infra oſtium Orontis, Λαοδίκη ἡ κεῖται ἐπ᾽ ἠιόνεσσι θαλάσσης. *Dionyſ. v. 915.* *Euſtathius* ad hunc locum *pag. 162 Vol. IV Hudſoni* monet, dictam eam ſic fuiſſe ab *Antiochi* ſorore, *Laodice*, olim vocatam Λευκὴν ἀκτὴν, *album littus*, & *Ramaithan*. Plura dabit B. *Chriſtophorus Cellarius* in *Geogr. ant. III, 12, pag. 414 ſeq.* 2) Altera Syriæ Laodicea ſita fuit ad Antilibanum, cognomine *Cabioſa* & *Libaneſia*, ἡ πρὸς Λιβάνῳ, *Iulia Laodicea Severiana metropolis*. Hanc olim Ramitham dictam eſſe, tradidit *Stephanus* in *Ethnicis*. Conf. *Cellarius l. c. III, 12, p. 443 ſeq.* De hac mentionem iniecit *Ioſephus de Bell. Iud. I, 11, §. 7. p. 80*, atque *Ant. Iud. XV, 3, §. 5, pag. 746*; de illa idem *de Bell. Iud. I, 21, §. 11, pag. 109.* De illa ſuccincte expoſuit *Mſr. Shaw Cap. I Obſervations geographiques ſur la Syrie p. 1 ſeq.* & *Cap. 3 pag. 55 ſeq. 58 ſeq.*

Laris, antiqua urbs & maritima, Ægyptum inter & Palæſtinam, ubi *Balduinus*, Hieroſolymæ Rex, A. 1118 obiit, teſte *Wilhelmo Tyrio XII, 31, pag. 264.* Rhinocolura deſignatur, quantum ex ſitu & nomine truncato colligi poteſt. Arabes locum vocarunt *El-Ariſch*, ut pateſcit ex *Num. XXXIV, 5.* Alias is dicitur *Lariſſa, Riſche, Riche, Aris.*

Laſcha, Laiiſch, Leſchem, Litane, Dan, urbs procul a Sidoniis remota ad vallem magnam, *Iud. XVIII, 29, Ioſ. XIX, 47.* Vide ſupra *Dan.* Leſcha, Laſcha, Liſcha, *Gen. X, 19*, idem eſt locus. Fluvio

vio, qui ibi oritur, ac per vallem inter Libanum ac Antilibanum defluit verſus Tyrum, inde nomen eſt Letane. De hoc videndus eſt *Henricus Maundrellus*. *Laſcharon* videtur locus idem fuiſſe. *Ioſ. XII, 18.*

Latopolis Ægypti, quam deſertam dicitur *Cambyſes* reædificaſſe, ac Babylonem dixiſſe ee).

Laura, Nova Laura, Cœnobium in Chuzeba prope Hierichuntem. *Evagrius H. E. IV*, 7, *pag. 389 ſeq.: Ioannes in Chuziba Laura, quæ ſita eſt in extremitate vallis ad ſeptentrionalem partem viæ publicæ, quæ ab Hieroſolymis ducit Hierichuntem, vitam monaſticam & ab omni materia diſiunctam exercuerat, urbis Cæſareæ Epiſcopatum obtinuit.* Cognominatus is inde fuit *Ioannes Chuzibita*. *Ioannes Moſchus* locum vocat *Cap.* 24 τὸ κοινόβιον τοῦ Χουζιβᾶ. Laura notat cellas Monachorum hinc inde diſperſas. Cœnobii origo ſpectat ad initium Seculi ſexti, eiusque primus Abbas ac Presbyter fuit ille *Ioannes Chozebita*, cuius fit mentio in *Menologio* ad diem 3 & 28 Octobris, ubi etiam Chozeba vocatur locus eremi, in quo monaſterium eius ſitum fuit. De Laura S. Sabæ infra in *Saba*.

Lebba

ee) *Ioſephus Ant. Iud. II*, 15, §. 1, *pag.* 111, qui Λητοῦς πόλιν vocavit. Hæc Babylon erat ad ſiniſtrum Deltæ latus Arabiam verſus ſita, teſte *Strabone*. Hæc vulgo pro Succoth habetur. At Latopolis non fuit Babylon. Situs repugnat. Copioſius id demonſtravi in *Parergis Gotting. T. I Lib. II pag.* 154 *ſeq.*

Lebba dicitur fuiſſe urbs Galilææ. In editionibus *Plinii* quibusdam *V, 19*, ſic legitur. *Spanhemius* in *Introd. ad Hiſt. eccl. Sec. I* credidit, Iudam *Lebbæum* inde dictum. Acceſſit ei Ill. *Ioannes Georgius Pertſchius* in *Hiſt. eccl. Sec. I pag. 203.* Verum *Iudas* ille natus fuit in Cana Galilææ, ſeu Sogane, Secanjah, & in pluribus melioribusque *Plinii* editionibus legitur *Iebba.* Confer *Relandum* ſupra *pag. 827.*

Lebaoth, Ioſ. XV, 32, & Bethlebaoth *XIX, 6*, & Bethlephthe, unde toparchia Bethlephtephon fuit dicta. *Relandus* ſupra *p. 648.* De *Lemba* vide *Laban* ſupra.

Leſchem, quam, *Ioſua* mortuo, Danitæ occuparunt *Iud. XVIII, 29*, licet hiſtoria legatur inſerta *Ioſ. XIX, 47.* Leſchem a Laiſch ad Paneadem videtur eſſe diſtinguenda, niſi Laiſch ſit ipſa Leſchem. Leſchem a Laiſch diſtinxit *Euſebius*, ac poſt eum *Gottius*, Purpuratus, *T. III de Veritate religionis Chriſtianæ & librorum, quibus innititur, Cap. 2 §. 1 pag. 15.*

Libna, ſtatio Iſraelidarum in Arabia. *Num. XXXIII, 20, 21.* Situs definiri nequit exacte.

Lidda. Vide *Lydda.*

Luith, urbs Moabitica. Vide *Eluſa* ſupra *pag. 755.* Luhith dicitur *Eſ. XV*, *Ier. XXVIII, 5.*

Luſſa, Luſa, Lyſſa, Lyſa, haud procul a Petra, Lyſa *Ptolemæi*, memoratur ſupra *pag. 225*, & a *Ioſepho Ant. Iud. XIV, 1, §. 4, pag. 684*, edit. *Havercamp.* Confer *Bocharti Phaleg pag. 350.*

Lus

Luz alia prope Sichem fuit in tertio lapide a Neapoli, ſeu Sichemo, memorata *Gen. XXVIII*, 19, *XXXV*, 6, *XLIII*, 3, *Ioſ. LVI*, 2, *XVIII*, 13, *Iudic. I*, 23, 26.

Lydda, *Lidda*, nunc villula. *Troilo pag.* 115 *ſeq.* Ipſa reſpectu Ramæ, ſeu Ramlæ, ad auſtrum iacet. *Cotovicus II*, 1, *pag.* 137, hæc habet: *Diſtat a Rama 3 mill. paſſ. ſolo æquata.* Ædem Equitis *Georgii* ſtruxit ibi Imperator *Iuſtinianus*, teſte *Wilhelmo Tyrio de Bello ſacro VII*, 22, *pag.* 762. S. *Georgium* ibi cruciatum, ac capite truncatum eſſe, incolæ referunt, autore *Scheidtio.* Templum eius converſum eſt partim in oratorium Turcorum, partim in monaſterium Calogerorum Græci ritus. Turci enim & Chriſtiani ibi æque *Georgium* illum venerantur, rati, eius caput, vel corpus, ibi aſſervari, teſte *Cotovico pag.* 138. Mirum ſane, de hoc *Georgio* nihil legi apud *Euſebium de Martyribus Palæſtinæ.* Lyddam vocant alias Diospolin. *Romulum* Diospolitanæ eccleſiæ Subdiaconum Martyrem *Euſebius* memoravit in libro *de Martyribus Palæſtinæ Cap. 3 pag.* 412. Urbs hæc olim elaboravit *purpuram*, *altinam*, ſeu *alitinam*, teſte *Expoſitione totius mundi p.* 6 *Vol. III Hudſoni.* Synodus Diospolitana Seculo V ob *Pelagium* & *Cæleſtinum* fuit a *Ioanne*, Epiſcopo Hieroſolymitano, convocata.

Mabſara, *Maſaris*, vicus grandis, ad Petram per-

tinens. *Euſebius* in *Onomaſtico* ad vocem *Maſaris*. Locus vocatur *Moſeroth Num.* XXXIII, 30. 31.

Machaerus. *Ioannem* Baptiſtam ibi ab *Herode Antipa* carcere fuiſſe coercitum, tradit *Ioſephus Ant. Iud.* XVIII, 5, §. 2, *pag.* 883 *ſeq.* addens, illum ibidem occiſum. At id vix fit probabile, ni locus feralis convivii loco illi fuerit vicinus. Eodem enim natalium *Herodis* die caput *Ioannis* amputatum fuit, ac relatum, ſpectatoribusque expoſitum. Idem *Ioſephus* ait, priorem *Herodis* uxorem excurriſſe ad caſtellum Macheruntá, veluti ad locum ditioni patris ſui *Areta* ſubiectum, *l. c.* §. 1 *pag.* 883. Dubium hoc iam movit P. *Daniel Papebrochius* in *Actis Sanctorum T.* IV *Iunii die* 29 *Cap.* 2 §. 4 *n.* 17 *ſeq.* Extricavit & hoc & alia *Nathanael Lardnerus de Fide hiſtoria evangelica Lib.* I *Cap.* 1 *pag.* 18 *ſeq.* Et quis affirmare ſuſtinebit, feſtum illud natalium honori ſacrum unico tantum die celebratum fuiſſe? *Perſii* ſunt hæc: *Herodis venere dies.* Machaerunti adiacebat mons *Machvar*, a Machaerunte dictus, alibi appellatus *mons Peraa* in *Gem. Hieroſol. Schebbiith f.* 38 *col.* 3, 4, paſcendo pecori aptiſſimus, ac diverſis fontium plurimorum aquis irriguus. Vid. *Ioann. Lightfootii Chorographia, Ioanni praemiſſa, Cap.* 3 §. 6, & *Conr. Ikenius* ad *Tamid pag.* 71 *ſeq.*

Machanaim a *Ioſepho* vocatur παρεμβολαὶ, *caſtra,*

ſtra, Ant. Iud. VII, 9, §. 8, p. 391, VII, 10, §. 1, pag. 392. Isboſeth in Machanaim Rex Iſraelitarum fuit conſtitutus, ibique conſedit. *2 Sam. II, 8, 29. Hermannus von der Hardt* in *Medabenis pag. 41* ſtatuit, Machanaim alias dici כמוש *Camon.* At Camoſch prope Pellam & Gephrun, ſeu Ephron, inter locum utrumque, fuit ſita, indice *Polybio Lib. V pag. 414.*

Macomena, vicus haud procul Hieroſolymis ſitus, memoratur a *Wilhelmo Tyrio XX, 21, pag. 501.* Vide infra *Mechanum* & *Mechona.*

Machpela. Locus ad radices montis Ebal, qui penitus eſt cavernoſus, præſertim ab eo latere, quo urbem Sichem ſpectat. Hebræorum ibi exſtitiſſe ſepulchra, tradunt permulti, teſte *Cotovico p. 340.*

Madon locus legitur *Ioſ. XI, 19,* cuius regulum devicit *Ioſua.* Recenſetur hic inter regulos locorum *Chephor, Aphec, Laſſaron, Chazor, Simron-Meron,* & *Achſchaph* ante Chatzor. Chatzor vero, ſeu Aſoron, & Meron, in Naphthalitide fuerunt conſpicua. Aphec & Laſcharon loca, quæ præmittuntur loco Madon, ſunt Aphaca, Libano appoſita, & Leſchem, ad originem fluvii Letanes ſita. Chatzora vero ſupra fuit accurate determinata. Quærendus eſt itaque locus Madon ad Naphthalitidis marginem ſeptentrionalem, vel ultra Antilibanum verſus Tripolim. Cis hanc reſtat caſtellum ac regiuncula *Danni.* At nolim quidquam definire, ratus, alios me fore ingenio feliciores.

Madmen, ut Moabitidis *Ier. XLVIII*, 2, alibi *Dibon*, *Dimon*, in Peræa.

Madyan, *Midian*, locus ſinui Arabico verſus Orientem adiacens prope oram ſeptentrionalem extimam. *Abulfeda* ex *Gravii* translatione ſic de illa diſſerit *pag*. 42 *Vol. III Hudſoni* in *Deſcriptione Arabiæ: Madian, civitas diruta, ſuper mare Alkolzum ſita eſt, e regione Tabuc, a qua ſex fere dierum itinere diſtat. Ibi puteus, ex quo Moſes pecora Schoaib adaquavit. Madyam etiam nomen tribus, unde Schoaib*, i. e. Chobab, *oriundus. Poſtea vicus ab eo nomen accepit.*

Magdala. In vita *Ioſephi ſ.* 1007 edit. vet. legitur Magdala. Sed receptum ibi in vulgatis Codicibus nævum correxit ex Manuſcriptis *Sigebertus Havercampius*, Philologorum coryphæus, *§*. 24 *pag*. 11, reſtituitque ex Manuſcriptis *Gamala*. *Ioannes Lightfootus* in *Chorographia ad Matthæum Cap*. 76 vicinitatem Tiberiadis, Chammatæ, & Magdalæ, multis Iudæorum teſtimoniis comprobavit. Conſentit *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis pag*. 79, ratus, Magdalam alibi dici Migdal El, Laccum, Madon, Galead, nec non Dalmanutha. Vix veritatis ulla veſtigia in hac congerie conſpicere licet.

Magdiel. *Relandus* eam habuit pro Migdal El. Infra *pag*. 898. At Magdiel erat urbs ad littus maris mediterranei, Menaſſitis in tribu Aſſer attributa; Migdal El vero ad tribum Naphthali

thali eſt referenda, ſita ad occidentale lacus Geneſaritici littus.

Magdolon, *Migdol*, *Migdal*, urbs Ægypti in nomo Arabiæ Peluſium inter & lacum Sirboniden. Præterierunt eam Iſraelidæ, ex Ægypto educti. *Ex. XIV, 2, Num. XXXIII, 7.* A Peluſio dicitur Magdolon XII mill. paſſ. abfuiſſe. Sic habet Itinerarium *Antonini*. Indubie loco XII reſcribenda ſunt XXII. *Herodotus* tradidit *II, 159*, Regem *Necbum* congreſſum eſſe cum Syris ad Magdolum, ac diſceſſiſſe ſuperiorem. Locus prælii fuit *Megiddo*. Μαγδωλὸν, *Magdolum*, locus idem vocatur a LXX *Ier. XLIV, 1, XLVI, 14.* Fruſtra eſt *Chriſtophorus Cellarius*, qui aliud Magdolon ad ſinum Arabicum fingere ac ponere tentavit, ſiquidem nec volam, nec veſtigium, in ſcriptorum teſtimoniis fidei plenis pro ſua ſententia deprehendit.

Magog. Vide *Mamre*. Hierapolis videtur in *Plinio* dici *Magog*. At legendum ibi eſt *Mabog*.

Magieza, urbs Arabiæ Petrææ apud *Ptolemæum*.

Maked, Μακὲδ, urbs transiordanica, quam expugnavit *Iudas Maccabæus*, *1 Macc. V, 36*. Eſt locus *Bacatha*.

Makatz, locus haud procul a Beth-Schemeſch. *1 Reg. IV, 9*.

Malcom, locus transiordanicus Ammonitarum, ex Deo tutelari *Milcom* ſic dictus. *Ier. XLIX, 1, 3.* Ammonitæ autem *Ieremiæ* ævo ultimo

tenebant tractum Gaditarum, Heſbonem & Ai.

Mamre, *Mamorta*, *Mabara*, eſt ipſa Sichem non longe a Chebrone ſeptentrionali, ſeu Acrabbim. Sichemum, ſeu Neapolin, ab indigenis *Mabortham* fuiſſe dictam, teſtis eſt *Ioſephus de Bello Iud. IV*, 8, §. 1, p. 297. Conf. *Relandi Diſſert. Miſcellan. P. I pag.* 141. *Conſtantinus Maximus* ibi ſuperſtitioſa ſimulacra & aram deſtrui iuſſit, teſte *Euſebio* in *Vita Conſtantini III*, 51, iuxta quercum *Mambre*. At ea ætate dudum invaluerat opinio, *Abrahamum* verſatum eſſe ibi prope Chebronem auſtralem. Error enatus fuit ex *Ioſepho* & *Epiphanio*, qui *Elon Mamre* converterant in *Mambre quercum*. Elon autem Mamre eſt tractus inter convalles, a Mambre dictus, ibique incipiens. *Aulon* certe *Euſebio* & *Hieronymo* fuit ſatis notus, ipſique *Relando* ſupra *pag.* 364. Aulon ille nunc vocatur *campus Saba* a pago quodam vicino, teſte *Cotovico pag.* 356. Agri ibi nunc ſunt inculti & deſerti. Confer *Iudith VII*, 17. Confudit tamen *Relandus* planitiem magnam cum Aulone *pag.* 364. Longum terrarum ſinum *Dionyſius Byzantius de Thracio Boſporo pag.* 7 *Vol. III Hudſoni* æque vocavit *Aulon*, licet ibi vulgo *Auleon* legatur. Elon Mamre *Ioſephus* tranſtulit in ὠγύγην δρῦν, Χαναναίας τὸ χωρίον ἐ πόῤῥω τῶν Ἑβρωνίων πόλεως, *antiquam quercum, Cananeæ locum, non procul ab Hebroniorum urbe ſitum,*

Ant.

Ant. Iud. I, 10, §. 4, *pag.* 32 *ſeq.* *Drys* illa ſeptem modo ſtadiis aberat Chebron, a Bethlehem 15 mill. paſſ. in occaſum hibernum. *Quercum* poſtea *Euſebius*, *Hieronymus*, aliique, vocarunt *Terebinthum*. Elon autem Mamre vocatur *Elon Moreh Gen. XII*, 6. *Reineſius* iam *de Ling. Pun. pag.* 70. ed. Ultraiect. omnino perſpexit, aulonem *Moreh* Sichemis fuiſſe propinquum. *Ogyg* in veteri lingua Punica denotat *vetuſtum, antiquum*. Unde *Magog*, locus, notat *aquas antiquas*, *oudewater*. Olim hoc nomine clara fuit Seleucia Syriæ, Oronti, in mare ſe exoneranti, verſus ſeptentriones adiecta. *Strabo* quidem, ab *aquarum fluminibus* urbem olim dictam fuiſſe, contendit, Ὑδατος ποταμοὶ videntur ibi legi pro ὕδατα παλαιά. At nolumus nunc huic rei inhærere. Situm *Seleuciæ* huius *Pieriæ* expoſuit *Polybius V*, 59. Ipſa nunc vocatur *Suweid*, & Antiochiæ eſt proxima, vix ab ea diſtans millibus paſſ. X, ſita iuxta fauces fluvii Orontis, teſte *Wilhelmo Tyrio II*, 10. Oppidum in ruinas ſubſedit; portus, a *Tiberio* ſtructus, ab Imperatoribus poſtea reparatus, reſtat, nunc dictus *Porto Simone*. *De la Roque* in libro *Voyage de Syrie & du Mont-Liban Tom. I P. II pag.* 210 *ſeq.* Quantum ad Terebinthum attinet, ipſam & ipſi ſimulacrorum cultores venerabantur, teſte *Euſebio Demonſtr. V*, 9, ac ipſo *Sozomeno II*, 4, ubi de mercatu ad Terebinthum copioſe diſſeritur. Conf. *Euſebii*

Vitam Conſtantini III, 53, pag. 607. Plura dabimus infra ad *Terebinthum.*

Makeheloth, ſtatio XXII Iſraelidarum in Arabia Petræa. *Num. XXXIII, 25, 26*, inter Sinai & Moſeroth.

Marah, dicta ab aquis amaris, ſtatio Iſraelidarum, ex deſertis Schur eluctantium. *Ex. XV, 22.* Fontes ſalſos & amaros prope Oſtracinon ac Rhinocoruram poſuerunt *Diodorus Siculus & Thevenotus.*

Maraclea Wilhelmi Tyrii X, 5, videtur eſſe Marathus, urbs Syriæ littoralis. *Dionyſ. Perieg. v. 914 ſeq.* hunc ſervavit ordinem: *Tripolis, Orthoſis, Marathus, Laodice, Neptunia opera*, i. e. Poſidonium, *ſacra tempe Daphnes, Antiochia.* Circa Marathum fluit amnis Marathius, teſte *Euſtathio pag. 162 Vol. IV Hudſoni* ad *Dionyſii Periegeſin.* Plura dat *Chriſtophorus Cellarius* in *Geogr. ant. III, 12, pag. 415.* Pro Maraclea apud *Wilhelmum Tyrium* reſcribenda eſt *Marathea.* Hoc enim nomen ipſi eſt tritum. Urbs Orthoſia ad ripam Eleutheri fluminis ſeptentrionalem fuit ſita, ac in ruinas ſubſedit. Eleutherus ille nunc vocatur Nahr el Berd, i. e. *fluvius frigidus.* Orthoſias olim habebat navale. *1 Macc. XV, 37.* At nunc ne quidem cymbæ piſcatoriæ ibi inveniuntur. Eleutherus videtur Phoenicen a Syria olim diſcreviſſe. *Mela* quidem Simyram & Marathum urbibus inſerit Phœniciis, *1, 4*, ac *Stephanus* Byzantinus Phœnicen ad Gabalam usque

que borealem producit: immo *Plinius* ipſe, licet Smyram Syriæ tribuerit, Marathum ac Aradum regioni Phœnice adſcripſit. At *Ptolemæus* ac *Strabo* ab urbe Orthoſia, ſeu Orthoſiade, inchoant Phœnicen. *Straboni* inter hæc viſum fuit & e re ſua & ex vero, credidiſſe, Marathum fuiſſe *urbem veterum Phœnicum.* Significavit eo ipſo Geographus, Marathum olim a Phœnicibus extra Phœnicen fuiſſe exſtructam ac poſſeſſam. Nec dubitandum eſt, Phœnicibus debere urbes reliquas maritimas ad Orontis usque oſtia originem ſuam. Et id ipſum eſt in cauſa, cur terminus borealis haud unico modo regioni Phœnice attribuatur. Marathus videtur Phœniciam appellationem obtinuiſſe. Unde ſuſpicari licet, ex *Me* & *Art*, id eſt, ex *aquis Aradi*, quæ illam alluunt, fuiſſe dictam. Iuvat hic contuliſſe *Shawi*, Angli præſtantiſſimi, Geographicas de Syria Obſervationes, quæ poſt *Henrici Maundrelli* iter dignæ ſunt legi ac expendi. Hic ſibi perſuaſerat, Tortoſam, quam incolæ *Deir-doſe* appellant, eſſe Orthoſiam veterem. At Orthoſia, ſeu Orthoſias, ſitu gaviſa fuit, ad auſtrum magis recedente. Si rationem ſitus ſequimur, Tortoſa & Antaradus veterum haud differunt. Aradum Turci nunc appellant *Ru-Wadde*, alii *Ruad.* Inſulam Aradum & locum *El-Hammah*, qui inde in continenti verſus Orientem decem leucis Anglicis diſtat, ſedemque præbet præfecto Turcico, quem

Baſ-

Baſſam vocant, videntur *Shawo*, M. D. Anglo, ultima Cananitarum fuiſſe verſus ſeptentriones loca. Idem locum El-Hammah reputat pro Chamath & Emath, cuius fit mentio *Num. XIII, 22, 2 Reg. XVII, 24, XXIII, 33, Eſ. X, 9.* Cur diſſentiam, rationes alibi expromſi. Rudera oppidi veteris, quæ inveniuntur prope *fontem ſerpentis*, D. *Shaw* habet pro Marathi reliquiis. Ipſa formant triangulum æquilaterale cum Arado ac Tortoſa. *Strabo* collocat inter ἐπίνειον, *navale* eius, ac Marathum, inſulam Aradum, addens, hanc a continenti diſtare 10 ſtadia. A Maratho urbe verſus auſtrum non procul abfuit *Simyra*, teſte *Plinio V, 20*. Hæc nunc vocatur *Sumrah*. *Strabo* eam vocavit *Taximyra*. Ab ea verſus auſtrum diſtant rudera *Arcæ* quinque leucas Anglicas. Ipſa Arca fuit ſita ad terminum Libani ſeptentrionalem, verſus boream amœna planitie amplaque inſignis. Duabus inde leucis Anglicis verſus zephyrum in mare ſe exonerat *Nahr el Berd*, fluvius frigidus, ſeu Eleutherus. Hæc ex *Shawo*. Idem urbem Margath, ſeu Merkab, ad auſtrum orientalem Balaneæ inter amnes Mellek & Huſſine ponit ultra Carnen, Arado fere ad ortum ſolis oppoſitam.

Matta-reah, Mattara. Ita Arabes nunc vocant rudera Heliopoleos Ægyptiacæ. Nomen id traxit locus ex fonte excellentioris aquæ, qui abeſt tribus leucis Anglicis a Nilo, & ad quinque leucas eiusmodi a Cahara verſus eurum ſepten-

ſeptentrionalem. *Ioſephus* credidit, huc habitatum conceſſiſſe Iſraelidas, a *Ioſepho* arceſſitos. Teſtimonio hoc adductus fuit D. *Shaw*, ut crederet, Goſenitida exſtitiſſe inter Heliopolin & Raemſen in vicinia Caharæ, ſeu Cairiæ. Idem Raemſen pro Cahara habet. Conf. eius *Obſervations geographiques Cap.* 2 *pag.* 28 *ſeq.* At Patumon, ſeu Pitom, ſitum erat, teſte *Herodoto*, paullo ſupra Bubaſtum, quæ nunc appellatur *Biſbbeſh. Clemens Alexandrinus Strom.* I *pag.* 417 *ed. Potteri* ſuffragatur nobis, qui tradidit, *Moſen* recta primum contendiſſe verſus Palæſtinam, deinde dextrorſum verſus mare rubrum a cœpto tramite deflexiſſe. Hanc ſententiam affectamur, ſitu locorum, in ſacris literis commemoratorum, ſic flagitante. LXX Interpretes urbem *On* verterunt in Ἡλιέπολιν, Heliopolin, *Gen.* XLI, 45; 50, haud ſecus ac Bethſchemeſch, *Ier.* XLIII, 13. Si Goſenitida locaverimus inter Heliopolin & Alcaharam, non ſolum reclamamus libro *Iuditha*, *Wilhelmo Tyrio*, & *Oliverio Scholaſtico*, ſed etiam impedimur, quo minus loca Succoth, Magdolon, & Baalzephon, Etham & Pi-hahiroth, determinare liceat. Maxima vero tunc nos premit difficultas, quod experimur re ipſa, tres ſtationes haud ſuffeciſſe itineri ad ſinum Arabicum peragendo. *Ioſephus* hic denuo Commentatores ad avia traduxit, Geographus in locis extra Palæſtinam ſitis ſæpius infidus & diligentiæ expers. Ipſe ſic memoriæ prodidit in *Ant. Iud.* II, 15, §. 1,

pag.

pag. 111: Hebræi iter faciebant egreſſi per Letopolim, tunc deſertam. Illic enim poſtea condita eſt Babylon, cum Cambyſes Ægyptum devaſtaret. Celerrime autem, & per viarum compendia abeuntes, tertia die acceſſerunt Belſephontem, locum ad rubrum mare ſitum. Fallitur *Ioſephus* in definiendo loco Letopoli. Letopolites nomos, eiusque urbs Λητȣ͂ς πόλις μεσόγειος, *Latonæ urbs mediterranea*, a flumine reducta, viſebatur quondam inter Mareoticum & Delta, teſtibus *Strabone* & *Ptolemæo*. Latopolis alia fuit ultra Thebas in Ægypto ſuperiori, teſte *Strabone Lib. XVII pag.* 817. De boreali ſic *Strabo Lib. XVII p. 806 ſeq.: In Libya Cerceſura urbs eſt iuxta Eudoxi ſpeculas ſita. Etenim ante Heliopolin ſpecula quadam oſtenditur - - Præfectura hæc Latopolitana nominatur. Ulterius ſurſum naviganti eſt Babylon, caſtellum natura munitum, a Babyloniis quibusdam munitum, impetraruntque a regibus, ut ibi habitarent.* Babylona accenſet *Ptolemæus* nomo, ſeu tractui, Heliopolitano. At Latonæ urbs attributa fuit præfecturæ Latopoliticæ ad occaſum Deltæ, & alvei ultimi ad occaſum, dicti Agathi Dæmonis, infra præfecturam Memphiticam. In tabula *Cellarii*, quæ Delta Ægypti & Nili oſtia repræſentat, hæc differentia ſitus inter Lapolin, ſeu Latonæ civitatem, & Babylonem ad oculum ſtatim pateſcit. Nihilo minus *Cellarius* auctoritate *Ioſephi* in omnia alia ivit abreptus, *Geogr. ant. IV, 1, pag. 34.* Et quid

multa?

multa? Tres ſtationes haud ſuffecerunt Iſraelidis ex Heliopolitico tractu, ſi id maxime verum eſſet iter, ad ſinum Arabicum profectis. D. *Shaw* in *Obſervationibus geographicis Cap. 2 p. 29 ſeq.* id ipſum candide fatetur. Prodierunt illæ in *Tomo ſecundo* libri, qui, Gallice translatus, Hagæ Comitum A. 1743, 4, editus, præfert titulum: *Voyages de Monſ. Shaw, M. D. dans pluſieurs provinces de la Barbarie & du Levant.* En eius verba: *Ioſephe & d'autres, qui l'ont copié, ſemblent ſe tromper, lorsqu'ils diſent, que les enfans d'Iſraël firent ce chemin en trois iours de tems: ils ont apparemment pris les ſtations, dont parle l'Ecriture, pour des journées de chemin. Il faudroit à ce compte, que ces iournées euſſent été de trente milles chacune; ce qui auroit été beaucoup trop pour une Nation entiere, où il y avoit des vieillards, des femmes, & des enfans, qui emportoient outre cela beaucoup de bagage, & qui emmenoient avec eux beaucoup de bétail.* Et hæc eſt ratio, cur inveteratam *Ioſephi* ſententiam ac iter Iſraelidarum per ſinum Arabicum cum *Ioanne Matthia Haſio* dudum repudiare debuerimus. Tres enim Iſraelidarum ſtationes, ex Raemſes usque ad Iamſuph peractæ, complectuntur iter tridui ac tres commorationes in caſtris nocturnas. Si ipſi ſtationes in eodem loco egerunt pluribus diebus, tunc dierum numerus exprimi ac deſignari ſolet. *Ex. XV, 22, Num. XXXIII, 8.* In Elim ipſi compluures dies commorati fuerant. Id vero indicatur

tut *Ex. XVI, 1.* Itinera ſigillatim ſunt ſecundum ſtationes deſcripta, nullo eorum omiſſo. *Num. XXXIII, 1.*

Margath caſtrum in Syria littorali e regione Cypri. Arabes id vocant *Al marcquab*, uti perſpicitur ex *Scheriſo Ibn Edris P. V Clim. 4.* Eo Equites Ordinis Hoſpitaliorum, ſeu Ioannitici, ſeſe receperunt, Hieroſolyma A. 1178 a *Saladino* occupata. Margathum emerant A. 1178 a *Renaldo* ſub magiſtro Ordinis nono *Ermengardo d'Aps.* Reges Galliæ Angliæque paullo poſt eripuere *Saladino* Ptolemaida, ſeu Acram. *Ermengardus* huc A. 1191 ſedem tranſtulit. Ordo A. 1243 a Charesmiis ad Hieroſolymam fere ad internecionem deletus fuit, Magiſtro eius *Guarino* cum plerisque equitibus cæſo, teſte *Matthæo Pariſienſi ad A. 1244.* Equites A. 1285 locum Margath amiſerunt, ac in Germaniam demigrantes, in memoriam caſtelli derelicti intra Franconiam condiderunt *Mergetheim*, i. e. domicilium Margathi. Vid. B. *Iulius Iuſtus Gebhardi* in *hiſtoriſcher Nachricht von dem Stiffte S. Matthæi in Braunſchweig Cap. 2 pag. 35 ſeq. Brunſuici*, 1739, 4.

Maſada dicitur a *Ptolemæo* Meſada, in ſacris literis מְצוּדָה *caſtellum*, *Mezudah*, *1 Sam. XXII, 5, XXIV, 23,* ac *Mezudoth Engedi 1 Sam. XXIV, 2, 1 Par. XII, 6.* In *Pſalmis* ſæpius ad hunc locum reſpicitur, id quod in *Hiſtoria odarum Davidicarum* fuſius comprobavi, ſuo tempore eam editurus. Situs fuit locus prope Engada

da verſus ſeptentriones ad lacus ſalſi littus occidentale. *Eleazar*, Iudæorum dux et Pontifex armatus, contra *Veſpaſianos* infeliciter pugnans, huc ſe tandem recepit, fatique diem ibi cum ſuis occupavit, teſte *Ioſepho de Bell. Iud. VII*, 9, *pag.* 431, *Tom. II Oper.* Maſadam idem *Ioſephus* copioſe deſcripſit *ibidem VII*, 8, §. 3, 4, 5, *pag.* 424 *ſeq.* ſitumque ad lacum Aſphaltiten in petra ambitus non exigui excelſa confirmavit.

Maſaris. Vide *Mabſara* & *Moſeroth.*

Maſpha, 1 *Macc. V*, 35, memorata, eſt locus Peræx, indubie Ramoth Gileaditica, alias Mizpa dictus. *Hieronymus de Locis Hebraicis*: *Maſpha, in tribu Gad, ſeparata Levitis. Eſt autem & alia nunc Maſpha in finibus Eleutheropoleos contra ſeptentrionem pergentibus Æliam, pertinens ad tribum Iuda.*

Maſſecca, urbs Idumææ *Gen. XXXV*, 36, alibi Meſech, *Euſebio* Maſreca. De tentoriis, gregibus, & camelis Bne-kedem, nonnihil legitur *Ier. XLIX*, 28. Maſreca non videtur differre a *Saraca Stephani.*

Mattana, urbs tribus Ruben, *Ier. XLVIII*, 2, *Ieſ. XV*, 9, extra regnum Ammonitarum olim poſita. *Num. XXI*, 18, 19. Iſraelidæ ex deſertis Moabitarum progreſſi ſunt boream verſus ad Matthanam, ad Naalielem ad Bamoth intra vallem campi Moabitici prope montem editiſſimum Piſga. Tunc vero tranſitum per terram Emræorum a Rege *Sichone* petierunt *v.* 21. Rex

eis illum denegavit, atque obviam ipſis proceſſit in deſerta, conflicturus cum his ad Iachzam. Amoraeorum fines ab Arnonate ad Iabocum patebant. *Hieronymus de Locis Hebraicis: Mathane, qua nunc dicitur Mathana, ſita eſt autem in Arnona, 12 miliario procul contra orientalem plagam Medebat.* Medeba autem *iuxta Eſebon* fuit ſita. *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis pag. 10* ita: *Sub Arnone urbs Mattana, quae alio ſono Minnith, Madmen, Maget, Iemin, Dimon, Dibon, Kedemot, Maniath, Athone Ioſepho, Thoana, ſeu Thana Ptolemaeo. Unde Moſes, cum Arnonem traieciſſet, legatos miſit ad Sichonem.* At Mennith, ſeu Minnith, eo haud quadrat. Erat enim tempore *Hieronymi* Mennith villa, ſeu vicus, grandis in quarto lapide Esbuntis pergentibus Philadelphiam. Madmen, Dimon, & Dibon, haud differunt. Nec tamen congruunt cum Manuatha. Maget, ſeu Maked, eſt Bacatha prope Philadelphiam. Kedemot videtur Mannathâ fuiſſe ſeptentrionalior ob loca proxime adiecta. *Ioſ. XIII, 18. Athonen Ioſephus* interpoſuit Agallae & Zoaris, Moabiticae Arabiae urbes recenſens, *Antiquit. Iud. XIV, 1, §. 4, pag. 684.* Deeſt mihi, fatebor enim, ratio, cur Athonen in Mattanam arbitrer convertendam.

Mazel locus ab Arabico interprete ſubſtituitur loco *Azmon* in *Num. XXXIV, 5,* prope Rhinocoruram verſus Orientem.

Meara,

Meara, quæ erat Sidoniorum, vel verſus eos tendens, memorata *Ioſ. XIII*, 4. plerumque per *ſpeluncam*, vel *ſpecum*, convertitur. *Plinius V*, 20: *At in ora etiamnum Libano ſubiecta fluvius Magoras, Berytus -- Leontos oppidum.* Videtur indicari per fluvium illum *Nahr-Bairuth*, flumen Beryti, quod attigit *de la Roque pag.* 225. Veteres vocant id *Lycum*, a *Strabone Lib. XVI pag.* 756 memoratum. Videtur in voce *Magoras* inſidere mendum. Nemo enim præter *Plinium* id fluminis novit. Erat ibi pars camporum, a mari incipiens, vocata *Macras*. Campus ille dictus fuit *Matra*, teſte *Strabone Lib. XVI pag.* 755. Si quid video, campus Macra, ſeu Magora, eſt ipſa Meara, & flumen Magoras eſt fluvius campi Macræ, a Beryto alias cognominatus.

Mecholah, alias Abel-Mecholah. Barſillai erat מְחוֹלָתִי, *Mecholæ natus*, vel inde oriundus. 2 *Sam. XX*, 8.

Medaba, *Medava*, *Ptolemæo* Μήδαυα, *Ioſepho* Μήδαβα, alias Medaba. Videntur incolæ & accolæ eius dicti *Midianitæ*, quorum fit mentio *Gen. XXXVI*, 35, 1 *Chron. I*, 46, *Num. XXII*, 4, *XXV*, 6, 15, 17, 18, *XXXI*, 2, 3, 7, 8, 9, *Ioſ. XIII*, 21.

Medeja, urbs haud procul a clysmate in Tabula *Peutingeriana*, olim *Midian* & *Madyan*. Vide *Madyan*.

Memphis, מֹף, ad occaſum Nili floruit e regione loci, quem ex Seculo VII Alcahara, ſeu Cai-

ro, urbs, occupat in Ægypto. Hoc enim Seculo VII Califa incolas Memphis juſſit Caharam tranſire, teſte *Wilhelmo Tyrio XIX*, 14. Rudera & reliquiæ Memphis ſabulo humoque iacent obruta, ac inter illa exſtat pagus Geeza, teſte Doctore *Shaw*. *Moph* eſt Memphis. *Hoſ. IX*, 6. Alexandrini LXX Interpretes per *Noph*, Ægypti urbem, pariter deſignatam exiſtimarunt Memphin, *Eſ. XIX*, 13, *Ier. II*, 16, *XLVI*, 14, *Ezech. XXX*, 13. At *Noph*, נֹף, fuit *Onuphis* in nomo Onuphite, Athribiticum inter ac Buſiriticum alveum infimæ Ægypti. Circa Memphin erat nomos Memphiticus, a *Plinio* memoratus *Lib. X Ep.* 5. Ipſa abfuit tribus Schoenis a vertice Deltæ. Schœnos hos *Plinius* per XV millia paſſuum expoſuit *H. N. V*, 9. Schœnus ſtadia complectebatur quadraginta, teſte eodem *Plinio XII*, 14. Fuſius de Memphi diſſeruit *Chriſtophorus Cellarius* in *Geogr. ant. IV*, 1, *pag.* 61 *ſeq.* Inter Alcaharam & ſinum Arabicum nil aquæ inveniri, indicavit *Leo Africanus* in *Deſcriptione Africæ VIII*, 57.

Mehuſal, מְהוּסָל, urbs commerciis clara, & a Tyro disiuncta. *Ez. XXVII*, 19. *Maſſylla*, ſeu Marſilia urbs & emporium Galliæ Narbonenſis, deſignatur, quæ a civibus Phocææ quibusdam, urbis Ionum in ora Aſiæ colonis, fuit inſtructa. Teſtem advoco *Marcianum Heracleotam* in *Perriegeſi pag.* 9, & *Iuſtinum XLII*, 4. & *Melam II*, 5. & *Plinium III*, 4. Situm & hiſto-

hiſtoriam urbis delineat Auctor *Panegyrici, in Conſtant. filium dicti, Cap. 19*, ac *Iuſtinus* loco laudato. Portus, urbi proximus, vocatus olim fuit *Lacydon*. Locus commerciis, navigatione, & ſtudiis Græcis, quondam ita viguit, ut Romani filios, Philoſophiæ operam daturos, Marſiliam, ſeu Maſſiliam potius, quam Athenas, mitterent.

Meni fuit regnum, quod cum regnis Ararat & Aſchkenas coniungitur. *Ier. LI*, 27. In Ebræo fonte legitur *Minne*. Minnæorum regio ac regnum patuit per Arabiam, ad marginem ſinus Arabici orientalem ab Ailana, ſeu Elanis, in auſtrum verſus Saba, ſeu Zibith, deſcendendo. *Strabo* Μιναίους appellavit *Lib. XVI p. 768*, quos *Diodorus Siculus* ſcripſit Μιναίους, *III*, 42. Ipſi Sabæis erant contermini ad ſeptentriones, verſus ſinum Arabicum, & introrſus ad mediterranea. *Strabo* eos in auſtrum ab Elana disiungit intervallo ſeptuaginta dierum. *Plinius* eis tribuit Charmæos, oppidum Mariaba Baramalacum (caſtellum Regum), idque non ſpernendum, & Carnon, *VI*, 28. Maximam eorum civitatem *Strabo* vocat *Carna*. *Diodorus* Minæis coniungit Gerræos, tradens, utrosque tus aliasque odoriferas merces in Palæſtinam convehere. Gerræi ſunt incolæ regni Ararath. *Strabo* Gerræos dixit mercatura ditiſſimos poſt Sabæos. *Sabaeorum* gentem copioſe ediſſerit Epitomator *Agatharchidæ de Mari rubro pag. 61 ſeq. Vol. I*

Hudſoni. Regnum Askenas complectitur *Aſcitas* in Felici Arabia, *Plinio* & *Ptolemaeo* memoratos. Hic eorum ſedes definit iuxta montem Syagrum usque ad mare, quod meridiem proſpectat.

Meonis prope Gazam. Incolae dicti מעונים, *Meünim.* 2 *Chron. XXVI*, 7.

Mephath, *Ier. XV*, 2, *XLVIII*, 21, alibi מופעת *Muphaath*, & מפעת, *Mephath*, *Ioſ. XIII*, 18. Mephaath tribui Ruben attributa fuit. *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis pag.* 9, 25 *ſeq.* ponit hunc locum ab ortu Iahzae.

Merome prope lacum Samochoniten, alibi *Meros* dictum, & *Meroth*, vicus Galilaeae ſuperioris, *Ioſephi* Mero *de Bell. Iud. II*, 20, *§.* 6, *pag.* 208, & Meroth *de Vita ſua §.* 37 *pag.* 18.

Meſaphar, inter Sidona & Paneada vicus, in ſummo monte ſitus, unde omnem terram ſubiectam usque ad radices Libani proſpicere licebat. *Wilhelmus Tyrius XXI*, 28. In planitie montibus ſubiecta locus *Mergium.* Planitiem illam & agros Sidoniorum perfluit flumen, teſte eodem.

Meſada, a *Ptolemaeo* Arabiae Petraeae attributa. Eſt *Maſada*, quam vide.

Meſech Ez. XXVII, 13, locus vicinus Magogiae & Thubali *v.* 2. Thubal notat Tibarenos, mercatura mancipiorum & aeneorum vaſorum inclutos. Ibi Pontum ad Orientem incolebant. *Meſchech* ad Moſſchicos montes habitabat, gens Moſſchorum. Montes illi diſidebant Tiberiam

riam ab Armenia, & utramque a Colchide, teſtibus *Strabone Lib. XI pag.* 492, & *Plinio VIII*, 4, 10. Moſſchos commemorarunt *Strabo l. c.* & *Mela I*, 2, 21. Tabareni Chalybes attingebant, quibus in riſu luſuque ſummum erat bonum, teſte eodem *Mela I*, 21. In Moſſchica regione ad pontum erat Leucotheæ templum, a *Phrixo* conditum, ubi aries haud immolabatur, opulentum quidem, at a *Pharnace* expilatum, teſte *Strabone Lib. XI p.* 498, qui Moſſchicos montes Iberiam ab Armenia ſeparantes memoravit *Lib. XI pag.* 60, eosque ſupra Colchidem eſſe, memoriæ prodidit *Lib. XII pag.* 548.

Meſopotamia, regio duobus fluviis intercepta, 1) famoſior Euphraten inter & Tigrim, 2) cis Euphratem *Iudith. II*, 24, Orontem inter & Euphraten, 3) inter Iabocum & Iordanem, alibi Aram-naharaim, 4) in Portugallia inter Minium ac Durium. Interamnatem haud unam exhibet Italia. Abbas *Andreas Adami della Storia di Volſeno Lib. IV pag.* 148 hanc protulit inſcriptionem: *Trib. Leg. XI. Cl. P. F. X. vir. ſtlitib. iudicand. cur. graviſcanorum. Interamnatium. Nartium. optimo. patrono. Volſinienſes.* Nam ſupra Narniam ad Narem flumen in Umbria, aut in ipſo, erat *Interamna* Nare circumfluente cincta. *Varro L. L. IV*, 5, *Tacitus Hiſt. III*, 63, aliique, oppidum *Interamnam* affigerunt. Incolæ & Nartes que inde dicti fuerunt *Interamnates*.

Metim, *Eſ. XXVI, 14, 19*, videntur eſſe Thmuitæ, incolæ f) urbis Ægypti Thmuis.

Mezudah vel prope Engata ad lacum aſphaltiten *1 Sam. XXII, 5, XXIV, 1, 23, 2 Sam. V, 17*, vel in Moabitide *1 Sam. XXII, 4.* Vide ſupra *Maſada*.

Mibzar zor, propugnaculum Tyri *2 Sam. XXIV*. Locus idem vocatur in *Pſ. CVIII* מִבְצָר, *Mivzar. Pſ. LX, 11.* Mivzar zor & מָצוֹר, *Mazor*, *tribui Aſſer* fuit aſſignata *Ioſ. XIX, 29.* Videtur deſignari *Palætyrus*, quæ 30 ſtadiis disiuncta erat a Tyro inſula verſus auſtrum, teſte *Strabone*. Vide infra *Palætyrum*.

Midian, olim urbs iuxta Arnonem & Areopolin, cuius ruinæ ævo *Hieronymi* adhuc oſtendebantur, teſte ipſo *de Locis Hebraicis*.

Migdal Eder. Videatur *Ader turris*.

Migdal El, Naphtalitidis urbs ad initia lacus Tiberiadis occidentalia prope Capernaum, alias Magdala. Quæ *Relandus* ex *Euſebio* adiecit, ea ſpectant ad Megdielem, inter Dora & Ptolemaidem ad littoris extrema ſitam.

Migdal Gader, turris Gadaræ. *Hermannus von der Hardt* in *Medabenis pag. 82* exiſtimat, hanc turrim eſſe eandem ac Mizpah & Mizpeh, ſeu Ramoth Gileadis & Amathunta Gadaræ.

Mirabel, caſtrum recentius in montibus, ſitu munitum, haud procul Aſcalone. *Wilhelmus Tyrius XXI, 21.*

Miſrephot maim Ioſ. XIII, 6, in parte ſeptentrio-

f) *Parerga Gottingenſia T. I Lib. II pag. 156 ſeq.*

trionali terræ promiſſæ, inter Sidonios. Sidonii olim tertiam partem Tripolis condiderunt, & Poſidonium, ſeu Sidona magnam. *Balaneæ*, balneis thermisque olim inclutæ, hic veniunt in cenſum.

Mitka, ſtatio 25 Iſraelidarum in Arabiæ deſertis, *Num. XXXIII*, *28*, *29*, ad auſtrum loci Moſeroth ad decem fere milliaria Germanica.

Moab, urbs Moabitidis primaria. *Ier. XLVIII*, *4*. Alibi Rabbath Moab, Rabba Moba. De regione Moabitide confer *Relandum* ſupra *I*, *20*, *pag. 100 ſeq*.

Moca, urbs Arabiæ Petrææ apud *Ptolemæum*.

Modin. In via inter Ramlam & Hieroſolymam oſtenditur circiter 20 mill. paſſ. a loco poſteriori cacumen montis rotundum, ceteris circumiacentibus montibus excelſius, quod vocant Modinum Maccabæorum. Ad meridiem eminus id vidit *II*, *1*, *pag. 146*. *Iudas Maccabæus* indubie ita cognominatus fuit ex מקב, מקבת, *Makkav*, *Makkevet*, id eſt, *tudite*, *malleo*, quaſi Martellus. Vide Cel. *Conradi Ikenii Obſervationem de Iuda Maccabæo* in *Symbolis literariis T. I P. I pag. 170 ſeq*.

Mons regalis ad Orientem maris mortui e regione Carmeliæ, caſtellum. *Wilhelmus Tyrius XX*, *29*, *30*.

Moph, Memphis, urbs Ægypti primaria. Vide ſupra *Memphis*.

More, ſeu *Mevara*, ad quam exſtitit Aulon, ſeu

Elon, prope Sichem, *Gen. XII, 6.* Vide ſupra *Mamre.*

Moſeroth, *Maſaris*, ſtatio 27 Iſraelidarum in deſertis, ubi *Aharon* obiit. *Num. XX, 22.* Idem dicitur defunctus prope Hor, Ωρ, quod *Euſebius* haud procul Petra collocavit in *Onomaſtico.* Ergo Moſeroth vicina fuit Petræ, urbi potiori Idumææ.

Naama, *Naema*, patria *Zopharis*. *Iob. XI, 1.* Si Utz fuit Autæorum regio, Naama, poſtea tribui Iudah attributa, non aliena eſt a ſcopo.

Naaſſon, urbs antiquiſſima inter Sepher, ſeu Sipphorin, & Toronum. *Wilhelmus Tyrius XXI, 28.* Eſt Channathon, quæ memoratur *Ioſ. XIX, 15.* Sipphoris eſt Dabaſchet, et Toronum eſt Dophrat.

Nahhale-Gaaſch locus, unde ortus *Hiddai*, *2 Sam. XXIII, 30.* Nahalal fuit urbs Sebulonitidis. *Ioſ. XIX, 15.*

Naim, reſtat nunc obſcurus & perexiguus pagus, a pauculis hominibus habitatus, eisque Mauris, *Cotvvicus pag. 347.* Ad montem Tabor *Brocardus Argentinenſis* Naim locavit.

Nain Idumaa occurrit apud *Ioſephum de Bell. Iud. IV, 9, §. 4, pag. 302.* Naema Zopharis huc fortaſſe melius quadrat.

Naphat Dor memoratur etiam *1 Reg. IV, 11.* Vide *Dora.*

Naſor, Νασώρ. Ad eam exſtitit planities. *1 Macc. XI, 67.*

Natupha, Huc in Palæſtinam ſeceſſit S. *Quiriacus*,

mus, teſte *Simeone Metaphraſta*. *Io. Lamius* in *veterum Opuſculorum* ἀνεκδότων *Collectaneis* *pag.* 73 *Præf.* Vide *Netopha*. Videtur uterque locus latere in *Naſib*, inter Eleutheropolin & Chebronem auſtralem, ab hac diſtans VII mill. paſſ.

Nazareth, locus colli inſidet, vix nunc abiectus pagus, ubi pauca ſunt Maurorum domicilia, teſte *Cotovico pag.* 349. *Brocardus Argentinenſis* manuſcriptus: *Mons Tabor--diſtat a Nazaret 2 mill. Thevenot Voiage de Levant Lib. II P. I Cap. 54 pag. 671: Nazareth diſtant d'Acre huit lieues--eſt une ancienne ville, & elle eſt ſur une petite eminence, qui eſt au bout d'une belle grande plaine nommée Esdrelon. Cette ville eſt maintenant presque deſerte. Pag. 673: A environ trois quarts de lieue de Nazaret--vers le midi eſt une grande montagne appellée le Précipice.* Amœnitatem ſitus & ſoli ubertatem prædicat *Cotovicus pag.* 349.

Neara. Vide ſupra *Iordanes*.

Necla Ptolemæi *Hardtius* in *Medabenis pag.* 25 habet pro *Eleale* in Rubenitide. *Negla* in tabula veteri Hieroſolymitana interponitur Philadelphiæ & Thormæ.

Neſiſum. Vide ſupra *Capharſalama*.

Negeb, *Hannegev*, *Gen.* XX, 1. Vide ſupra *Darom*.

Neronias eſt Cæſarea Philippi.

Neto-

x) *Herodes Agrippa* eam auxit, ac in *Neronis* honorem dixit *Neroniadam*, *Ioſepho* teſte *Ant. Iud.* XX, 9. §. 4, *pag.* 277.

Netopha. Gentile nomen inde eſt *Netophati* 2 *Sam.* XXIII, 28, 29.

Nimræ aquas memorat *Ieremias XV*, 6, nec non מֵי נִמְרִים, *aquas Nimrim*, quibus exitium prædicit *XLVIII*, 34.

Nineve, *Nini* domicilium, urbs non una. Celeberrima fuit, ad Tigrim ſita, e regione Moſul oppidi, quod nunc munimentum præbet Domino Perſarum, ac Patriarchæ Neſtoriano ſedem exhibet. Alia Nineve, ad Euphraten fuit ſita, *Ninos vetus* dicta & Nimrodia. Alia Nineve his eſt addenda, de qua *Relandus* diſſeruit in *Neve*. Hæc ab *Euſebio* vocata fuit *Iudæorum Nineve circa angulum Arabiæ*. Ipſa in confinio Ammonitidis 36 m. paſſ. a Capitoliade fuit ſita prope Chalamin. Hæc in hiſtoria *Ionæ* videtur deſignari, ſiquidem ætate illa Prophetæ Iudaici in regias exteras & remotiſſimas regiones non dimittebantur. In vaticiniis *Ionæ* non legitur, ipſum fuiſſe ad urbem regiam, eamque ſatis disiunctam, ablegatum. Dicitur ibi Nineve *urbs magna*, nec præterea quidquam additur. *I*, *III*, 2. Rex inibi erat, fateor. *III*, 6. At reguli Ammonitici erant tum in compluribus urbibus. *Ionas* floruit *Ieroboami* ſecundi ætate, 2 *Reg*. *XIV*, 25, ortus in urbe Iſraelitica, eaque Galilææ attribuenda, dicta *Gath hachepher* in Sebulonitide, vocata poſthæc *Iotapata*. Defecerunt multi reguli, multæque provinciæ, ab illo *Ieroboamo v*. 26, nec exſtitit, qui Iſraelitidi opem afferret. Non eſt

eſt neceſſum, ut Nineven hanc credamus tam amplam & copioſam fuiſſe, ut triduo vix potuerit perambulari. *Inciſum* enim *Ionæ tertium* in *Capite tertio* ita eſt interpretandum: *Tum accinxit Ionas ſe operi demandato, & iter fecit ad Nineven, urbem magnam Deo*, i. e. eximie magnam, *perambulatione tridui*. *Inciſum* ſequens oſtendit, vocem מַהֲלַךְ ad ambulationem *Ionæ* pertinere. Ipſe enim traditur veniſſe in urbem, ibique *deambulationem unius diei* peregiſſe, ſimulque præconem egiſſe divinum. Abundet tamen quisque per me iudicio ſuo. Ninon Euphrati, prope Hierapolin, adiectam vindicat *Samuel Bochartus* in *Phaleg Cap. 20 pag. 249* ed. 1682 fol. *Ammianus Marcellinus XIV, 26*: *Commagena, nunc Euphratenſis, clementer aſſurgit, Hierapoli, Vetere Nino, & Samoſata, civitatibus amplis, illuſtris*. *Philoſtratus I, 13*, æque ἀρχαίαν Νῖνον, *veterem Ninum*, memorat. Suidas in *Damis*: Δάμις ἀνὴρ οὐκ ἄσοφος, τὴν ἀρχαίαν οἰκῶν Νῖνον, *Damis vir non inſipiens veterem habitans Ninum*. Tigridis ripæ orientali adiacebat *Ninus*, ſeu *Nineve* iunior, teſte *Herodoto I, 193, II, 150*. De hac *Chriſtophorus Cellarius* expoſuit in *Geogr. ant. III, 17, pag. 769 ſeq.* Huius Nineves mentionem fieri apud Prophetam *Nahumum III*, teſtis eſt *Ioſephus Ant. Iud. IX, 11, §. 3, pag. 501 ſeq.* Ipſe autem non disquiſivit *Ioſephus*, quænam fuerit illa Nineve, cui *Ionas* pœnitentiam ma-

le actorum denuntiavit, *Ant. Iud. IX, 10, §. 2, pag. 498.* Nini Aſſyriacæ, figuram ac dimenſionem ſuppeditavit *Ioannes Matthias Haſius* in Commentario *de Magnitudine comparata & determinata urbium, quæ propter ipſam magnitudinem celebres habentur, pag. 21 ſeq.* Commentarius ille ſuffixus eſt eiusdem *Haſii Deſcriptioni regni Davidici & Salomonæi*, Norimbergæ A. 1739, fol. evulgatæ.

No-Ammon eſt Dioſpolis in Ægypti Delta. Vid. *Beytrag zu den gelehrten Zeitungen I Band pag. 31.* *No* ſimpliciter legitur *Ez. XXX, 16*, urbs eadem. Nomen ex נוה, *habitando*.

Nob legitur etiam *1 Sam. XXI, 1*, & *2 Sam. XXI, 16, 18. Scheidt*, cum Ioppe relicta Arimathiam, ſeu Ramlam, iret, in medio intervallo ad dextram vidit vici deſolati rudera, quæ ab incolis vocabantur *Nobè.* Vocatur Nob alibi Anab, ענב, in montano tribus Iudæ tractu *Ioſ. XI, 21.* Vide *Anab, Bethannaba, Betoannab.*

Nobach Num. XXI, 30. Hermannus von der Hardt in *Medabenis pag. 23* per *Nophach* intelligit Bothniam, Butin, Botenim, ſub Ammonitica Philadelphia, quæ alias Abila & Pella fuerit dicta. Sed additur *Num. XXI, 30*, ad *Nophach, quæ usque ad Medebam* proſpicit. *Hardtius* frivole hæc vertit: *A Zoar ad Medebam. Euſebii* locus, a *Relando* adductus, *Hardtii* ſententiam prorſus profligat. Abila a Pella differt, & utraque a Philadelphia diſtat ſatis.

Noimm, locus Sidona inter & Tyrum, ubi Se-

culo

culo IV erat mutatio veredarii publici. *Itiner. Hieroſ. pag. 150.* Nona vice ibi veredarium mutabatur, niſi fallor.

Noph Ez. XXX, 16, Onuphis in Ægypti Delta, quæ præfecturæ Onuphiticæ dedit cognomen. Adiacuit locus fluvio ſeu Athribitico ad Orientem in medio Delta infra Cynopolin & Athribiten Nomon, Confer *Cellarii Geograph. ant. IV, 1, §. 27.*

Nova Laura prope Hierichuntem, teſte *Evagrio H. E. IV, 38, pag. 448.* Vide ſupra *Laura.*

Nyſſa, ubi in antro *Bacchus* educatus inter Nilum & Phœnicen. *Diodorus IV, 2*, literis hæc memoriæ prodidit. At Nyſſa exſtitit mons Indiæ, teſte *Philoſtrato Lib. II*, ibique *Bacchi* erat templum. *Theophilus Sigfridus Baierus* montem Nyſſam Gangem inter & Sindum poſuit in *Hiſtoria regni Græcorum Bactriani pag. 3, 4.*

OWENUS:

Non te dicentis moveat reverentia; ſed, quid Dixerit, attendas, qua ratione probet.

IV.

IV.

AVERROES
CUM ARREIS AVICENNA, SPONTANEÆ HOMINUM GENERATIONIS PATRONO, TEMERE NON CONFUNDENDUS, AD HISTORIAM PHILOSOPHIAE, SARACENICÆ SPECIATIM, CRITICAM,

PAULI THEODORI CARPOVII,
LL. OO. ET THEOL. CATECHET.
IN ACADEM. ROSTOCH. PROF. DUCAL.
P. O.

OBSERVATIO.

I.

Primarii, e quibus Philoſophiæ veteris, Arabicæ cumprimis, notitia haurienda, fontes raro hodie reperiuntur. Docebit id vel ipſa noſtra hæc Commentatiuncula lectores, quos habebit, ſuos. Rarius vero longe evolvuntur; rariſſime debita cum attentione & præparatione perleguntur. Prænotamus pauca hæcce, aſt latius facile deducenda, hic in limine generatim, ut generale inde formetur iudicium de eo: quod, & quousque, viri docti, ſæpiſſime hic impingentes, excuſationem mereantur.

II. Durat hodie, & in omne forte ævum perdurabit, antiqua illa, quanquam vana, inſcii vulgi de animalium ignobiliorum ſpontanea genera-

ratione perſuaſio. Quære ex homine: quænam te ratio movet? Et ad indubiam, quam putat, magno ſuo ſæpe malo contingentem, experientiam protinus provocabit, ex communi ſic principio temet convicturus. Cohibe aſſenſum, & ridebit nunc, nunc indignabitur, & ſcepticiſmi te, imo eruditos quoscunque, reos agens, præ affectata eos ſapientia inſanire, communemque adeo exuiſſe ſenſum, exiſtimabit. Tanta eheu! vis eſt erroris. Gallarum concavitatem explentes, carnem putreſcentem erodentes, fruges male conſumentes, & id genus alii vermes, animalcula, inſecta, exemplum ei præbent omni exceptione maius. Experiri itaque ſibi videtur, ſenſuum negotio improvide uſus, quæ experitur nunquam, vitium ſic committens ſubreptionis, quod vocant, in experiundo.

III. Aſt condonanda hæc facile ſunt hominibus, qui, varii generis præiudiciorum ſyrmate involuti, Logica ſua naturali qualicunque contenti vivere amant. De Philoſophis vero, in eodem cum vulgo luto hærentibus, quid, quæſo, ſtatuemus? Hi, cum de facti veritate prima ac præcipua quæſtio utiliter inſtituenda fuiſſet, intempeſtiva ſua diligentia, ne tamen ignorare quid viderentur, rationes ficti eventus exponere, vel fingere verius, præcipites cœperunt. Deinde, cum ratiunculis ſuis non parum ſibi aliisque placerent, quidam, reliquos in diſſerendi acumine ſuperaturi quaſi, vel ipſius hominis, animalium nobiliſſimi, e limo progenerationem poſſibilem licenter admodum aſſeruerunt. Denique alii ul-

terius adhuc & eo imprudentiæ progreſſi dicuntur, ut, quæ probabiliter modeſtiores & problematice diſputaverant, re ita accidere ipſa contenderent.

IV. Evitare iſtos ſcopulos facile poteſt, quisquis Scripturam S. rite legit, vel intentius ea, quæ in natura geruntur, contemplatur. Duplex ſcilicet fax prælucere hic nobis poteſt. Unam lumen Scripturæ, alteram naturæ, ſive rationis & revelationis, appellamus. Utrumque ſecundum ordinarium naturæ curſum, & ſine miraculoſo Dei concurſu, non temere certe ſupponendo, ne abiectiſſimum quidem animalculum, nedum hominem ipſum, ſine maris atque fœminæ congreſſu generari poſſe, ſatis luculenter docet. Scripturam vero uti multi male negligunt, vel negligenter ſaltem legunt, ita & in prudenti naturæ contemplatione pauci induſtriam ſuam probant. Indiligentes nimis in obſervando experimentandoque homines phyſicos ſecula præſertim priora nobis tulere. Et quidem, generationis in ſpecie negotium quod attinet, primus, quantum tamen conſtat, *Guil. Harvæus*, natione Anglus, Anatomes & Chirurg. Prof. Londinenſis meritiſſimus, methodo prædicta illuſtrare illud eſt

a) Laudatur eo quoque nomine ab Illuſtri *Wolffio* in den *vernünfftigen Gedancken von der Würckung der Natur* §. 440 *pag.* 722 verbis: *Harvæus, welcher der erſte geweſen, der die Erzeigung der Menſchen und Thiere durch angeſtellte Verſuche zu unterſuchen angefangen*, &c. nec non Celeberr. *Io. Ad. Kulmo*, fideliſſimo quondam noſtro in Phyſica atque Medicina præceptore, in *den Anatom. Tabb. T. I* in *den Anmerckungen*,

eſt aggreſſus a). Is vero floruit Seculo demum XVII. Iam cogita mihi tot annorum centurias, quæ ante viri huius præſtantiſſimi tempora efflu- xerunt.

V. Inter eos, quos ex *Saracenorum* ſpeciatim *Philoſophis* poſſibilitatem *generationis hominum æquivocæ*, ſive ſpontaneæ, aſſeruiſſe fama eſt, eminet الكلا ابن *Avicennæ* nomen. Magnus ille *Pocockius* b) teſtes attulit duos fide maximo dignos, *Averrhoem*, atque Rabbinum *Gerſhom*, quibus è recentioribus *Pererium* addit. Habemus itaque *Muhammedanum*, *Iudæum*, *Chriſtianum*, idem uno ore affirmantes. Et quidem de *Averrhoe* nos infra *§. XIII ſeq.* commodiori loco pluribus agemus, recte ad teſtimonium eius provocari, hic tantum obſervantes. De Iudæo audiamus *Pocockium* ipſum. *R. Gerſhom*, inquit, *diſerte ait, ſcripſiſſe Avicennam*, שאיבן סן חכם בע, *non eſſe impoſſibile, ut in terra formetur ita comparata materia, ut hominis formæ recipiendæ idonea ſit; nec non quendam ſuis temporibus propinquiorem in brevi quodam tractatu argumenta afferre, quibus adſtruat Avicennæ ſententiam, eamque eſſe ſub linea æquinoctialis aeris temperiem, ut ibi aliquando contingere hoc poſſit.* Subiicit, vix ſe dubitare, quin ipſam *Abujaafari ebn Tophail* epiſtolam de *Hai ebn Iockdan*, quam *Philoſophi αὐτοδιδάκτου* titulo inſignitam edidit, indigitet.

VI. Vir alias diligentiſſimus librum atque lo-

 cum,

b) In *Præfat.* ad librum *Abi Iaafar*, in fine huius §. nominatum, edit. Oxon. 1671.

cum, ubi iſta Rabbini legantur, annotare neglexit. Exſtant fortaſſis alicubi in celebris illius Philoſophi, Medici, atque Theologi Hebræi, *Levi ben Gerſom*, alias *Magiſter Leo de Banjolis* dicti, quem hic innui cenſemus, libro, מלחמות יי׳, *Bella Iehova*, inſcripto, vel potius in eiusdem ביאור *in Averrhoem ſuper Phyſicam Ariſtotelis*, qui exſtat hodienum MStus. Eſt interim mihi in promtu alius eiusdem ſcriptoris locus, in quo tamen expreſſam hominis mentionem non invenio. In *Comment.* enim ſuper *Pentateuchum Sect.* נח, inter poriſmata, ſequens quoque *num. VIII* habet: א״א אפשר על המנהג הטבעי שיתהוה וכו׳. *Impoſſibile eſt iuxta ordinem naturæ, ut ex animalium per ſpeciem ſuam* c) *propagandorum numero oriatur aliquod non ex ſpecie ſua, quemadmodum poſſibile eſſe exiſtimavit Avicenna, ut exiſtat* (conf. infra §.15) *diluvium* (*inundatio*) *per partem terræ retectam* (*continentem*), *temporisque tractu per elementorum mixtionem* d) *producatur materia, ex qua dein ſpecies quædam animalium exiſtentiam nanciſcantur*. Addit nunc rationem, ex Scriptura, quatenus præſens textus data ſuppeditat, petitam; male interim cum ſui

ævi

c) מימנם perperam legitur in editione Veneta elegantiſſima anni 1547, *fol.* 20, *Cap.* 4. Rectius in B. *Moſis de Francofurto* קהלות משה *ſ. Bibl. Rabbin. Maximis Vol. I fol.* 16 *pag.* 1 ממינו absque Iod.

d) Hic e contrario recte edit. Veneta habet מעירוב, altera male מעורבות ſubſtituente.

ævi Philoſophis diſtinguens e) inter animalia, & animalcula quædam, arcam non ingreſſa, ab æterna illa naturæ lege excipiens. Itaque pergit: ר׳ יודה. *Idcirco igitur Deus benedictus, cum intenderet conſervationem harum ſpecierum, non niſi per ſpeciem ſuam propagandarum, operam dedit, ut ex illis mas & fœmina in arcam (Noæ) reciperentur. Uſus, ex hac obſervatione in Philoſophiam redundans, ſat eſt manifeſtus. Quodſi enim rem iuxta ſententiam Aviceunæ ſe habere ponamus, univerſa corruit ſcientia naturalis, id quod Phyſices peritis minus poteſt eſſe obſcurum.* Officere ait ſcientiæ naturali opinionem *Avicennæ*; cogitare ſed debuiſſet, non ſane minus per aſſertionem quorundam, licet antiquiorum, animalculorum ex putredine æquivocæ generationis concuti eius fundamenta. Sed communem hic erravit errorem.

VII. Obtulit ſe interea nobis alius atque idoneus teſtis, qui propterea ſilentio præteriri minime

e) Nota eſt diſtinctio veterum in animalia *perfecta* ſeu generata ex ſemine a maſculo & fœmella, ac *imperfecta*, i. e. ex putredine orta, qualia muſcæ, lubrici, & ſimilia, cenſebantur. Videri poteſt præter reliquos *Urbanus Averroyſta* in *Expoſit. Comment. Averrois* ſuper *Lib. VIII Phyſicorum Ariſtotelis fol. 244 Cap. 3, 4*, edito *Venet.* 1492. Notamus hic, ipſa inſecta volatilia minima, qualia muſcæ, arcam eſſe ingreſſa ex mente Doctorum Rabbinorum, atque comprehendi ſub כל כנף, Vid. ex *Ludolpho Olaus Rudbeckius* in *Ichthyol. Bibl. P. I de* ... *Salav pag 6.*

me debet. Eſt is R. *Salomo Motot*, Hiſpanus, non infimus temporis ſui Philoſophus atque Mathematicus. Hic quoad generationem hominis in ſpecie eandem ſententiam diſerte tribuit *Avicennæ*. Scribit f) וידעת שיש מחלוקת בין חכמי המחקת וכו. *Noſti vero, controverſiam agitari inter Phyſicos de eo, an poſſibilis ſit formatio hominis ex* מזג *(mixtura, temperatura,) absque maris atque feminæ coniunctione. Et ſapiens quidem Avicenna ſcripſit* שאינו מן הנמנע *id minime impoſſibile eſſe. Ex* האחרונים *poſterioribus (ſeu recentioribus) quoque eſt, qui ad mentem Avicennæ eam decidat, aſſerens* בקו השוה *ſub* linea æquinoctiali, *ſive* æquatore, *ubi aer eſt temperatus ratione frigoris ac caloris, reliquarumque qualitatum, accidere id aliquando.* Hæc cum iis, quæ ſupra ex *Pocockio* attulimus, §. ſcil. 5, conferenti, in mentem venire facile poteſt, eum memoriæ quodam forte vitio *Gersbonidem* pro *Samuele* noſtro allegaſſe, vel ſaltem confudiſſe, quæ apud utrumque legerat olim. Inquirant alii. Pergit R. *Samuel:* וכן ראית מאמר אריסטו; *vidiſti quoque diſcurſum Ariſtotelis de formatione hominis, qui generationem eius tribuit Soli, credens, eum cauſam eſſe præparationis (vel diſpoſitionis)* מזג *temperaturæ ſanguinis femellæ, ex ſententia eius materiam fœtus conſtituentis, quo aptus fiat ad recipiendam formam embryonis, dato motore ſemine, puta maris; eundem porro Solem*

f) Vide librum מרגליות טובה, editum *Amſtel.* 1722 *fol.* 11. *pag.* 1.

lem cauſam eſſe diſpoſitionis temperaturæ ſeminis maſculini, adeo, ut aptus fiat formam embryonis ſuppeditare, ſi obtingat ei ſanguis, fœminæ illi formæ recipiendæ idoneus. Ob hanc proinde dico rationem, quod ſol auxiliantibus orbibus reliquis diſponat & præparet g) *materiam, generationem ei attribuit* h). Interpoſitis quibusdam ex *Aben Eſra* ſcriptis, addit: Vidi porro librum מאמר גן עדן a ſapiente, R. *Chajim ben Iſrael*, conſcriptum, in quo argumentis demonſtrativis i) probatam dedit exiſtentiam גן עדן של מטה, *paradiſi terreſtris*, ſub *linea æquinoctiali*, & quidem ad plagam eius orientalem, quodque ibi nulla ſit cauſa חיולית k) materialis, quæ alterare poſſit naturam iſtius loci, quo minus recipere queat proprietates magni illius agentis, Solis, &c. Confer cum his, quæ infra §. XI & XIII diſſerimus.

g) In fonte מרין מחומרי nullo ſenſu. Lego מכין, & paulo poſt pro להבין המותר repono מחומר.

h) ויאם emendandum per ויחם. *Aleph* cum *Cheth* facilius confunditur in charactere rotundo Rabbinico.

i) ראיות מופתיות. Hebræis ſyllogiſmus *apodicticus*, ſive demonſtrativus, dicitur מופתי, *probabilis*, ſive dialecticus, נצוחי, *ſophiſticus* denique הטעאי. Vid. v. g. Philoſophus ille Hebræus celeberrimus, R. *Ioſeph* (*Salomo*) *del Medico*, *Cretenſis*, in ס׳ אלים, opera *Menaſſ. ben Iſrael* edito Amſtel. *pag.* 55.

k) Ex Græco ὕλη. Deſideratur, ut mox ſuſpicabar,

VIII. Unicum adhuc ex Hebræorum gente addimus teſtem, R. *Immanuelem*, filium *Salomonis*, Poeſeos imprimis laude clarum. Fingit, ſe a *Daniele*, Dei viro, ductum per abdita Gehennæ atque Paradiſi loca. Stupuit plane, cum priori loco, infeliciſſima illa damnatorum ſede, tot & tanta deprehenderet nomina, quorum recenſet potiora, interque ea *Ariſtotelis*, *Platonis*, *Galeni*, *Hippocratis*, & noſtri quoque *Avicennæ*.

שם אבן סיני היה ללעג ולשחוק.
יען אשר אמר כי תולד אדם לא מאדם
אפשר לזמן רחוק

Ibi ſannis excipitur Avicenna,
Quod aſſeruerit, generationem hominis non ex homine poſſibilem eſſe tempore longo, etc. 1)

IX. Quod itaque ipſe aſſeruit Arabs *Averroes*, quod *Avicennæ* ætati propinquiores & Philoſophiæ Peripateticæ gnari confirmarunt nobis Hebræi, quod denique inter tot eruditos *Avicennæ* vindices olim & lectores nemo (quod ſciam) in dubium vocavit unquam; id veriſimillimum ſane eſſe, nec temere adeo negandum, quivis nunc intelliget. Nec ſcrupulum valde alicui hic movere poteſt, quo in noſtrum flagraſſe fertur *Averroes*, odium, vel ſumma *Averrois* auctoritas, fallere alios facile apta, præſertim cum, Rabbinum *Levi Gerſonidem*, Philoſophiæ & Medicinæ pariter

in *Lexico Buxtorfii*. Sub alia terminatione dicunt הילולני, quod apud illum exſtat.

1) In מחברת התפת ועדן, ſeu *de Gehenna & Paradiſo*, *fol. 3 p. 1*, edit. Francof. 1713.

ter deditum, ipſius *Avicennæ*, Medicorum principis, ſcripta lectitaſſe, dubitari minime queat m).

X. Ingenue interim oportet fateri, nondum obveniſſe nobis, quæ diſerte generationem hominis ſpontaneam poſſibilem adſtruant, in ipſius *Avicennæ* monumentis. Verum nec omnia n) eius hodie exſtant, nec quæ, raro nimis quippe obvia, adiri facile queunt; de moleſtia, tanta volumina revolvendi, reliquisque incommodis, ut nihil addam. Sequentia tamen collineare huc omnino videntur, quæ ex verſ. *Ger. Cremonenſis*, ab *Andr. Alpagi Belunenſi* caſtigata, ita habentur: *Cumque*, inquit, *regiones attenderimus, certificatum erit nobis, quod, ſi fuerit locus, qui inhabitabitur, ſub æquatione diei, neque aliqua de rebus terrenis obviando impedierit, videlicet montes, aut maria; oportebit ibi habitantes æqualitati certæ propinquiores exiſtere, quam alicuius regionum. Iam autem nobis affirmatum, quod opinio,*

m) Aſſerit *Io. Bapt. de Lamzweerde*, multos, *Avicennam* ſecutos, in ea eſſe opinione, animas quorundam excellentiores & puriores influxu & virtute Iovis affectas, mediante ſua imaginatione, habere potentiam pro arbitrio corpora ſublunaria permutandi, etiam hominem ſine matre, ſemine, & utero, generandi, quæ ita certa credat eſſe *Avicenna*, ut ſecundum ſententiam ſuæ Philoſophiæ ineptos dicat, qui hoc non credunt, in *Molarum uteri Hiſt. natur. Cap. XX p. 130 ſeq.*

n) Eum libros fere centum edidiſſe, autor eſt *Ben Caſem* apud *Gabrielem Sionitam de Urb. & mor. Oriental. Cap. III pag. 17.*

qua accidit. (*ſeu illic egreſſio*) *exceſſus ab æqualitate eſt cauſa propinquitatis ſolis, eſt falſa. Rectitudo enim ſolis ſuper capita minus ibi malum operatur, & minus mutat aerem, quam* (*rectitudinis*) *propinquitas apud nos, aut apud eos, qui ſunt in maiori latitudine, quam nos, licet rectitudinem non habeamus. Amplius autem omnes diſpoſitiones morantium in linea æquinoctiali ſunt diſpoſitiones nobiles ſimiles, neque aer ibi impeditur impedimento ſenſibili, ſed eorum complexionibus ſemper eſt ſimilis; & ad hanc ſententiam affirmandam iam fecimus dictionem* o). Ultima verba: *& ad hanc* &c. (ut & quædam alia) obſcuritatis vitio hic laborant. Quam in librariam noſtram ſupellectilem opportune Gedani olim intulimus, alia, & ex Hebræo quidem a Mag. *Iac. Mantino*, Medico Iudæo, facta verſio Latina p) clarius, ut in aliis multis, rem ediſſerit. Ita enim ille: *Nos autem iam edidimus Commentarium ad huius ſententiæ verificationem.* In eo proinde Commentario haud temere plura ad rem noſtram pertinentia quæſierim, ſi recte, quod crediderim, mentem Scriptoris interpres eſt aſſecutus. Atque, ſi coniicere licet, eſt is forte idem

o) *Canon Medic. Lib. I Fen. I Doctr. 3* edit. Venet. 1608, cum *Ioh. Coſtæi* & *Pauli Mongii Annot. pag. 12 Cap. 2*, quam editionem nondum vidiſſe ſe teſtatur Rev. *Bruckerus loc.* infra *cit. pag. 80.*

p) Eſt apud nos rariſſimæ huius verſionis *Fen I*, edita Patavii A. 1547, itemque *IVta Fen. Imi*, Pariſiis A. 1532. Plura de his in noſtris ad B. *Wolfii B. H. Animadverſis.*

idem cum libro *Hai Ebn Iokdhan*, qui abs Autore Hiſtoriæ Medicorum inter *Avicennæ* ſcripta recenſetur, & ex qua, quæ de Philoſophi ſui avtodidacti origine atque ortu tradit *Abu-Iaaphor*, ſaltem quod ad eam hiſtoriæ partem, quæ eum tradit absque patre, aut matre, e terræ gremio prodiiſſe, hauſta eſſe, *Pocockius* exiſtimavit.

XI. Eadem de re diſſerentem invenio *Avicennam Lib. I F. 2 D. 2 pag. 103, 1.* Rem non ingratam Lectoribus nos eſſe facturos ſperamus, ſi, quæ viri docti ibi (*pag. 105, 1,*) annotarunt, integra hic apponamus. Iucundum ſane & utile erit, veterum ea de re placita & differentes opiniores compendioſe & in tabula veluti depictas oculis obiicere atque menti: „De ea vero regione, quæ æquinoctialis vacatur, variæ ſunt „doctorum hominum opiniones, & quæſtio non „levis eſt excitata, cum alii, habitari eam poſſe, „admittant, alii negent; alii, habitari quidem, „ſed incommode, alii vero, coli ſummo commodo, „exiſtiment. De qua quidem re ut paucis dicamus, harum opinionum hi autores fuerunt. „*Ariſtot.* 2 *Meteor. Cap.* 5, non poſſe ſub æquinoctiali circulo habitationem eſſe, cenſere videtur, ob immoderatum fervorem; eam nempe regionem ſol rectioribus, quam usquam alibi, „radiis adſpicit, ut propterea uri eam oporteat. „*Ptolemaus* 2 *Almag. Cap.* 67, & 2 *Quadr. Cap.* 2, „poſſe habitari, cenſuit, nondum tamen habitari eam noverat. Autor noſter & hic & paulo antea, cum de temperamento loqueretur,

tem-

„ temperatiſſimam eſſe regionem æquinoctialem, „ & coli poſſe, diſſeruit. Recentiores vero coli „ quidem teſtantur, ſed incommode, cum in„temperata ſit. *Avicennæ* opinio *Ariſtoteli* prorſus adverſatur, & convenit cum *Ptolemæo*, dum „ habitabilem eam opinatur. Contra hos tamen „ *Averroes* pro *Ariſtotele* pugnat *Lib. II Meteor.* „ *Cap. 5.* Adverſus tamen & *Ariſtotelem* & *Averroem* „ doctiſſimus *Manardus* ſcripſit, quem tu vide „ *Epiſt. Lib. VII. Ep. 1.* Ceterum, quod ad hanc rem „ pertinet, æquinoctialem regionem eſſe habitabi„lem, contra quam ſenſiſſe videatur *Ariſtoteles*, cer„ tum eſt & temporibus noſtris exploratiſſimum, „ ut *Averroes* fruſtra, non poſſe coli, adverſus & „ *Avicennam* & *Ptolemæum* contendat. Quod „ vero non temperatiſſima ſit, ut *Avicennas* cen„ ſet, ſed intemperata, experientia quoque ipſa ma„ nifeſtam facit, cum illius incolæ ſeneſcant cito, „ & cito intereant, quamvis id fortaſſe ex la„ cuum, vel ſtagnorum, aut ventorum, cauſa pro„ veniat, quam rem hactenus nos non multum „ exploratam habemus.“ Hactenus annotatio. Ceterum, R. *Chajim ben Iſrael* cum *Avicenna* prorſus convenire, ex iis, quæ ſupra *§. VII* ex eo attulimus, apparet.

XII. Reſtat, ut de loco, quem eruditiſſimi *Pocockii* induſtriæ debemus, quædam adhuc dicamus. Hic, cum, *Ben. Pererium* ad librum *Avicennæ de Diluvio* provocare, obſervaſſet, nec tamen inter opera eius librum eo titulo inſi-

gnitum

gnitum reperiſſet, in *Sectione* tandem ultima *Libri de Meteoris*, quæ eſt *de magnis accidentibus, quæ in mundo fiunt*, de سيلالرجس آلدين, i. e. *iis, quæ ad diluvia ſpectant*, agere eum deprehendit. Latinam verſionem non vidit, ſed exemplaria Arabica MSta duo conſuluit, & de homine quidem ſpeciatim tale quid ibi aſſeri non obſervavit, ſed quod eodem tamen redeat, generalius ſcilicet, fieri poſſe forſitan, ut animal quodvis „*perfectum* (conf. ſupra §. *V nota b,*) longo tem„porum atque annorum decurſu (Deo ſic diſ„ponente, atque idem auxilium ſuppeditante, „quod in ordinaria generatione ſuppeditare ſo„let,) etiam e materia terræ rite diſpoſita pro„ducatur, uti ſæpius ignobiliora quædam, velu„ti ranas, mures, &c. generari cernimus, quæ „tamen alias etiam ordinaria generationis lege „procreantur. Hoc interim non aſſerit unquam „contigiſſe, ſed non impoſſibile eſſe, ut conti„gat, &c: Ita *Pocockius*. Atque hæc hactenus diſputata ſi in cumulum collata rite perpendantur, ne vera eam fuiſſe *Avicennæ* mentem, *poſſibilem* ſcilicet eſſe generationem ipſius hominis ſpontaneam e terræ limo in regione æquinoctiali, dubitare neminem facile ſinunt, ſaltem, non temere hanc eidem ſententiam tribui, fortiſſime evincunt.

XIII. De *Averrae* diſpiciendum nunc nobis erit. Huic eadem ſententia tribuitur a biga Virorum noſtro ſeculo celeberrimorum, qui an conſentientes habeant alios, hactenus defini-

re

re non auſim. Eſt unus horum *B. Theoph. Sigfr. Bayerus*, alter Rev. *Iac. Bruckerus*. Illius verba, quatenus ea olim (nunc librum præ manibus non habemus,) fronti Philoſophi, viri αὐτοδιδάκτι, adſcripſimus, ita habent r): -- *Equidem Abujafaro vitio non verto, quod commentum tale adhibuit ad ingenioſum tradendæ Theologiæ naturalis occaſionem, quantum aliquem hominem ſine omni inſtitutione & doctrina, ſolo rationis lumine, de rebus divinis intellecturum putavit: Averroes autem, Philoſophus videlicet, de naturæ viribus diſputans, non impune ferre debet, cum aptas fabulis Græcis αὐτόχθονας ſeveris doctrinis inſeruit.* Huius vero, Clariſſ. *Bruckeri*, ita fluunt s): *Illud dubio caret, Averroem, Tophailo σύγχρονον, eiusque diſcipulum, epiſtolam eiusdem argumenti ſcripſiſſe, de coniunctione cum Deo, & ex ea forte cauſa fabulam hanc de Hai ebn Yokdan ad hunc quoque auctorem a quibusdam referri. Ex quo colligimus, in eodem luto hæſiſſe Averroem.* Egregia ſunt, quæ ſubiicit, & ad illuſtrandum §. *VII* faciunt: *Qui in hac quidem generationis ſpontaneæ generatione una cum gentilibus ſuis nihil novi attulit. Plerique enim Philoſophi, quibus ignota erat creationis hiſtoria, ad hunc lapidem offenderunt, quem in tanta rerum naturalium luce quosdam hodie quoque non prorſus evitare, multo magis miramur. Certe inter veteres Philoſophos Ionicos pleros-*

r) In *Muſeo Sinico* (*Petropoli* edito) *Tomo II pag.* 279.
s) In *Hiſt. critica Philoſophiæ Tomo III*, A. 1743 edito, *pag.* 178.

rosque generationem ad caloris & frigoris temperaturam, aerisque concretionem & rarefactionem, retuliſſe, & Heraclitum Ariſtotelemque idem dein ante Arabes ita praecepiſſe, Hiſtoria philoſophica teſtatur. Quin nec Stoicorum rationes ſeminales aliud volunt, nec aliter praecepit Epicurus, cui eadem generis humani origo placuit.

XIV. Miraberis nunc, Lector, & merito miraberis, cum, *Avicennam* eo nomine impugnatum eſſe ab *Averroe*, uti ſupra §. *V* praeoccupavimus, memineris. Et certe iniuria fit Philoſopho; res enim dubio caret. Id ut quam luculentiſſime nunc omnibus pateat atque ſingulis, age, loquatur ipſe *Averroes*. Ita vero ille t): ---Et „hoc apparet etiam per ſe: quoniam, ſi eſſet poſſibile, ut homo generaretur non ſemine hominis, tunc de neceſſitate ille homo diceretur homo aequivoce u) cum iſto homine, quoniam, „quando materia fuerit diverſa, diverſabitur „etiam forma, &, ſi non, eſſent he materie pro„prie, neque forme proprie, & tunc quodlibet „generaretur a quolibet & in quodlibet, & tunc uni-

t) In *Comment. ad Phyſ. Ariſt. Lib. VIII num. 46* ed. Venet. 1483.

u) Adeoque ſpecie differrent. Vid. *Urbanus*. Tela hinc depromere contra ſanctiſſimam noſtram fidem Iudaei conantur, unde in rariſſimo illo *Fortalitio fidei Lib. III.* integrum habetur Caput, ita inſcriptum: *Contendit Iudaeus oſtendere impoſſibile, corpus Chriſti eſſe eiusdem rationis, cum non ſit ex maris ſemine generatum.* Conf. etiam *R. Lippmanni Nizzachon* §. *8 pag. 11 ſeq.*

„univerſaliter materie eſſent ocioſe & ſuperflue; „quoniam, ſi eſſet poſſibile, ut homo generaretur „a terra ſicut vermis, tunc aut eſſet neceſſarium „aut in maiori parte, aut in minori parte, &, ſi „eſſet neceſſarium, tunc homo non generaretur „ab homine omnino, &, ſi eſſet in maiori par- „te, tunc homo generaretur ab homine in „minore parte, &, ſi hoc eſſet caſualiter, hoc „eſſet in minori parte, ſeu caſu, tunc ea- „dem ſpecies inveniretur natura & caſu, &, „quod ſit caſu, ſemper eſt oppoſitum ei, quod „ſit natura; & etiam ſi ita eſſet, tunc compara- „tio & reſpectus cauſarum ad cauſata non eſſet, „& ſic auferetur natura neceſſarii. Et etiam de- „claratio eſt, quod illud, quod ſit caſu, ſit a „cauſis inventis propter aliquam cauſam natura- „lem & in maiori parte, quin impediuntur ab „inveniendo cauſatum ab eis, quod non eſt inna- „tum fieri ab eis. Et, cum ita ſit, neceſſe eſt, „ſi homo generaretur caſu, ut generetur a cauſis, „quæ fuerunt propter aliquam ſpeciem, & im- „pediebantur a generatione illius ſpeciei, & ideo „cauſe eius, quod eſt caſu, non ſunt terminate, „&, cum ita ſit, eſſet poſſibile, ut homo gene- „raretur ex ſemine aſini, aut ſemine equi, & uni- „verſaliter ex infinitis materiis, & adeo nulla „ſpecies invenitur caſu, ſed illa, que invenïun- „tur caſu, ſunt monſtruoſa non naturalia, & to- „tum hoc eſt manifeſtum per ſe, ſed diximus „iſta contra negantes, hoc eſſe manifeſtum per „ſe, ſicut *Avicenna*, qui dicit, poſſibile eſſe, ho-

„minem

„minem generari a terra, ſed convenientius in „matrice, & iſte ſermo in homine, qui dat ſe „ſcientie, eſt valde fatuus!„ &c.

XV. En operoſe, nec ſine, quod ultima verba teſtantur, quadam animi indignatione, *Avicenna* illam ſententiam deſtruit *Averroes;* ut itaque, vere eum contrarium ſenſiſſe, nullum omnino dubium ſuperſit. Ceterum dilucide mentem eius & argumentationem explicavit *Urbanus*, ſed prolixior eſt, quam qui hic transſcribi queat. Sequentia tamen pauca, quæ ſyſtema *Avicennæ* propius declarant, non poſſum, quin hoc loco addam: „ Dico, quod opinio fuit *Avi*„*cennæ*, ut Commentator (i. e. *Averroes*) hoc „recitat, quod homo & univerſaliter omnia ani„malia generata per coitum, poſſunt generari „per putrefactionem. Et hoc forte *Avicenna* „poſuit, ſequendo verba ſue legis, que poſuit „diluvium univerſale, in quo omnia animalia „perierunt u), & ideo, ut ſalvaret continuita„tem generationis, poſuit hominem generatum „ex terra per viam putrefactionis. Item, forte „motus eſt *Avicenna* ad hoc ponendum, quia ipſe „poſuit, quod iſta agentia ſecundaria, ſicut ce„lum, & iſta agentia particularia ſolum diſpo„nunt materiam ad ſuſceptionem forme, & for„ma poſtea inducitur a decima intelligentia, "quam

u) Si diluvium Noachicum intelligit et legem Islamiticam, oppido fallitur. Ea enim *Noæ* arcam, & hominum & animalium conſervatricem, utique agnoſcit. Legatur modo *Alkorani Sura XXIII.*

„quam *Avicenna* appellat datorem formarum, & „quod materia diſponitur ad receptionem formæ „per qualitates activas & paſſivas, & hoc poſſit „fieri a virtute celeſti et ab elementis, cum ſint „cauſativa talium qualitatum ſine particulari „agente, & ideo homo, qui generatur ex ſemi- „ne, poterit ſecundum *Avicennam* generari ſine „ſemine a celo & ab elementis, tanquam a diſpo- „nentibus materiam, & a datore formarum tan- „quam a dante formam. Sed opinio *Avicennæ*, „ut Commentator dixit, ſtare non poteſt. Et „ratio Commentatoris eſt illa, quam poſuit in iſto „Commentario, quam propter brevitatem nolo „hic eam iterare. Et primum motivum eſt fal- „ſum, quia ſecundum ſententiam Commentatoris „& Philoſophi impoſſibile eſt, v) eſſe diluvium „univerſale &c.„.

XVI. Sic itaque ſtetimus promiſſis, quæ ad propoſi-

v) Provocare ad *Averroem* ſuo modo potuiſſet, univerſalitatem diluvii Noachici negans, *Pererius*, quod an factum ſit, anxie non inquiro. Habet interim hic quosdam conſentientes, ut *Kippingium* in *Exerc. S. de Creat. Oper. pag. 338*, non ſolam quidem Palæſtinam, ſed nec totum terrarum orbem aquis fuiſſe obrutum, contendentem, & doctiſſimum illum virum, in *Hiſt. Patr. S. Tomo I Ex. XVIII pag. 549 ſeq.* ἀναντιρρήτως ab *Heideggero* confutatum, qui & ibidem pro univerſalitate breviter, ſed nervoſe, in præcedentibus pugnat. Mitto, qui Gallum ex profeſſo oppugnandum ſibi ſumſerunt. Videndus inprimis *Mart. Schoockius* in pecul. Comment. *de Diluvio Noachi univerſali*, Groningæ, 1662.

poſitum ſpectare videbantur, horum, quoad licuit, nihil in nobis deſiderari paſſi. Unicum ſcilicet reſtat, quod iure ſuo exſpectare aliquis a nobis poſſit, detectio fundamenti erroris modo profligati. Quid itaque *Bruckerum*, Virum de hiſtoria philoſophica immortaliter meritum, moverit, ex ipſius, §. XIII adductis, verbis claret. Male interim eum hic conſeciſſe, ipſumet nunc ſatis erit manifeſtum. Qua vero ratione deceptus idem iam aſſeruerit Vir itidem ſummus, & præmature (ſi tamen ita loqui liceat) nobis ereptus, Beatus *Bayerus*, aliis definiendum, ob rationem ex ſuperioribus §. alleg. petendam, relinquamus oportet, id adhuc in genere monentes, Arabes, teſte *Leone Africano*, & ex eo obſervante quoque Clar. *Bruckero pag. 81*, *Avicennam* وفانات, i. e. *Principis*, epitheto honoris ergo plerumque laudare. Quem quidem titulum facillime cum nomine *Averrois* confundi poſſe, nemo ſane negabit, qui *Averroem* ipſum ex *Ebn. roſchd* effictum eſſe meminerit. Bene id prævidit, qui Academiam Petropolitanam hodie ornat, Celeberr. *G. I. Kehr*, cuius hic verba coronidis apponimus vice: - - *Cuius abſtractum eſt* Roſchd, *i. e.* recta inſtitutio viæ, *bona directio. Hinc Philoſophus quidam atque Medicus celeberrimus dictus fuit* Ebn Roſchd, *qui inde corrupto nomine Averroes nobis innotuit* - - - *Sed non debet cum Avicenna, ſeu* Ebn-Sina, *commiſceri, cognominato Arabice* Ar - re - is, *i. e.* Caput, *ſeu* Princeps ille, *ſcil. Philoſophorum atque Medico-*

rum w). Atque hic eſto opellæ huius noſtræ ſubciſivæ finis.

V.

CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI EMENDATIONUM MINUCII FELICIS FERCULUM PRIMUM.

Aureum librum vocat *Minucii Felicis Octavium* a) Dallæus, Buchnerus b) *dialogum pulcherrimum, & quo nihil elegantius in eo genere viderit antiquitas.* At infelix admodum fuit hic *Felicis* liber, ad poſteros quippe non delatus niſi facie mendoſiſſima. Habet hanc faciem, hunc, inquam, Codicem, Bibliotheca Regis Galliæ; alium vero nec illa, nec ulla alia, Bibliotheca habet. Cum igitur unus duntaxat ille huius libri Codex e veteri ævo ſuperſit, isque ab imperitiſſimo librario exaratus; facile apparet, Criticis hic intendendam eſſe & ingenii & iudicii ſui aciem, ut tandem aliquando verum nanciſcamur & germanum *Octavium*. Ac na-

x) *L. c.* f. 244 *C.* 3 editionis memoratæ, meros fere characteres & compendia ſcribendi pro more ſeculi illius exhibentis; quæ tamen recte nos extricaſſe confidimus.

y) In *Monarch. Aſiatico-Saraceni. ſtatu pag.* 23.

a) *Lib. V de obiecto cultus religioſi Cap.* 4.

b) *Lib. II Epiſt.* 129 *pag.* 373.

navarunt iam hanc operam haud pauci, quibus gratiſſimum fecerunt *Rigaltius* & *Deſiderius Heraldus*, e Pariſienſi illo Codice proferentes ſcripturas ab editis diverſas. Nec vero perſanatus iam eſt *Octavius*, ac multa etiam ſuperſunt menda, quæ ne obſervarunt quidem ſuperioris ætatis Critici. Quid? Multa loca, ut vitioſe exarata erant, ita & vitioſe correxerunt editores huius libri. Ego quid præſtiterim, res ipſa docebit. Certe, plurimis abhinc annis in eam curam incubui, ut libro huic ſuas mendas abſtergerem; nec ſolum, quicquid ad eum adſcripſerunt Critici, expendi, ſed etiam ipſe, regulis artis criticæ religioſe adhæreſcens, veram ſcripturam ubique inveſtigavi. Nec vero, quicquid primum veniebat in mentem, arripui pro certo, ſed, repetita ſæpius meditatione, multa, quæ prius placebant, abieci, clarioremque coniecturam amplexatus ſum. Quoniam vero optimæ habentur illæ correctiones, quæ ad ſcripturam corruptam accedunt proxime, adeoque ſimul originem cuiusque mendi indicant; productas ab *Heraldo* & *Rigaltio* ſcripturas Codicis MS. diligenter ſum intuitus, prætereaque ob oculos habui factam ex illo ipſo MS. editionem Romanam, quam A. 1542, vel potius A. 1543, (hic enim annus Præfationi ſubſcriptus eſt,) orbi literato exhibuit *Franciſcus Sabæus*, Bibliothecæ Vaticanæ cuſtos; qui quidem peccavit, quod *Octavium* noſtrum habuit pro *octavo Libro Arnobii*.

Meas igitur illas correctiones *Lipſienſibus* his

Miſcellaneis libenter interſero; admonitus, imo ſtimulatus, ab eorum Editore multis magnisque in rem literariam meritis dudum perilluſtri; quem ac præterea ceteros iuſtæ menſuræ Criticos rogo quæſoque, ut acri ſuo iudicio meas ſententias ſubiiciant, & vel pondus iis adiiciant ſuo ſuffragio, vel, ubi erraſſe me deprehenderint, rectiorem proferant & certiorem ſcripturam. *Evenit* enim *perſæpe*, (utor verbis magni illius Critici, *Io. Frid.* c) *Gronovii*,) *ut fallamur, quicunque has literas ſupra vulgum tractamus: ſed & multa interim eruimus præclara: utque olim iniquas cenſoris alterius notas collega plerumque levabat, & adverſus tribunum, pro interceſſione vim intentantem, alius auxilio erat tribunus, ita, ſi qua male conciliaverimus, exoritur atque exiſtit ex hoc ipſo ordine, qui noſtra peccata emendet.* Ceterum, ut minus tædii afferat criticarum mearum meditationum lectio, ſubinde eas diſtinguam illuſtratione exegetica; qua & ipſa multum lucis inferetur noſtro *Octavio*. Illud vero etiam ſum facturus, ut loca, quæ adhibito quantocunque ſtudio emendare haud valui, indicem, excitaturus ſcilicet alios, ut iis rite corrigendis omnem vim ingenii iudiciique ſui adhibeant. Denique, ut facilior ſit cuiusque loci inventio, *Capitum* ſectiunculas *Cellarianas* unicuique loco præſcribam; cum & verba *Minucii* ita a me proferantur, ut a *Cellario* ſunt edita. Satis nunc præfatus, ad vulnera

mina

c) In *libri Obſervatorum in Scriptoribus eccleſiaſticis Capite VII pag.* 72.

nunc accedo *Minucii* mei, & ea ſanare aggredior: id quod felix fauſtumque ſit!

CAP. I.

3. *Ut & in ludicris & ſeriis pari mecum voluntate concineret, eadem vellet, vel nollet.)* Lego ſine hæſitatione *& in ſeriis*. Alterum errorem commiſit librarius, cum ſcripſit *velle, vel nolle*. Nec debebat hoc defendere *Rigaltius*, ſed, cum aliis quoque plurimis in locis manifeſto vitioſa ſit huius Codicis ſcriptura, emendare. Mihi quidem non eſt dubium, quin ſic ſcripſerit *Felix* noſter: *concineret, & eadem vel vellet, vel nollet.* Utriusque omiſſionis cauſa ſatis manifeſta eſt.

3. *Crederes, unam mentem in duobus fuiſſe diviſam.)* *Pythagoras ultimum* (hoc eſt, ſummum,) *in amicitia putavit, ut unus fiat ex pluribus*, inquit *Cicero Lib. I de Officiis Cap. 17. Ariſtoteles* quoque, quid ſit amicus, rogatus, *una*, inquiebat, *anima, in duobus corporibus habitans*, apud *Diogenem Laertium Lib. V §. 20.* Eodem modo deſcribitur amicitia primi ævi Chriſtianorum *Act. IV, 32*, quos & *Paulus* Apoſtolus σuμψύχους vocat *Phil. II, 2.* Qua formula & *Symmachus* utitur *Lib. VII Epiſt. 83*, commemorans *amicum atque unanimem ſuum.* Imo iam *Virgilius* dixit *unanimem ſororem Æn. IV, 8.* Cave igitur, morem geras *Barthio*, in *Adverſ. Lib. XLIII Cap. 25* reſcribi iubenti *indiviſam.*

3. *Sic ſolus in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus. Et cum)* Ita ſcribendum cenſeo:

Sic ſolus in amoribus ipſi, ſocius in erroribus, cum diſcuſſa caligine — emergerem, cetera. *Conſcius*, vel *conſocius*, (quod verbum, cum pro *conſcius* irrepſiſſet in *ſecundum Caput Apologetici Tertullianei*, non debebat ſervari ab *Havercampo*,) eſſe puto diverſam ſcripturam pro *ſocius*. Ex *Obſ. miſc. crit. T. IX Lib. II pag. 164* cognovi, iam *Schefferum* extruſiſſe hoc *conſcius*. *Iacobi* vero *Gronovii* neque correctio huius loci, neque interpretatio, ulli, credo, placebit. *In amoribus eſſe alicui* etiam *Cicero* dixit, itemque *in deliciis*.

4. *In lucem ſapientiæ & veritatis emergerem)* Hoc eſt, Chriſtianus fierem. *Lactantius* etiam perſæpe *veritatis*, vel *ſapientiæ*, nomine ſignat Chriſtianam religionem. Nec alio ſenſu *Librum* ſuum *quartum* inſcripſit *de vera ſapientia*.

4. *Præcucurrit*) Sic in MS. eſt; at in editione omnium prima *præcurrit*. Errat enim & *Heraldus* & *Wowerius*, qui non oculis ſuis, ſed amico cuipiam, crediderunt, eſſe & ibi *præcucurrit*. Utrumque Latine dicitur; nec proinde eſt, cur a MS. exemplari recedas.

CAP. II.

1. *Negotii)* Dicit cauſam forenſem. Hinc & paulo poſt *iudiciariæ curæ* meminit. Hac eadem notione *negotia (Proceſſe)* dixit *Quintilianus* in Dialogi *de Cauſis corr. eloq. Cap. IX, 4*, & *XXXVIII, 3*, qui & *Cap. VII, 4*, *negotioſos* vocat eos, qui, ut *Corn. Nepos* in *Attico Cap. IX, 4*, loquitur, diſtinentur *litibus*.

1. *Et*,

1. *Et, quod eſt in liberis amabilius, annis adhuc innocentibus)* In MS. & hinc in editione prima eſt *adhuc annis innocentibus.* Recte vero *Fulvius Urſinus* eiecit *annis.* Scilicet *anno* prius ſcripſerat librarius pro *inno*; hinc, non deleto *anno*, quod vitioſe ſcripſerat, adiecit *inno*, &, quod in ſubſequenti linea erat, *centibus.* Nondum tamen perſanatus eſt hic locus. Equidem iſta reſcribo: *&, quod eſt amabilius, liberis adhuc innocentibus.* Veteres aliquot Inſcriptiones, in quibus *innocentia* tribuitur infantibus, produxit ad hunc locum *Iac. Gronovius.*

1. *Loquela dulciore)* In MS. eſt *loquelam dulciorem.* Emendatio debetur *Meurſio*; quam non debebant reiicere *Barthius* & *Daviſius*; quorum hic & in eo errat, quod loco ſic emendato *κακοφωνίαν* tribuit. Similem adiicio locum *Hieronymi* ex eius *Epiſt. IX pag.* 49, ubi de puellula quadam ita ſcribit: *Garrula atque balbutiens lingua offenſione fit dulcior.*

2. *Impatienti)* Lego *impotenti.* Ita & *impotentem* (id eſt, immoderatum, & qui efficit, ut homo ſui non ſit potens,) *amorem Catullus* dixit *Epigr.* 36, & *Tacitus Hiſt. IV*, 44. Etiam in *Lactantii Lib. V Cap.* 1 pro *impotentes* librarii ſcripſerunt *impatientes.*

3. *Aſſiduitatis)* Sic & *aſſiduitatem contubernii* dixit *Quintilianus* in *Dialogi* ſui *Cap. V*, 2. Ac *Ciceroni* in *Orat. pro Deiotaro Cap.* 14 *aſſiduitatem præbere alicui* nihil eſt aliud, quam, ut ibi-

ibidem loquitur, *nec pedem unquam ab aliquo diſcedere.*

3. *Mutuam)* Non dubito, *Minucium* ſcripſiſſe *mutuo.*

3. *Corpori meo)* Scribo *corporis mei.* Curationis huius etiam *Vitruvius* mentionem facit *Lib. V Cap. 9.* Refero huc & illud *Symmachi Lib. VIII Epiſt. 46: Valetudo ſaucia obſtrepit voluntati. Humor enim noxius articulis illapſus etiam nunc me tenet lectulo, & vix litorali ſiccitate tenuatur.* Quem locum in ſingulari Diſſertatione, A. 1734 edita Lipſiæ, & ibidem ſubſequenti anno in *Actis Academicis pag. 120 ſeq.* recenſita, interpretatus eſt *Iac. Henr. Chriſtianus Adami*, Medicinæ Doctor.

4. *Ad vindemiam)* Scribo *ob vindemiam.* Vix quidquam in MS. Codicibus frequentius occurrit duorum horum vocabulorum permutatione. De vindemialibus his feriis præcipua veterum ſcriptorum loca *Binghamus* exhibet in *Antiq. eccl. Lib. XX Cap. 1 §. 2.*

4. *Æſtivam diem)* Pro *æſtivum tempus.* Eodem modo *Heſiodus* Ἐργ. *v.* 494 ὥραν χειμερίαν vocavit tempus hibernum.

5. *Inambulando litori)* Recte ſic edidit *Cellarius*, ceteri omnes *litore.* Dicit *Minucius*, eos *inambulaſſe litori* Tiberis, qui in mare ſe effundit. Vidit hunc ſenſum etiam *Wopkenius* in *Obſ. miſcell. crit. T. X Lib. I pag. 12.*

5. *Ut & aura)* Deleo *ut.* Nam τὸ *cum*

tria

tria haec verba regit, *pergeremus*, *vegetaret*, *ſubſideret*.

5. *molli veſtigio cedens arena)* Dicit *Minucius*, arenam etiam leviter ab euntibus impreſſam ceſſiſſe. Quare non aſſentior *Daviſio*, *mollis* reſcribendum cenſenti; nec aſſentiri debebat *Clericus* in *Bibliotheca ſelecta* T. XXIV pag. 124. Ac nuper quoque duo Critici τὸ *molli* defenderunt in *Obſ. crit. Brit. & Bat. Vol. I pag.* 24. Ibidem vero *T. IX Lib. II p.* 164 errat utique *Schefferus*, hoc *molli* plane eiicere auſus.

5. *Denotato)* Hoc eſt, digito in id intento. Minus recte hoc verbum interpretatur *Rigaltius*, & cum eo *Iacobus Gronovius*.

5. *Ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet)* Malim legere *ſuperſtitioſe ſolet*.

5. *Manum ori admovens oſculum labiis impreſſit)* *Salutare Deos* hoc vocat *Cicero* in *Orat. pro Roſcio Amerino Cap.* 20. Hoc proprie dicitur *adorare*, facto hoc vocabulo ex *ad* & *os, oris*. Quo ſenſu apud *Tacitum* occurrit *Hiſt.* I, 36, 4. *Otho*, inquit, *protendens manus adorabat vulgum, iaciebat oſcula*. Quem morem hodieque nonnullis gentibus eſſe, docet *Muretus Var. lect. Lib. X Cap.* 1, & *Druſius Obſervat. Lib. II Cap.* 16. Ceterum de illo Deos proiecto oſculo ſalutandi ritu pluribus *Lipſius Elect. Lib. II Cap.* 5, *Briſſonius Lib. I de Formulis Rom. pag.* 37 & 38, *Druſius Obſervat. Lib. I Cap.* 20, & *Feſſelius Adverſ. ſacr. Lib. III Cap.* 7 §. 3 & 13. Ad

Chri-

Chriſtianos quoque illos, qui ſanctos veteris ævi viros ſanctasque mulieres ſuperſtitioſe colunt, derivatum eſſe hunc morem, quibusdam animadverſum eſt. Certe, Galliæ Pontificios *impreſſo oſculo colere* imagines Divorum ſuorum, teſtis eſt *Thuanus Lib. XXIX pag. 558.*

CAP. III.

1. *Lapides — unctos & coronatos*) De hoc ethnicorum more *Lipſius* ad *Taciti Annal. I*, 24, *Pithœus Adverſ. ſubſec. Lib. II Cap. 14*, *Caſaubonus* ad *Theophraſti Char. Cap. 16 pag. 130*, & *Clericus* ad *Geneſ. XXVIII, 18.*

2. *Medium ſpatium civitatis*) *Barthii* interpretationem, quam approbat *Cellarius*, merito reiicimus. Nec ſubſcripſeris *Wopkenio*, in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 13* *ſpatium civitatis* dici rato *Oſtiæ a Roma diſtantiam.* Acutius *Daviſius* tollit *civitatis*. Crediderim autem, id ſcripſiſſe librarium pro *itineris*. Nam *n.* 5 vocatur *eundi ſpatium*, & *n.* 4 progreſſi dicuntur fabulis *iter* fallentibus.

2. *Unde tendebat*) Sic MS. Scias vero, *tendere* hic non activum habere ſenſum, (quæ omnium interpretum fuit ſententia,) ſed neutralem. Scilicet, uti exercitus *tendere* dicitur in campo aliquo, ſic & maris aqua, exundans magnumque terræ ſpatium extenſa occupans dicitur eleganter a noſtro *ibi tendere.*

2. *Et, ut ſemper mare, etiam poſitis flatibus, inquietum eſt, etſi non canis ſpumoſisque fluctibus exi-*

exibat ad terram, tamen criſpis toroſisque. Ibidem erroribus delectati perquam ſumus) Locus multis modis depravatus. Primo hanc *ἀβλεψίαν* Criticorum noto, quod non viderunt, diviſe legi oportere *&*, *ſi*. Deinde pro *exibat* opus eſt verbo præſentis temporis. Nec dubito, *æſtuat* ſcripſiſſe *Minucium*. Pro *toroſis* qui reſcripſerunt *tortuoſis*, iis omnino aſſentiendum. Sed nondum ſatis ſanus nunc eſt hic locus. Quare, quod nullo iure hic occurrit, *erroribus* expungo, hanc ratus eſſe variantem ſcripturam pro *tortuoſisque*. Tum *ibidem* corrupte ſcriptum eſſe puto, adeoque emendari oportere. Nunc tandem hæc mihi eſſe videtur Auctoris noſtri ſcriptura: *Ibi arenas extimas, velut ſterneret ambulacro, perfundens lenis unda tendebat: &, ut ſemper mare, etiam poſitis flatibus, inquietum eſt, et, ſi non canis ſpumoſisque fluctibus æſtuat, terram tamen criſpis tortuoſisque lambit; delectati perquam ſumus, cum*, cetera. *Lambit*, inquies fortaſſe, in *ibidem* fuiſſe mutatum, non ſatis credo. Nec ego ſatis, inquam. Melius qui coniecerit, ei arridebo inter primos.

3. *Alluderet)* Pervenuſta metaphora mare molliter allabens *alludere* dicitur a Poetis. *Ovidius Metam. IV, 342: & in alludentibus undis ſumma pedum taloque tenus veſtigia tingit. Catullus in Nuptias Pelei & Thetidos v. 67: Ipſius ante pedes fluctus ſalis alludebant.* Apparet vero nunc, comma, quod poſt *fluctus* collocatum eſt, poſt *alluderet* poni oportere, ut ſic fluat oratio: *fluctus nunc relabens ac veſtigia retrahens in ſeſe reſor-*

reſorberet, hoc eſt, nunc (quod reſpondet antecedenti *nunc*,) fluctus in ſeſe reſorberet relabens, ac veſtigia retrahens. Vides, *τὸ nunc* verbo *fluctus* haud inelegauter poſtpoſitum occaſionem dediſſe vitiandi huius loci. Quod ſi animadverſum fuiſſet, nec hæſitaſſet *Wopkenius Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag.* 14, nec reſcribendum duxiſſet *Daviſius allideret*, *Iac. Gronovius alluderet fluctu*, *Barthius Adverſ. Lib. XLIII Cap.* 25 *appulſim & ſe in ſeſe.*

5. *De navigatione*) Subaudi *ſua, qua Romam delatus fuerat.*

5. *Eandem emenſi viam*) Tollo *emenſi*, quod quis inſcripſiſſe margini videtur, repetitum e *n.* 2. Prius ſcribendum mihi videbatur *remenſi*. Sed nec hoc ferri poteſt. Aliena enim eſt ab elegantia ſermonis *Minuciani* hæc dictio: *eandem remenſi viam rurſus terebamus.*

7. *Is luſus eſt*) Hunc *Minucii* noſtri locum e *Iulio Polluce* & *Euſtathio* illuſtrat *Paulus Leopardus Emend. Lib. VI Cap.* 8. *Quintilianus* luſum hunc *Lib. VIII Cap.* 2 vocat *glebarum teſtarumque iactum*, eumque luſum peculiari nomine carere, obſervat.

7. *Enataret*) Scribo *innataret*. Ac video nunc, etiam *Wopkenio Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag.* 15 hanc emendationem veniſſe in mentem; cui tamen non aſſentior, pro *is luſus eſt* reſcribenti *is luſus erat.*

7. *Emicaret*) In MS. eſt *emicaret, emergeret.*

Poſte-

Poſterius iure eiectum fuit a *Woverio*, manifeſta quippe gloſſa marginalis.

8. *Exſiliret*) Sic eſt in MS. pro quo non oportebat a nonnullis edi *reſiliret*. Etſi enim hoc verbum non eſt huic loco inconveniens, (nam & *Ovidius Metam. XII*, 480, dixit: *reſilit secti a culmine grando*; tamen nihil eſt cauſæ, cur *exſiliret* reiiciamus, quod etiam præcedenti *emicaret* ſimilius eſt.

CAP. IV.

1. *Nihil*) Hoc eſt, *non*.

1. *Dolere*) In MS. eſt *dolore*. Miror, neminemdum vidiſſe, reſcribendum eſſe *doloris neſcio quid*.

2. *Alacritatem tuam? cur illam*) In Romana editione ita ſcriptum eſt: *alacritatem tuam illam? & illam oculorum*, cetera. Prope nunc abeſt, ut ſic ſcripſiſſe putem *Minucium* noſtrum: *Cur non agnoſco, Cæcili, alacritatem tuam illam, & illam oculorum, etiam in ſeriis, hilaritatem?* Τῷ *&* in *cur* mutato, facile cuipiam in mentem venit adiicere *requiro*, ad ſupplendam ſcilicet orationem.

4. *Ut ipſius ſecta homo cum eo diſputem*) Verba nihili. Reſcribo: *ut de ipſius ſecta hodie cum eo diſputem*.

4. *In contubernalibus*) Pro *inter contubernales*. Eodem modo ſupra *Cap. III*, 8, *in pueris*, & infra *Cap. XXXVII*, 4, *in hoſtibus* pro *inter hoſtes*.

4.

4. *Sapientiam. Modo)* Peſſima interpunctio. Rectiſſime reſcripſit *Rigaltius ſapientium modo.* Sed nondum ſatis ſanus hic locus. Aut vehementer fallor, aut traiecta ſunt verba a librario, atque ita reſtituenda: *Si placet, ut — cum eo diſputem, in iſtis ad tutelam — intentius diſputare. Iam profecto intelliget, facilius eſſe, in contubernalibus differere,* (ita ſcribo pro *conſerere,*) *quam diſputare ſapientium modo.*

5. *Lateris ambitione)* Proprie dictum pro *ambitu.* Ita *Solinus Cap. 48* dixit *ambitionem extremæ cutis.* Senſu eodem *hederas ambitioſas* vocat *Horatius Lib. I Oda 36.*

5. *obſequii)* Comitatem ſignificat, quam nos appellamus *die Hæflichkeit,* Galli *complaiſance.* Quo ſenſu in vetuſto quodam lapide dici *maritum obſequentiſſimum,* recte docet *Philippus Caroli* ad *Gellii Lib. I Cap. 17 pag. 92,* — & *Gundlingius* in *Gundlingianorum Parte XXXVIII pag. 250.*

5. *Aut ordinis)* Fallitur *Wowerius,* abeſſe a MS. Codice hæc verba ratus. Contrarium teſtatur αὐτόπτης *Heraldus,* qui & ad *Cap. IX, 3,* docet, ſæpius *Wowerium* afferre aliquam ſcripturam, quaſi illius vetuſti Codicis ſit, cum tamen ibi non reperiatur. Fefellerat videlicet eum amicus, qui, a ſe inſpectum eſſe iſtum Codicem, mentitus erat.

5. *Ut arbiter)* Hoc eſt, *ut tanquam arbiter.* Latine ſatis doctis hac animadverſione non erat opus. Sed ſcio, a plurimis lectoribus hunc locum ſine interprete non intelligi.

CAP.

CAP. V.

1. *De quo)* *Minucius id, de quo* ſcripſerit, neceſſe eſt. Tam dura enim ellipſis non convenit ſcriptori tam Latine docto, tamque venuſtatis ſtudioſo.

1. *Cummaxime.)* Id eſt, hoc ipſo tempore. Illuſtravi hanc notionem in meæ *Pœciles T. II Lib. II pag. 179.*

1. *Impræſentiarum)* Diſputant ad hunc locum de hoc verbo *Ouzelius* & *Iac. Gronovius*, uterque id exulare iubens ex orbe Romano. Mihi vero videtur Latinum utique verbum eſſe, ſed plebeium, in *Poeciles Tom. III Lib. II p. 319 ſeq.*

1. *Iudicis)* Miror, non iam dudum reſcriptum fuiſſe *iudicii*. Adeo facilis erat hæc emendatio. Infra quoque *Cap. XIV, 6, iudicis* recte a *Wowerio* mutatum eſt in *iudicii*.

1. *Propenſus)* Pari facilitate reſcribo *propenſius*.

1. *Ne non tam — videatur)* Similiter *Cicero Paradoxum* ſuum primum exorditur, *Vereor*, inquiens, *ne cui veſtrum ex Stoicorum hominum diſputationibus, non ex meo ſenſu, depromta hac videatur oratio.*

Si mibi) τὸ *mibi* παρέλκει hoc loco, erudite obſervavit *Daviſius*, itemque *Iac. Gronovius*; idque frequentiſſimum eſſe Græcis & Latinis, docuit *Vechnerus* in *Hellenolexiæ* ſuæ *Lib. I Cap. 6 §. 5*. Addo, nec Hebræos carere hoc pleonaſmi genere, e. g. *Gen. XII, 1,* & *XXII, 5*, imo nec nos Germanos.

2. *Quaſi novus aliquis*) Hoc eſt, quaſi ex alio orbe huc delatus, nec aut Chriſtianæ, aut Catholicæ, gentium religionis, quæ *ethnica* vocatur a Chriſtianis, notitiam habens. Simili pæne modo *novum Bacchum* dixit *Ovidius Metam. III, 520*, hoc eſt, ignotum adhuc, uti ipſe interpretatur *v. 530*.

2. *Omnia quam vera*) Sicut hoc loco *Caecilius* eo argumento utitur ad aſſerendam religioni, a maioribus traditæ, ſuam auctoritatem, quod ratio humana nihil certi cognoſcat; ita & *Huetius* in *Quaeſtionibus* ſuis *Alnetanis* hoc tibicine fulcit religionem Romanam, contendens, veritatem eſſe menti noſtræ imperviam, adeoque in placitis maiorum acquieſcendum eſſe. Idem egit poſtea, cum ſcribebat librum, poſt mortem demum ipſius editum, *de imbecillitate humani intellectus*, quem iuſtius inſcripſeris *de Huetiani intellectus imbecillitate*.

2. *Nullum negotium eſt*) Hoc eſt, perfacile mihi eſt.

2. *Magisque veriſimilia*) Editio omnium prima: *magisque omnia veriſimilia*. Verum rectius hic abeſſe videtur *omnia*.

3. *Potius ſuccumbere*) Tò *potius*, quod non eſt in MS. nec in editione illa *Sabaei*, iure eiicit *Daviſius*, docens, omiſſum id eſſe exemplo ſcriptorum optimæ notæ. Plura huius generis exempla, ſi placet, pete ex *Hellenolexia Vechneri Lib. I Cap. 5*.

4. *Expertes artium etiam ſordidarum*) Ex editione

tione prima reſcribi iubet *Wowerius niſi ſordidarum.* Quæ ſcriptura priore veroſimilior. Cum vero in MS. ſit *etiam*, id adeo non reiicio, ut nunc demum credam verum loqui *Minucium.* Hæc igitur eius verba ſunt: *expertes artium etiam, niſi ſordidarum.* Vides, *non*, quod ante *niſi* ponendum erat, eleganter latere in *expertes.* Eodem modo *Curtius VIII, 2, 21: Iter ignotum erat, niſi indigenis*, pro *iter non niſi indigenis notum.* Ibidem ſimile alterum exemplum: *Interiora niſi illato lumine obſcura ſunt*, hoc eſt, non poſſunt conſpici, niſi illato lumine.

4. *De ſumma rerum ac maieſtate)* Eiicio *ac. Summam rerum maieſtatem* noſter dicit Deum. Sic & *Lactantius Inſtit. divin. I, 1, 5: Si conſilia & diſpoſitiones illius maieſtatis æterna cogitatio aſſequeretur humana.*

4. *Tot omnibus ſeculis ſectarum plurimarum)* Scribo: *poſt tot omnis ſeculi ſectarum inquiſitionem.* Primam poſtremi verbi ſyllabam abſorpſit antecedentis ultima litera. *Omne ſeculum* pro *omnia ſecula* eodem iure dicitur, quo *Cicero* pro *omnia flagitia committere* dixit *omne committere flagitium* in *Orat. poſt red. in ſen. Cap. 10. Wopkenſii* ad hunc locum annotatio, quæ in *Obſervat. miſcell. crit. Tom. X pag. 17* exhibetur, nemini, opinor, ſe probabit.

5. *Ab exploratione divina)* Scribere non dubito, *ab exploratione rerum divinarum.* Tres priores literæ verbi *humana* facile præcedentem ſyllabam, *rum*, abſorpſerant.

5. *Sublimata*) Præclara emendatio eius, qui primus pro *ſublata*, quod in MS. eſt, itemque in editione Romana, ita reſcripſit. Eodem de argumento id verbi uſurparunt *Ennius* atque *Apuleius*; quorum loca exhibet *Fabri* Lexicon.

5. *Scrutari permiſſum, aut ſciſcitari religioſum*) MS. Codex ita: *ſcrutare permiſſum, aut ſtuprari religioſum*. Hoc ſic emendo: *ſcitari permiſſum, aut ſcrutari religioſum*. *Sanctam ignorantiam* vocat *Tacitus Germ. Cap.* XL, 8, qui & *Cap.* XXXIV, 4: *Sanctius ac reverentius viſum, de actis Deorum credere, quam ſcire.* Addo duorum Poetarum loca, *Virgilii* & *Ovidii*, ad illuſtrandum prius verbum. Ille *Æn. II*, 105: *Tum vero ardemus ſcitari & quærere cauſas.* Hic *Metam. IV*, 794: *Quoniam ſcitaris digna relatu, accipe quæſiti cauſam.*

6. *Vel hunc errorem — implicemus*) Obſcuriora verba. Sentit *Cæcilius*, ſi ab ſe impetrare non poſſint mortales, quo minus ſcrutentur cœleſtia, eos cavere ſaltim debere, ne hunc ſuum errorem vanis implicent & formidoloſis de Deo opinionibus. *Vel* aut delendum cenſeo, aut in *velim* mutandum.

7. *Quis hic auctor Deus*) Pro *hic* legendum ſuſpicor *his*.

8. *Licet terram fundaverit pondus*) MS. ita: *Licet terram fundaverit pondere.* Pro quo *Rigaltio* viſum ſic reſcribere: *fundaverint pondera*: *Barthio* ita: *ſe fundaverit pondere.* Mihi placet, quod editum eſt: niſi quod unum verbulum excidiſſe

addiſſe puto, atque [illegible] initio ſcriptum fuiſſe credo: *licet terram ſuum fundaverit pondus.* Firmat hanc correctionem, quod proxime præcedit: *cœlum licet ſua materia ſuſpenderit.* Cœlum (en paraphraſin!) ſua materia, tenuiſſima quippe ac leviſſima, ſuſpendit in alto; terram autem in imo poſuit ſua materia, craſſa quippe & ponderoſiſſima.

8. *Et mare licet influxerit liquor*) Eſt in MS. ita: *influxerit e liquore.* Reſcribo *confluxerit e liquore.* *Tibullus Lib. IV*, 20: *Qualis & in curvum pontus confluxerit orbem.*

8. *Unde formido, quæ ſuperſtitio eſt?*) Levis error librarii. Lege: *unde formido atque ſuperſtitio eſt?*

9. *Homo & animal — nec auctore*) Primo huius loci interpunctio corrigenda eſt, & quidem hoc modo: *Homo & animal omne, quod naſcitur, inſpiratur, & alitur, elementorum ut voluntaria concretio eſt, in quæ rurſum homo & animal omne dividitur, ſolvitur, diſſipatur; ita in fontem refluunt & in ſemet omnia revolvuntur nullo artifice, nec indice, nec auctore.* Nunc & corrupta huius loci verba obſervabo corrigamque.

9. *Et alitur*) Ita recte reſcriptum pro *attollitur*, quod eſt in editione Romana. *Cuperi* neque correctio, neque interpretatio, quarum illam *Clericus* in *Bibliotheca* ſuæ *ſelecta Tom. XXIV p.* 128, hanc in *Tom. XXVI p.* 459, profert, aſſenſum meretur.

9. *Voluntaria concretio*) Vera ſcriptura utique hæc eſt: *fortuita concretio*; uti *n.* 7 dixit noſter,

 fortui-

fortuitis concurſionibus coaliſſe mundi membra. Docebant ſcilicet *Epicurei*, *omnia fortuita facta eſſe*, uti *Lactantius Lib. I, 2, 1*, loquitur. Ac *Cicero* quoque, *fortuitam atomorum concurſionem* ab illis ſtatui, ait.

9. Solvitur) Haud dubie legendum *reſolvitur.*

9. Omnia revolvuntur) Transponi hæc verba oportere, legique *revolvuntur omnia*, vel una attentior huius loci inſpectio docebit.

9. Nec iudice) Alienum hoc loco verbum. Lego *hec auſpice. Ovidius Faſtorum IV, 828: Auſpicibus vobis* (Diis) *hoc mihi ſurgat opus*, hoc eſt, hæc urbs a me ædificetur.

10. Quibus denſatis) Legendum *atque bis denſatis.*

10. Labantibus) In editione Romana eſt *labentibus.* Probo.

10. Præmicare) Doctiſſimus *Heuſingerus*, Iſenacenſis Gymnaſii Director, ad me ſcribebat, *promicare* ſibi legendum videri. Aſſentior. Ceterum facile apparet, huic periodo deeſſe verbum *videmus:* quod poſt *ſoles* excidiſſe mihi quidem videtur.

10. Adeo paſſim) Scribo *Atque* (vel *Ac*) *ea paſſim.*

10. *Homines noxios feriunt, ſæpe & religioſos,)* Scripſiſſe ita credo *Minucium*: *homines non modo noxios feriunt, ſed ſæpe religioſos.* Certe in Romana editione eſt *& ſæpe religioſos.* Idem his verbis dicit *Ovidius Lib. III e Ponto Eleg. 6 v. 27:*

Iupiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpa non meruere pati.

11. Exa-

10. *Examine*) Minus acute hoc defendit *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 18.* Reſcribo *diſcrimine.* Paulo poſt dicitur: *ſine diſcrimine omnes.*

11. *Convenire*) Scribo *conſtat evenire.* Nam deeſt verbum, a quo excipiantur accuſativi infinitivis iuncti. Eodem modo *Plautus* loquitur in *Stichi I, 3, 56*: *Damna evenerunt maxima miſero mihi.* *Cicero de Fin. bon. I, 16*: *Ob ea incommoda, quæ eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus,*

11. *Cum belli ardore ſævitur*) Non eſt mihi dubium, hanc eſſe veram Auctoris noſtri ſcripturam: *cum belli ardor ſævit.* Sic inferius *Cap. VII, 2, ira ſæviens.* Similiter *Ovidius* ſcribebat *e Ponto Lib. III, 6, 31*:

Cum pereant acie fortiſſima quæque, vel ipſo
Iudice dilectus Martis iniquus erit.

12. *Sed & colitur*) *Daviſium*, reſcribere auſum *ſed præponitur*, prope refellit *Wopkenius* in *Lectionum Tullianarum Lib. II Cap. 17 pag. 226.* Ipſe vero ſcribi iubet *ſed ita colitur.* Ac rurſus in *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 18* ingenium ſuum exercet in hoc loco. Mihi vero tam proba videtur vetus ſcriptura, nullius ut mutationis cuiquam in mentem venire debeat. Obſervo etiam, abſtractum hic exhiberi pro concreto, hoc eſt, *nequitiam* dici pro *hominibus nequitia plenis.*

13. *Mereretur*) Id eſt, conſequeretur. Hoc ſenſu id verbi uſurpari conſuevit illo ævo: id,

quod pluribus docui in *Pœciles T. I Lib. I pag. 36 ſeq.* ubi hunc ipſum *Minucii* locum illuſtravi. Sæpe quoque *Lactantius* ita loquitur: cuius loca plura *Index* meæ editionis profert. Dignum quoque obſervatu, *Eutropium*, cum *VI, 2, 2*, dixiſſet *triumphum meruit*, ſubſequenti in *Capite* dixiſſe eodem ſenſu *triumphum accepit*.

14. *Iam ſeges cana*) Reſcribo *iam cana ſeges*. Inſpice, quæſo, locum: & ſtatim aſſentieris.

CAP. VI.

1. *Deos vel faciles habere vel reges*) Durisſima verbi *faciles* interpretatio eſt hoc loco aliena; quanquam ea placet *Wopkenio Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 19.* Acutius viderunt *Perizonius* & *Schefferus*, male ſcriptum eſſe a librario *faciles*. Et ille quidem, cuius emendationes editioni ſuæ ſubiunxit *Cellarius*, *patres* reſcripſit, hic (in *Obſ. miſc. crit. Tom. IX Lib. II pag. 164*) *familiares*. Mihi vero non eſt dubium, reſcribi debere *cives*, id eſt, civitatis conſortes, *Mitbürger*. Cuius emendationis patrono utor ipſo noſtro *Minucio*, qui paulo poſt ait, veteres coluiſſe *Deos municipes*; & infra *Cap. XX, 6*, ſcribit, *unamquamque nationem* Deum feciſſe *conditorem ſuum, aut ducem inclytum, -- aut alicuius muneris, vel artis, repertorem, ut civem bonæ memoriæ*.

3. *Ambitus*) Rarus eſt hic accuſativus pluralis. In ſolo mihi occurrit *Livio, Lib. XXVII Cap. 27*, *Multos*, inquienti, *circa unam rem ambitus fecerim, ſi*, cetera.

3. *Pro-*

3. *Propagavit*) Scribendum omnino *propagarunt*.

4. *Spreviſſet iratos*) Male a quibusdam editum eſt *iratus*. Recte enim prima illa editio *iratos* habet, At etiam ii peccarunt, qui, *iratos* edentes, non præfixerunt huic verbo comma. *Colunt*, inquit noſter, *Deos, quos alius iam ſpreviſſet, iratos*. *Iraſci* ſcilicet dicebantur Dii, cum urbs aliqua hoſtium veniebat in poteſtatem. Hinc *averſos a Carthagine Deos* vocabat *Florus* II, 6, 20. Tum vero Deos ſuos ethnici ſolebant *ſpernere*, imo etiam *ſæva in ſanctos verbera ferre Deos*, ut *Ovidii* verbis utar ex *Amorum* I, 7, 6; de quo ritu *Pitiſcus* ad *Suetonium* Tom. I p. 767, & *Bælius* in ſuo *de Cometis* libro *Cap.* 132.

4. *Capti in hoſtilibus mœnibus*) Sic in MS. eſt; at in Romana editione *captis*. *Daviſius in* mutavit in *vi* feliciter; ſed etiam *hoſtilibus* mutandum erat in *hoſtili*. *Captis*, inquit noſter, *vi hoſtili mœnibus*; qui & ſequenti in *Cap.* VII, 3, *urbem*, ſcribit, *metu hoſtili liberatam eſſe*.

4. *Etiam regnare*) Lego *eis etiam regnare*. Vide, quæſo, quæ ſcripſi ad *Lactantii* III, 29, 9.

4. *Meruerunt*) In MS. eſt *merunt*; pro quo *Daviſius* ſcribit *merent*. Sed veram ſcripturam editio Romana exhibet: *regna meruerunt*. Sic ſupra *Cap.* V, 13: *nunquam mereretur Phalaris regnum*. Quid hic ſignificet *mereri*, ad iſtum locum iam dixi.

5. *Hic*) MS. *Hinc*, quod placet *Heraldo* & *Iac. Gronovio*.

5. *Antiquitas*) Hoc eſt, maiores noſtri, vel, ut *Cicero Orat. IV in Catil. Cap.* 4 loquitur, *antiqui illi*. Ne offendat nos ſtatim ſequens *vetuſtas*, commode produxit *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 19* ſimillimum *Ciceronis* locum. Hic enim *Lib. II de Divin. Cap. 33* ita locutus eſt: *Errabat in multis antiquitas; quam vel uſu iam, vel doctrina, vel vetuſtate, immutatam videmus*. Supereſt vero, ut mendum tollatur ex hoc *Minucii* loco. Facile igitur apparet, ita eum ſcripſiſſe: *Fanis tantum ſanctitatis tribuere conſuevit, quantum* (ſanctitatis iis) *adſtruxerat vetuſtas*. Ac vidit iam *Fulvius Urſinus*, *adſtruxerat* reſcribendum eſſe. *Plinius* etiam *Lib. III Epiſt. 2* dixit *alicuius dignitati aliquid adſtruere*; & in *Panegyrici Cap. 74*, *Civitas*, inquit, *nihil felicitati ſuæ putat adſtrui poſſe*.

CAP. VII.

2. *Specta de libris memoriam*) In MS. eſt *memoria*: e quo inepte facit *memoriat Iac. Gronovius*. *Rigaltius* putat, aut hanc eſſe verum ſcripturam: *Specta de libris memoriarum*; aut iſtam: *Specta de libris memorias*. Ac ſane *libri memoriarum* recte dicuntur. *In libris veterum memoriarum ſcriptum eſt*, inquit *Gellius V, 5*, cuius & hoc eſt *Lib. IV Cap. 6*: *In veteribus memoriis ſcriptum legimus*. *Memorias* etiam infra *Cap. XVI, 6*, & *XXXI, 2*, noſter *Minucius* appellat libros hiſtoricos; id quod & *Tertullianus* facit *Apol. Cap. XVIII pag. 180*, & *Cap. XIX pag. 184*, & *Lib.*

II ad nationes Cap. 12, ubi veteres commemorat memorias. Imo memoriam publicam hoc ſenſu dixit Cicero in Orat. pro Milone Cap. 27. Sed qui ſit, quæſo, ut ſpecta huius loci nemini ſuſpectum ſit? Certe, qui in aliquam veniunt Bibliothecam, ab iis ſpectari libri recte dicuntur forma diverſi, numero plurimi, ornamentis pulchri ac delectabiles. Plerumque etiam libros ſpectatum admiſſi unum atque alterum librum inſpicere geſtiunt, & in eo legere. At vero pro inſpicere librum, legere in libro, nemo Latinus unquam dixit librum ſpectare. Neceſſe igitur eſt, librarium illum, a quo conſtat vitioſiſſime ſcriptum eſſe hunc librum, etiam huic loco intuliſſe vitium. Rogandi iam ſunt Critici, ut & hoc mendum tollant. Quodſi mea mihi dicenda eſt ſententia, fateor, hanc mihi videri fuiſſe primam, hoc eſt, ipſius Minucii, ſcripturam: Inſpice acta, & libros memoriarum. Acta dicebantur monumenta publica, res geſtas exhibentia, e. g. a Tacito Annal. III, 3, 2, & XII, 24, 4, & XIII, 31, 1, a Plinio Hiſt. nat. II, 56, & VII, 13, & 53, & X, 2. Refert etiam Quintilianus in Dialogi ſui Cap. 37, undecim libros Actorum compoſuiſſe & edidiſſe Mucianum quendam.

3, Equeſtrium fratrum) Equis albis inſidentes Vatinio ſe obtuliſſe dicuntur, inquit Lactantius II, 7, 10. Hinc lego equeſtres fratrum, ſicut ſe oſtenderant, ſtatuæ. Tò in lacu cum Barthio (Adverſ. Lib. XLIII Cap. 25) extermino, e marginali ortum gloſſemate. Etiam cum Fulvio Urſino ſicut ſe

ſe oſtenderant ſcribo pro MS. *ſicut oſtenderant.* Quanquam nec *Schefferi* diſplicet ſententia, *ſe ut oſtenderant* reſcribentis in *Obſ. miſc. crit. Tom. IX Lib. II pag. 165.*

3. *Qua viceranti)* En *Meurſii* ſcripturam pro *qua fecerant*, quod in MS. eſt, itemque in editione Romana. At neutrum probo, ſed utrumque verbum eiicio. Quam eleganter enim ita dicitur: *Qui de Perſe victoriam eadem die nuntiaverunt!* Iam in margine quiſpiam ad hæc verba: *eadem die*, interpretationis cauſa adſcripſerat: *qua facta erat*, ſubaudi *victoria.* Quod gloſſema non ſolum tranſiit in textum, ſed ita ſimul corruptum fuit: *qua fecerant.*

4. *Offenſi Iovis)* In MS. eſt *offenſio Iovis;* unde facere quibusdam placuit *offenſo Iove.* Sed acutius viderunt *Rigaltius* ac *Daviſius*, *offenſi Iovis* reſcribentes. Ac recte hanc ſcripturam in textum recepit *Iac. Gronovius.*

4. *Curtius, qui equitis ſui vel mole, vel onere, hiatum profundæ voraginis coæquavit)* Errant cum ii, qui, *Curtium* non iuvenem, ſed lacum, ſignificari, credunt; tum illi, qui *equitem* hic dictum putant catachreſi poëtica pro *equum*: quos inter *Tomaſinus* eſt in libri *de Donariis Cap. XX pag. 141*, & *Frid. Beſſelius* in *Miſcellaneis criticis Cap. IV §. 3 p. 29*, & *Cellarius* in *Fabri Lexico.* Ceterum corruptiſſimus eſt hic locus, nec ſanari poteſt, niſi agnoſcatur monſtroſa eius corruptio. Ego quidem, diu multumque meditatus, ita cenſeo, veram ſcripturam hanc fuiſſe: *Curtius;*

qui

qui eques ſui olim devotione hiatum, cetera. *Devoviſſe ſe Curtium*, ait *Livius VI, 6*. Iam primum *eques* ob adiunctum *ſui* mutatum eſt in *equitis*. Deinde pro *devotione* indocto minusque oculato librario, qualis noſter utique fuit, facile erat & legere & ſcribere *plevelone*. Ex *olim* denique *vel m* natum. Melius qui coniecerit, probabiliusque, ei palmam haud invidebo.

6. Ut Parthos ſigna repetamus) Ecquis Latinus ita unquam locutus eſt? Facile iam apparet, reſcribendum eſſe *a Parthis*: idque etiam vidit *Heuſingerus* meus, quem ſupra laudavi.

7. *Omitto -- poetarum*) Facile mihi aſſentieris, opinor, ſic reſcribenti: *Omitto vetera, quæ multa ſunt, de Deorum natalibus, donis, muneribus, carmina poetarum.*

7. *Prædicta etiam de oraculis*) Pro *ab oraculis*, vel *ex oraculis*, Afro dicendi genere. Afer enim fuiſſe videtur noſter *Minucius*. Infra iterum hoc ipſum *de oraculo* occurrit *Cap. XIII, 2.* Ac *Tertullianus*, item Afer, ſæpenumero hunc in modum abutitur particula *de*. *Iupiter de Olympo*, inquit in *Apolog. Cap. 28.* pro *Iupiter Olympius*. Ibidem *Cap. 14*: De *decima Herculis nec tertiam partem in aram eius imponitis. Laudo ſapientiam, quod de perdito aliquid eripitis.*

9. Adeo pleni) Ne, quæſo, dubita mecum legere *Deo pleni*. De *Sibylla Ovidius Metam. XIV, 107*: *Deo furibunda recepta*. Idem *Faſt. VI, 5*, de vatibus ipſe vates: *Eſt Deus in nobis*. Et *Amorum III, 8, 17*: *Vates numen habent*, ſubaudi *in ſe*. *Vir-*

gilius de *Sibylla Æn. VI*, 78 & 101: *Cuius Deus eſt in pectore.* Et *v.* 50: *Afflata eſt numine iam propiore Dei.* *Cicero* quoque *pro Archia Cap. VIII*, *vates*, ait, *divino ſpiritu inflari.*

9. *Mixti Deo vates)* Eleganter etiam *Tertullianus* in *Apolog. Cap. XXI p.* 204 Servatorem Θεάνθρωπον appellat *hominem Deo miſtum.* Alio longe ſenſu *Virgilius VII*, 661: *Mixta Deo mulier.*

9. *Nolumus)* Recte *Fulvius Urſinus* reſcripſit *violamus.* Minus docte defendit prius *Nic. Heinſius Adverſ. Lib. I Cap.* 18 *pag.* 184, itemque *Rigaltius:* qui cum obiicit *Urſino Codicis MS. auctoritatem*, ridendum ſe præbet. Manifeſtum eſt enim, nihil eſſe iſto Codice mendoſius.

9. *Peieramus) Io. Frid. Gronovius Obſ. in Script. eccl. Cap. VII pag.* 74 reſcribit *eieramus*, acriterque correctionem hanc tuetur, cum tamen ea a totius huius loci ſenſu aberret: id quod & filius eius agnovit, *Iacobus.* Retinendum omnino, quod in MS. itemque in editione Romana eſt, *peieramus.* Scilicet *peierare Deos* eodem iure *Minucius* dixit, quo dici ſolet *iurare Deos.* Notiſſimum eſt illud: *Iovem lapidem iurare*, id eſt, per *Iovem.* *Virgilius VI*, 324: *Cuius iurare timent & fallere numen.* Ibidem *v.* 351: *Maria aſpera iuro.* *Ovidius Metam. II*, 101: *Stygias iuravimus undas.* Et *v.* 46: *Diis iuranda palus.* Dicitur vero & *periurare*, ſive *peierare*, *Deos*, hoc eſt, mendaciter iurare per Deos. En *Ovidii* locum *Amorum III*, 10, 22: *Et periuratos in mea damna Deos.* Cuius Latinæ dictionis ſi recordatus eſſet

Gro-

Gronovius, Philologus certe maximus, & inter Criticos quoque eminens, haud ſane moviſſet hoc loco *peieramus*, nec tam ſtudioſe ſuum *eieramus* commendaſſet lectoribus.

APPENDIX.

Rogatus nuper ab amico quodam, quid mihi videantur eſſe *capita originis* in *Livii V*, 33, cum agnoſcerem, locum hunc eſſe perobſcurum, acceſſi ad editionem *Livii Drackenborchianam*, ſperans, ibi repertum iri horum verborum aut interpretationem, aut emendationem. Altum vero cum hic eſſet de hoc loco ſilentium, nec tamen illis duobus verbis iuſtum commodumque ſenſum tribuere poſſem, coactus ſum ſuſpicari, oculum pariter ac manum hic erraſſe librarii. Non ita multo labore iam opus erat ad indagandam ſcripturæ veritatem. Legens enim totum locum ac relegens, dubitare non potui, *capita regionis* ſcribendum fuiſſe. Ita vocat *Livius* ex more Latini ſermonis urbes illius regionis, quarum cuique ſui pagi vicique adiuncti & ſubiecti erant. Ac videtur mihi tam iuſta eſſe, tamque clara, correctio hæc, ut certum habeam, *Drackenborchium*, cuius in *Livium* merita manet laus immortalis, eam excepturum eſſe ſuo ſuffragio.

VI.
FRID. OTTONIS MENCKENII
AD
LOCUM LIVII
LIB. V CAP. 33
OBSERVATIO.

Heumanniana qui legunt, in his facile acumen magnum, & miram quandam vim ingenii, & doctrinam excellentem, agnoſcunt, nec agnoſcunt tantum, ſed celebrant etiam & admirantur. Atque horum ita ego me partibus adiungo, ut nulla eſſe maior, quam quae mihi ex eorum omnium, quae Vir ille vere doctus compoſuit, lectione capitur, voluptas poſſit, &, ſi quid mihi ex praeclara illa officina novi afferatur, novum hinc gaudeam & animo meo pabulum, & decus literis, paratum. Nec me, ſelecta quaeque exſpectantem, ad hunc diem ſpes fefellit, plura accipere, quam exſpectaveram, plura, quam poteram exſpectare, ſolitum. Sunt enim, quaecunque illuſtre hoc literisque auſpicatum nomen in fronte gerunt, tanquam ab ipſis Gratiis dictata, &, ſive ſermonis ſuavitatem, ſive rerum copiam & gravitatem, ſpectes, autorem probant, non ex vulgo aliquem, ſed artis eius, qua vera gloria acquiritur, peritiſſimum, ſed facultatibus ingenii egregium, ſed ad ſcientiarum incrementa natum prorſus

for-

formatum. Quæ cum librorum, Diſſertationum, Obſervationum, & ſi quo alio veſtitu comta illa Muſa prodiit, laus omnium communis ſit, pertinere etiam ad hanc, quam modo vidimus, verborum *Livii*, non levi, ut *Heumanno* videtur, obſcuritate laborantium, emendationem putanda eſt. Nam, ſi talis emendatio, quæ levi verborum mutatione planiorem ſcriptoris mentem efficit, præ ceteris aſſenſum ferre Criticorum ſolet, non video, quam *Heumanniana* huic, id commodi habenti, ut, mutata unius vocis forma, iis lectoribus, qui de verborum *Livii* obſcuritate fuerant conqueſti, horum ſenſum aperiat, præferre debeam. Locum *Livii* (*Lib. V Cap.* 33), ut melius arbitrari poſſis, Lector, dabimus integrum: *Ii* (Tuſci) *in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras: prius cis Apenninum ad inferum mare, poſtea trans Apenninum, totidem*, quot capita originis erant, *coloniis miſſis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, uſque ad Alpes tenuere.* In quo cum verbis, *quot capita originis erant*, iuſtum *Heumannus* commodumque ſenſum tribuere nullo modo poſſet, nec alia nodum hunc ſolvendi remedia ſuppeterent, adhibuit loco, quem ipſe male habitum a librariis putabat, medicinam criticam, uſus hic ea ratione, qua peritiſſimus quisque Medicorum, plus tribuens mollioribus, quam violentioribus, remediis, ſibi utendum putat. Itaque, convertendo illud *originis*, in quo maxime

xime offenderat, in *regionis*, pldniſſimam æque ac politiſſimam *Livianæ* orationis ſeriem exhibet, id facile impetraturum ſe a lectoribus confidens, ut *capita regionis* pro urbibus præcipuis, quarum cuique ſui pagi vicique adiuncti erant & ſubiecti, accipiant. In quo, dubito, an futurus ſit unus lectorum, quem difficilem *Heumannus* ad credendum habeat, eorum inprimis, qui, familiare ipſi *Livio* genus hoc dicendi eſſe, nec raro huic urbes nobiles ac principes *capita regionum* vocari, non ignorant. Mihi in promtu hæc ſunt loca: *Lib. VIII Cap. 4: Eſt quidem nobis hoc per ſe haud nimis amplum, quippe concedentibus, Romam* caput Latio *eſſe*; *Lib. I Cap. 16: Abi, nuntia, inquit, Romanis, Cæleſtes ita velle, ut mea Roma* caput orbis terrarum *ſit*; *Lib. XXIII Cap. 10: Inter cetera magnifica promiſſa pollicitus, brevi* caput Italiæ *omni Capuam fore*; *Lib. XXXII Cap. 30: Inde mittendo in vicos Cenomanorum Brixiamque, quod* caput gentis *erat*, etc. *Lib. XXIII Cap. 11: Capuam, quod* caput, *non* Campaniæ *modo, ſed, poſt afflictam rem Romanam Cannenſi pugna*, Italiæ, *ſit, Hannibali ſe tradidiſſe*; *Lib. XXXIII Cap. 1: Quinque millia ab Thebis, quod* caput *eſt* Bœotiæ, *poſuit caſtra*; *Lib. XLII Cap. 44: Thebæ quoque ipſæ, quod* Bœotiæ caput *eſt*, *in magno tumultu erant*; *Lib. IX Cap. 37: Itaque a Peruſia, & Cortona, & Arretio, quæ ferme* capita Etruriæ *populorum ea tempeſtate erant, legati*, etc. & *Lib. X Cap. 37: Tres validiſſimæ urbes*, Etru-

riæ capita, *Volſinii, Peruſia, Arretium, pacem petiere.* Ad quem locum ipſe notat *Drackenborchius*, ideo Peruſiam & Cortonam & Arretium *capita Etruriæ* vocari *Livio*, quia fuerint ex duodecim præcipuis eius regionis urbibus. Nec a *Liviana* hac dicendi ratione aliorum genus ſcribendi diſſidet. Sic enim *Curtius Lib. V Cap. 8: Ille iam Ecbatana pervenerat*, caput Mediæ; & *Lib. VII Cap. 4: Ipſa Bactra*, regionis eius caput, *ſita ſunt ſub monte Paropamiſſo*; & *Lib. IX Cap. 4: Depopulatusque regionem, oppidum*, caput eius, *corona cepit*; & *Lib. V Cap. 4: Perſepolin urbem*, caput regionis, *occupare feſtinans*; & *Lib. IV Cap. 5: Perſepolim*, caput regni eius, - - *imperio ſuo deſtinaſſe.* Sic etiam *Valerius Maximus Lib. IX Cap. 1 Ext. §. 2: Erat* (urbs) *opulenta, erat moribus & legibus ornata*; Etruriæ caput *habebatur*; & *Lucanus II, 655:*

Ipſa caput mundi, *bellorum maxima merces,*
Roma capi facilis;

& *Velleius Paterc. Lib. II Cap. 16:* Caput imperii ſui *Corfinium legerant, quod appellarent Italicum*; & *Florus Lib. II Cap. 16: Carthaginis ruinam ſtatim Corinthus excepit*, Achaiæ caput, *Græciæ decus*; & *Lib. III Cap. 5: Captis ipſo* capite gentis *Artaxatis*; *Lib. I Cap. 16: Ipſa* caput urbium *Capua*; *eod. Lib. Cap. 1: Alba tunc erat* Latio caput; *Lib. III Cap. 1: In ipſa* Numidiæ capita *impetum fecit, & Zamam quidem fruſtra diu voluit, ceterum Thalam* - -

diripuit; *Lib. I Cap. 19: Domiti ergo Picentes*, & caput gentis *Aſculum*; *Lib. II Cap. 6: Grande illud*, *& ante id tempus invictum*, caput Syracuſæ; & *Eutropius Lib. VI Cap. 14: Hieroſolymam*, caput gentis, *tertio menſe cepit*; & *Aurel. Victor de Vir. ill. Cap. 11: Cum Capitolium inciperet*, *caput hominis invenit: unde cognitum eſt*, *eam urbem* caput gentium *futuram*; & *Plinius Hiſt. Nat. Lib. XII Cap. 14: In medio eius fere ſunt Atramitæ*, *pagus Sabæorum*, capite regni *Sabota*, - - *Saba appellata*; & paulo poſt: Caput eorum *Thomna abeſt a Gaza* etc. Alia aliorum loca, paſſum obvia, his addi, non eſt opus. Itaque, ſi *capita regionis* ſcripſerit *Livius*, ita eum ex ſuo æque ac aliorum Scriptorum more ſcripſiſſe, nemo dubitet; nec quisquam *Heumanniana* huic emendationi illud obiicere auſit, quod non ſatis eius ſcriptoris, qui emendari debet, orationi & ingenio conveniat. Ceterum, facillimam eſſe, & valde commodam, & quaſi ſponte ſua natam, ne quidem docendi ſunt lectores, qui, ſi alias forte diſſentiendi cauſas habeant, hoc certe nomine, quod multum hic & artis, & ingenii, appareat, conatum Viri præſtantiſſimi probabunt vehementer, laudibusque dignum iudicabunt. Nam, ſi ad formam literarum, cuius in omni emendatione vel maxime habendam rationem conſtat, reſpiciamus, quæ maior eſſe, quam vocum *regionis* & *originis*, ſimilitudo poteſt; &, qui tot aliis, multo hac turpioribus, bonos Auctores maculis fœdarunt, cur talem errorem, a quo vix oculatiſſimus quisque

ſibi

ſibi caveat, committere potuiſſe, imperitos ſæpe literarum librarios, negemus? Hoc igitur profitendum palam eſt, *Heumanniana* huic emendationi ea ex parte, qua ingenium, ars, ſolertia, ſpectatur, communem eorum omnium, qui de his rebus indicandi facultate pollent, applauſum deberi. Satis hoc eſſe ad laudem poteſt Viro de literis immortaliter promerito, etiamſi non deeſſe cauſæ videantur, quæ, in illa *Livii* oratione locum vix eſſe huic emendationi poſſe, nobis perſuadeant. Nimirum, fieri poſſe, vel hoc exemplo diſcimus, ut elegantiæ, acuminis, diligentiæ, magnam commendationem ſtudium emendandi habeat, nec tamen utilitatis tantum, quantum artis, oſtendat, ſi tali adhibitum veteris Auctoris loco appareat, qui, ſi difficiliores, non ideo tamen nullos, explicatus habet, nec, eluendas ope Criticorum, maculas contraxit. Obſcuriora eſſe, aut ſaltem videri nonnullis, illa verba *Livii*, jam demum, monitus ab *Heumanno*, credo; certe non ante credideram. Nec, in hac fuiſſe opinione, nunc adeo pœnitere, nedum pudere, me debet, cui ex ſilentio tot magni nominis Criticorum, *Gronovii*, *Dukeri*, & ipſius *Drackenborchii*, qui, diligentiſſimi alioqui obſcuriorum *Livii* verborum explanatores, de hoc tamen loco explicando ne cogitarunt quidem, perſuaſiſſimum hoc eſſe poteſt, nihil horum judicium a meo diſcrepare, nec aliam hos ſilentii ſui cauſam habuiſſe, quam quod ita omnibus, ſicut ſibi, planam & apertam ſcriptoris mentem putarent. In quo confir-

mare eos, ſi nihil aliud, vel illud inprimis, potuit, quod in magna illa Codicum *Livii*, qui, ut ceteros editores taceam, vel uni *Drackenborchio* ad manus fuerunt, copia ne unus quidem inventus eſt, cuius lectio, quod quidem ad *capita originis* attinet, a vulgari diſſideret. Vix enim futurus eſt aliquis Lectorum, cui in uno hoc loco ſuſpecta ſit fides & diligentia *Drackenborchii*, quæ per totum *Livium*, etiam in minutiſſima lectionum varietate, ſumma ac pæne inimitabilis apparuit. Iam vero, fieri poſſe, ut tot & tam ætate æque ac ſcribentium ſtudio inter ſe diverſi Codices in uno eodemque errore omnes ac ſinguli conſentiant, & inter tot librarios, quorum ſi plurimi literarum imperiti, fortaſſe tamen unus & alter ſatis gnari fuerunt artis ſuæ, ne unum quidem fuiſſe, putemus, qui aut viderit, quod parum eſt, errorem illum, aut, quod poſtulari iure poterat, de eo emendando cogitaverit? Mihi quidem, neſcio, qui fiat, ut ita putare non liceat; nec mihi lectionis manifeſto vitioſæ exemplum ſuccurrit, quam ita omnes, quicunque ſunt, Codices defendant, ut in nullo rectioris ſcripturæ veſtigium appareat. Facit igitur inſignis iſte ac pæne inauditus Codicum conſenſus, ut, mihi dari poſſe veniam, confidam, ſi vulgatæ lectionis, quæ non minus antiquitate, quam probabilitate ſua, ſe tuetur, patrocinium ſuſcipiam, nec eam tali permutari, quæ, ſi ſatis bona, nihil tamen melior vulgata eſt, neque adeo ab utilitate tantum, quantum ab inge-

nio

nio & elegantia, habet commendationis, patiar. In quo priusquam temeritatis me condemnet, meam, quæſo, *Heumannus*, Vir egregius, loci *Liviani*, ipſi adeo ſuſpecti, explicationem, non diu mihi, aut multo cum labore, quæſitam, ſed ſponte, inter legendum oblatam, audiat; quæ ſi quid ad tuendam vulgatam lectionem momenti habeat, ipſe tam æquus & melioris cauſæ amans eſt, ut loco ſuo movenda, quæ firmiſſime conſiſtunt, nec indigna videntur *Livio*, non decernat, ſin talis intelligatur, cui recte negari aſſenſus poſſit, ita humanum dudum ſcio, ut profectum ab errore quodam, non a ſtudio contradicendi, æquo animo diſſenſum ferat. Videtur autem mihi, ne quid diſſimulem, minores ille explicandi labor habiturus difficultates fuiſſe, ſi, qui ad legendum *Livii* hunc locum acceſſerunt, de variis vocabuli *capitis* ſignificationibus paulo attentius cogitaſſent, nec in una illa, qua *rem quamque præcipuam principemque* notat, nimium hæſiſſent. Hanc enim cum Viri illi docti animo tenerent, nec, quid in *origine* dici *præcipuum* poſſit, exputare ſcirent, fieri non potuit, ut formulæ, *capita originis*, commodum ſatis ſenſum invenirent. Feliciores fortaſſe ea res ſucceſſus habuiſſet, ſi, quod mihi contigit, in eam, non ideo illa altera minus bonam, etſi fortaſſe aliquanto minus uſitatam, vocis notionem cogitando incidiſſent, qua *ſingula animalia*, atque adeo *homines ſinguli*, *capita* vocantur. Hanc, ineptiſſimus ſim, ſi *Heumanno*, veterum ſcriptorum dili-

gentiſſimo lectori, ignotam putem; ſed alii non deſunt, his literarum fontibus minus tincti, quibus, cum nihil tale ex Lexicis diſcant, ſi ipſa illa exempla, quæ hanc, quam dixi, vocis *caput* poteſtatem confirmant, aut ex his ſaltem aliqua, ob oculos ponamus, rem facturi non inutilem videmur. Et primum quidem, *ſingula in grege animalia capita* vocari, his conſtare exemplis poteſt: *Columellæ Lib. VIII Cap. 11: Ad aliam nutricem gallinacei debebunt transferri - - donec quinque & viginti* capitum *grex efficiatur*; *eod. Lib. Cap. 5: Neque enim debet maior eſſe, quam triginta* capitum: *negant enim, hoc ampliorem gregem poſſe ab una nutriri*; & *Cap. 2: Parandi autem modus eſt ducentorum* capitum, *quæ paſtoris unius curam diſtendant*; & *Lib. VI Cap. 5: In eam deinde auriculam omnis vis morbi, peſtilensque virus, elicitur, donec pars, quæ ſubula circumſcripta eſt, demortua excidit, & minimæ partis iactura* caput *conſervatur*; *Vegetii Lib. I Cap. 18: Pro phyſico autem & anniverſario remedio tradidit ulpicum beticum, vel allium maius, - - - ſingulis aquæ heminis oportere miſceri, & heminas ſingulas per* caput animalium *dari octavo Calendas Iulias*; *Palladii Lib. XII Tit. 13: Sed canicularibus & æſtivis diebus ita paſcenda ſunt oves, ut* capita gregis *ſemper avertantur a ſolis obiectu*; *Virgilii Æn. V, 62*:

Bina boum *vobis Troia generatus Aceſtes*
Dat numero capita *in naves*.

Nec

Nec deeſſe, qui in verſu eiusdem *Virgilii* 391 *Lib. III Æn.*:

Litoreis *ingens inventa ſub ilicibus ſus*,
Triginta capitum fœtus *enixa, iacebit*,

quem repetitum legimus *Lib. VIII Æn. v.* 44, *fœtus triginta capitum* pro *triginta fœtibus* accipiant, *Henr. Stephanus* in *Theſauri linguæ Græcæ Tomo II pag.* 149 teſtatur. Nec pauca ex legibus Romanis exempla ſuppetunt. *Ulpianus Lib. XVI ad Edictum (l. 1 §. ult. ff. de Rei vindic.)*: *Sed enim gregem ſufficiet ipſum noſtrum eſſe, licet ſingula* capita *noſtra non ſint: grex enim, non* ſingula corpora, *vindicabuntur*; & *ibid. (l. 3 ff. eod.)*: *Marcellus Lib. IV Digeſtorum ſcribit*: *Qui gregem habebat* capitum trecentorum, *amiſſis centum, redemit totidem aliena* capita etc. *Paulus Lib. XXI ad Edictum (l. 2 ff. de rei vind.)*: *Sed, ſi maiorem numerum alter habeat, ut, detracto alieno, nihilo minus gregem vindicaturus ſit, in reſtitutionem non veniunt aliena* capita. *Marcianus Lib. ſingulari ad formulam hypothecariam (l. 13 ff. de Pignor. & hypoth.)*: *Grege pignori obligato, quæ poſtea naſcuntur, tenentur: ſed &, ſi, prioribus* capitibus *decedentibus, totus grex fuerit renovatus, pignori tenebitur*, *Ulpianus Lib. XVII ad Sabinum (l. 68 §. 2 ff. de Uſufructu, & quemadm.)*: *Plane, ſi gregis, vel armenti, ſit uſufructus legatus, debebit ex adgnatis gregem ſupplere; id eſt, in locum* capitum *defunctorum*; & ibid. *(l. 70 §. 1 eod.)*: *Interim tamen, quamdiu ſummittantur & ſuppleantur*

capita, *quæ demortua ſunt, cuius ſit fœtus, quæritur.* Et *Lib. XXXI ad Sabinum (l. 10 ff. §. 3 de iure dotium): Sed fœtus dotalium pecorum ad maritum pertinent: - - ſic tamen, ut ſuppleri proprietatem prius oporteat, & ſummiſſis in locum mortuorum* capitum *(ex) adgnatis, reſiduum in fructum maritus habeat.* Sic etiam *§. 18 Inſt. de Legatis: Eſt autem gregis unum corpus ex diſtantibus* capitibus, *ſicut ædium unum corpus eſt, ex cohærentibus lapidibus.* Sed, ut *animalium*, ſic etiam *hominum, capita* pro ipſis paſſim *hominibus* numerantur, per eam orationis figuram, quam ſynecdochen appellant Rhetores. Eſt ea ſignificandi ratio in formulis, *carum, dilectum, lepidum, feſtivum, ridiculum, impium, corruptum, ignavum, audax, ingratum, infeſtum, noxium, periurum, inſuperabile bello, caput*, & ſimilibus ſexcentis, nemini fortaſſe lectorum incognitis, & magno numero collectis a *Io. Matthia Geſnero*, Celeberrimo Viro, in *Novi Latinæ linguæ Theſauri Volumine primo*, nuper demum edito, *pag. 756.* Sed alia his addemus, minus vulgaria, Auctorum loca, quæ ad *Livianam* dicendi rationem propius accedunt, nec cuiquam dubium relinquunt, eam vocis *caput* poteſtatem eſſe, ut pro *hominibus ſingulis* & uſurpetur, & poſſit uſurpari. *Horatius Sat. II, 1, 27:*

— — *Quot* capitum *vivunt, totidem ſtudiorum*
Millia;

quod

quod parum abludit a *Terentiano* (*Phorm. II, 4, 14*): *Quot homines, tot ſententiæ*, & a vulgari: *Quot capita, tot ſenſus*, indicante, quot ſint homines, tot diverſa iudicia, diverſasque opiniones, eſſe. *Valerius Max. Lib. IV Cap. 8 §. 5: Magni animi fuiſſet, a tot captivorum* capitibus *ſervitutem detraxiſſe, quot tunc nobiliſſimis & opulentiſſimis urbibus populus Rom. celebritatem largitus eſt.* Ubi, nemo non videt, *captivorum capita* pro ipſis *captivis* dici. *Cæſar de Bel. Gall. Lib. VII Cap. 89: Ex reliquis captivis toto exercitu* capita *ſingula, prædæ nomine, diſtribuit.* Ubi *ex captivis capita ſingula* idem eſt, quod *ſinguli captivorum*. Idem *Lib. I de Bel. Gal. Cap. 29: Quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exiſſet eorum, qui arma ferre poſſent; & item ſeparatim pueri, ſenes, mulieresque. Quarum omnium rerum ſumma erat*, capitum Helvetiorum *millia 263*, Tulingorum *millia 36*, Latobrigorum *14*, Rauracorum *23*, Boiorum *32*; *Lib. II Cap. 33: Ab his, qui emerant*, capitum *numerus ad eum relatus eſt millium 53*; *Lib. IV Cap. 15: Cum hoſtium numerus* capitum *430 millium fuiſſet. Eutropius Lib. I Cap. 7: Sub eo Roma, omnibus in cenſum delatis, habuit* capitum *84 millia civium Romanorum*; & *Cap. 16: Poſt hæc cenſus in Urbe habitus eſt, & inventa ſunt* civium capitum 119 millia. *Eumenius* in *Gratiarum actione Conſtantino Auguſto Cap. 11: Septem millia* capitum *remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum cenſuum: - - - Remiſ-*

ſione

ſione iſta ſeptem millium capitum, *viginti quinque millibus dediſti vires*; & *Cap. 12: Neſcit taxare indulgentiam tuam, qui te putat ſeptem millia* capitum *ſola donaſſe.* Nimirum ſermo *Eumenio* de tributo, quod ex numero capitum, hoc eſt, hominum, exſolvi ſolebat. Ipſe etiam verborum ſuorum optimus explanator *Livius* eſt, qui *libera ſervaque capita* pro *hominibus liberis ac ſervis* dixit *Lib. XXIX Cap. 29: Octo millia* liberorum ſervorumque capitum *ſunt capta.* Inprimis vero, cum de cenſu civium Romanorum agit, ſolenne eſt *Livio*, *capita civium* pro ipſis *civibus* nominare. Exempla ex infinitis unum & alterum adduxiſſe ſufficiat: *Lib. III Cap. 3: Cenſa civium* capita *centum quatuor millia & ducenta quatuordecim dicuntur, præter orbos orbasque*; *Lib. IX Cap. 19: Cenſebantur eius ætatis luſtris ducena quinquagena millia* capitum; & *Lib. X Cap. 47: Cenſa* capitum *millia ducenta ſexaginta duo trecenta viginti duo.* Quæ loca a *Gronovio* & *Drackenborchio* doctiſſime ſunt illuſtrata. Idem *Drackenborchius*, Auctori *Epitomarum Livii* perpetuo in referendo numero eorum, qui quolibet luſtro cenſi ſint, *civium capita* memorari, nec aliter locutum reperiri, obſervat in Nota ad *Epit. Libri I*, ubi, hoc ipſo uſus argumento, & unius præterea Codicis auctoritati innixus, confirmat coniecturam *Dukeri*, qui hæc *Epitomæ* verba: *Luſtrum condidit, quo cenſa LXXX. M. eſſe dicuntur*, quæ vulgata, & plurimorum Codicum, lectio eſt, ita legenda viderat:

Lu-

Luſtrum condidit, quo civium capita *cenſa LXXX. M. eſſe dicuntur.* Sed, præter claſſicos, quos vocant, Auctores, etiam Iureconſultorum veterum, & legum Romanarum, libri pleni ſunt locis eiusmodi, unde vocis *caput* hæc, quam dixi, vis cognoſci poteſt. Satis enim notæ ſunt formulæ, *liberum caput*, ex definitione tutelæ (*§. 1 Inſt. de Tutelis*): *Eſt vis ac poteſtas in* capite *libero;* quo modo etiam *Gellius Lib. V Cap. 19: Tutoribus in pupillos tantam eſſe auctoritatem poteſtatemque fas non eſt, ut* caput liberum, *fidei ſuæ commiſſum, alienæ ditioni ſubiiciant;* & ex his *l. 2 §. 2 de Lege Rhodia: Quæſita deinde ſunt hæc: -- an etiam pro* liberis capitibus *dari oporteat?* porro *ſervile caput*, ex *l. 3 §. 1 ff. de Capite min.:* Servile caput *nullum ius habet: ideo nec minui poteſt;* et *in capita*, hoc eſt, viritim, aut in ſingulos, *dividere*, cui oppoſitum eſt *in ſtirpes*, hoc eſt, in eos, qui ab una ſtirpe deſcendunt, coniunctim ſumtos, dividere, ex *§. ult. Inſt. de Hæreditat. quæ ab int.: Inter filios & nepotes ex filio antiquitas ſtatuit, non* in capita, *ſed* in ſtirpes, dividi *hæreditatem;* & ex *§. 4 Inſt. de legit. agn. ſucc.: His etenim perſonis præcedentibus, & ſucceſſionem admittentibus, ceteri gradus remanent penitus ſemoti: videlicet hæreditate non* in ſtirpes, *ſed* in capita, *dividenda;* & ex his *Ulpiani Lib. XIII ad Sabinum* (*l. 2 §. 2 ff. de ſuis & legit. hæred.*): *Hæc hæreditas proximo adgnato, id eſt, ei, quem nemo antecedit, defertur: et, ſi plures ſint eiusdem gradus, omnibus,* in capita *ſcilicet;* quibus præ

aliis

aliis addenda ſunt illa *Ulpiani Tit. 27 Regular.*: *Adgnatorum hæreditates dividuntur* in capita: *veluti, ſi ſit fratris filius & alterius fratris duo pluresve liberi: quotquot ſunt ab utraque parte perſonæ, tot fiunt portiones, ut ſinguli ſingulas capiant.* Huc etiam referri debet *tributum capitis*, quod ſingulis perſonis ſolvendum eſt, ex *l. 3* & *l. ult. ff. de Cenſib.* & *l. 10 C. de Agric. & cenſit.* & *exactores pecuniæ pro capitibus* ex *l. ult. ff. de Muner. & bonor.* & formulæ, *noxa caput ſequitur*, ex *l. 18* & *41 §. 2 ff. de Furtis*, *l. 17 §. 7 ff. de Iniuriis*, *l. 1 §. 18 ff. Depoſiti*, *l. 4 ff. Si ex noxali cauſ. l. 21 ff. Commodati*, *l. 1 §. ult. ff. de privat. delict. l. 1 C. de Noxalib.* & *l. ult. ff. de Noxalib.* & *caput de civitate eximere*, ex *l. 2 ff. de Public. iudic.* & *ambulant cum capite obligationes*, ex *l. 7 §. 1 ff. de Capite min.* & *cum capite fortunas ſuas in alienam familiam transferre*, ex *l. 11 §. ult. ff. de Bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* Eſſe autem hanc dicendi ſignificandique rationem Romanis ſcriptoribus a Græcis petitam, hisque κεφαλὴν ἀνδρὸς pro ipſo homine frequenter dictam, bene annotavit, variisque ac ſelectis *Homeri*, *Ariſtotelis*, *Demoſthenis*, *Herodoti*, *Syneſii*, *Gregorii*, & aliorum, exemplis confirmatum dedit, *Henricus Stephanus* in *Theſauri linguæ Græcæ Tom. II pag. 147 ſeq.* Hoc igitur ſumto, bene & Latine *capita* pro *ſingulis hominibus* uſurpari, non incommode hoc ſenſu explicari poſſe in loco *Liviano capita originis* videntur. Nimirum *capita originis* in gente quaque ii dicuntur, & recte

recte dici poſſunt, qui genti originem dederunt, & primi ſe in turbam congregarunt, unde poſtea gens numeroſior potentiorque exſtitit. Simili fere modo *Ovidius auctorem originis* dixit *Faſt. II, 399:*

At ſi quis veſtræ Deus eſſet originis
auctor;

quo nomine ſi appellari poteſt, qui, ut oriretur gens, effecit, nulla dubitandi cauſa ſuppetit, etiam *capita originis* vocari poſſe hos, quorum numero gens quæque tum, cum exſtit primum, continetur. Mihi igitur pro certo hoc ponitur, in ipſa formula nihil ineſſe, quod offendere aures Latinas poſſit, nec ſatis legibus Grammaticorum, aut meliorum Auctorum ingenio, conveniat. Sed videndum inprimis, an eam orationis *Livianæ* ſeries admittat, quam cum perobſcuram ipſe *Heumannus* dicit, vel hoc ipſo, fieri poſſe, concedit, ut aliis, loci huius ſenſum inveſtigaturis, felicius ea res ſuccedat, quam ipſe ſucceſſiſſe ſibi intelligit. Non is ego ſum, qui cum acumine *Heumanniano* vel tantulum comparandam mei infantiam ingenioli putem; at, qui aliis in rebus talpa coeciorem me novi, neſcio, qui fiat, ut hoc in loco mihi videar acutiſſime videre. Sed fortaſſe idem mihi, quod ſomniantibus, aut temulentis, contingit, qui multa ſibi videre, audire, percipere, videntur, quæ deinde, ſomnio ſoluti, aut ſibi redditi, per errorem ita percepta intelligunt. Itaque hæc mea, ſive ſomnia, ſive vera mentis cogitata, ita narrabo Lectori, ut huic libe-

liberum de his iudicium relinquam, &, ſi quis meliora me docere poſſit, hunc mihi amicum potius, quam hoſtem, habeam. Tuſcorum, ait *Livius*, ante Romanum imperium late terra marique opes patuiſſe, plurimumque eos potuiſſe mari ſupero inferoque, quorum alterum communi gentis vocabulo Tuſcum, alterum Hadriaticum, ſit vocatum. Hæc terrarum & potentiæ amplitudo ut rectius cognoſci poſſit, gentem Tuſcorum, addit, in utrumque illud mare vergentem, incoluiſſe urbibus duodenis terras. Iam, ne cui mira res exiſtimetur, ab una gente duodecim, non oppida, ſed urbes, occupatas, a tenuiſſimis initiis ita, ait, ſenſim creviſſe gentem, ut integras tot colonias, quot capita originis, ſeu primi gentis auctores, fuerant, (quos fuiſſe decem, aut viginti, ponamus,) prius cis Apenninum ad inferum mare, poſtea trans Apenninum, miſerit. Ab his igitur coloniis occupata, docet, omnia trans Padum loca, duodecim nempe urbes illas, quas paulo ante dixerat, & fortaſſe oppida nonnulla, & quicquid in illa regione pagorum, vicorum, prædiorum, eſt. Iam, hæc mea, Lector, mente tenens, iterum lege, quem perobſcurum ante dixeras, *Livianum* locum, & huius, a me præparatus, interpretem te præbe. Sic nempe *Livius*: *Tuſcorum ante Romanum imperium late terra marique opes patuere. Mari ſupero inferoque, quibus Italia inſulæ modo cingitur, quantum potuerit, nomina ſunt argumento: quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Hadria-*

ticum

ticum mare, ab Hadria, Tuſcorum colonia, vocavere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Hadriaticum vocant. Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras: prius cis Apenninum ad inferum mare, poſtea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, coloniis miſſis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, usque ad Alpes tenuere. Aut ego prorſus fallor, aut hæc ſatis clara, ſi me interpretem ſequare. Quod ſi feceris, non habebis, cur vim inferendam *Livio*, cur bellum indicendum tot ſive librariis, ſive Criticorum doctiſſimis, qui vulgatam lectionem fortiter tuentur, cur vocem alienam, cuius in nullo Codice veſtigium, quæ ob id admitti ipſa negat, nec clariorem, ſi quid iudico, verborum ſenſum facit, intrudendam *Livio*, exiſtimes.

VII.
HYMNOPHILI
OBSERVATIO
AD PLINII LIB. X EPIST. XCVII
DE
CARMINE CHRISTO QUASI DEO DICTO.

I. Hymnos ſacros inde ab Apoſtolorum tempore in veterum Chriſtianorum cœtibus

decantatos fuiſſe, ex documentis fide digniſſimis hodie conſtat, quæ magno numero congeſſerunt *Io. Bona de Pſalmodia divina Cap. 1 §. 4*, & *Rerum Liturgicarum Lib. I Cap. 25 pag. 523*, *Guil. Beveregius* in *Codice Canonum Eccleſiæ primitivæ illuſtrato*, & *Operibus Patrum Apoſtolicorum*, cura *Io. Clerici* editis, adiecto *Lib. III Cap. 5 pag. 153*, *Samuel Baſnagius Annal. Politico-Eccleſ. Tom. I pag. 706*, *Ioſephus Binghamus Origin. Eccleſ. Lib. XIV Cap. 1 & 2 Vol. VI pag. 1*, *Io. Georg. Walchius Hiſt. Eccleſ. N. Teſt. Sec. I Cap. 3 §. 7 pag. 410*, & *Sec. II Cap. 3 §. 7 pag. 722*, aliique plures, a *Io. Alb. Fabricio* in *Bibliographia antiquaria Cap. XI pag. 368*, & *Gottlob Friderico Gudio* in *Specimine Bibliothecæ Diſputationum & Obſervationum de ſelectis Hiſt. Eccl. capitibus pag. 18 & 198*, excitati.

II. Memorabile cumprimis hac de re eſt teſtimonium *Plinii*, quod exſtat in celebri eius *ad Traianum epiſtola Lib. X, 97*. *Hanc* enim *ſummam culpæ Chriſtianorum fuiſſe*, refert, *quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem.* Provocant ad illuſtre hoc teſtimonium, ſimulque morem canendi tunc temporis in Eccleſia uſitatum fuiſſe, ex eodem evincunt fere omnes, quotquot hoc argumentum vel ὡς ἐν παρόδῳ tetigerunt, vel data opera pertractarunt.

III. *Tertullianus Apolog. Cap. II pag. 18 edit Colon.* τὸ *dicere* Plinianum exponit per *canere.*

nere. *Plinius ſecundus*, inquit, *cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Chriſtianis, quibusdam gradu pulſis, ipſa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, conſuluit tunc Traianum Imperatorem, allegans præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos, ad canendum Chriſto & Deo* *), *& ad confœderandam diſciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cetera ſcelera, prohibentes.*

IV. *Euſebius Hiſt. Eccl. Lib. III Cap. 33 pag. 128 edit. Cantabrig.* in eodem argumento occupatus, utitur vocabulo ὑμνεῖν. Dicit enim, *Plinium Secundum* Imperatori indicaſſe: Μηδὲν ἀνόσιον μηδὲ παρὰ τοὺς νόμους πράττειν αὐτοὺς (Χριστιανοὺς) κατειληφέναι, πλὴν τὸ γε ἅμα τῇ ἕῳ διεγειρομένους, τὸν Χριστὸν Θεοῦ δίκην ὑμνεῖν. *Deprehendiſſe ſe, nihil ab illis* (Chriſtianis) *impie, nihil adverſus leges, actitari: niſi quod primo diluculo excitati, Chriſto tanquam Deo hymnos canerent.* Paucis interiectis, *Tertulliani* teſtimonium repetit, iisdem fere verbis, quibus modo in hoc negotio uſus fuerat, a ſe in Græcam linguam converſum. Ita enim *Plinium* ex recenſione *Tertulliani* loquentem introducit:

*) Scite conlicit *Stephanus le Moyne* in *Notis ad Varia ſacra pag. 14*, vetuſtiora *Tertulliani* exemplaria habuiſſe, non quidem *Chriſto & Deo*, ſed *Chriſto ut Deo.* Probat enim hoc ex ipſorum Codicum manuſcriptorum αὐτοψίᾳ *Sigebertus Havercampus* in *Not. ad Tertulliani loc. cit. pag. 25.*

ἔξω τοῦ μὴ βούλεσθαι αὐτοὺς (Χριστιανοὺς) εἰδωλολατρεῖν, οὐδὲν ἀνόσιον ἐν αὐτοῖς εὑρηκέναι. ἐμήνυε δὲ καὶ τοῦτο (Πλίνιος) ἀνίσασθαι ἕωθεν τοὺς Χριστιανοὺς καὶ τὸν Χριστὸν Θεοῦ δίκην ὑμνεῖν κ. τ. λ. *Præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacramentis eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos, ad canendum Chriſto ut Deo* &c.

V. Ab his pariter ac ab aliis recentioribus verborum *Plinii* interpretibus diſſentit celeberrimi nominis Theologus, *Ioannes Laurentius Moshemius*, in *Inſtitutionibu* ſuis *Hiſtoriæ Chriſtianæ maioribus Sec. I Part. II Cap. 4 §. 12 pag. 392* ita mentem ſuam declarans: *Nolim diffiteri, dubium eſſe, an locus Plinii, quo Chriſtianos carmen Chriſto, quaſi Deo, invicem canere, tradit, ad hunc morem una canendi pertineat, tameiſi vulgo ad eum referatur. Recte ſcilicet viri eruditi obſervarunt, carmen non modo de oratione numeris illigata, ſed de quavis formula, quæ recitatur, apud Latinos dici ſolere. Quocirca commode Plinius de precibus ad Chriſtum, & in laudes eius fuſis, accipi poteſt, immo, meo quidem iudicio, accipi debet, cum alioquin præcipuam publici cultus partem, nimirum preces, omiſiſſet.* Laudat præterea *Paulum Danielem Longolium, Io. Alb. Fabricium*, & *Ioſephum Binghamum*, tanquam ſententiæ ſuæ ὁμοψήφους. Quibus addo *Petrum Zornium Opuſculorum ſacrorum Tom. I pag. 67*, & *Franciſcum Balduinum* in *Commentario ad Edicta veterum Romanorum de Chriſtianis*,

una

una cum eius *Conſtantino Magno* Halæ edito, *pag. 46 ſeq.*

VI. Licebit, opinor, nobis iterum a Viro Celeberrimo, ſalva tamen, quæ ſummis eius meritis debetur, reverentia, diſſentire, & argumentis quibusdam ſententiam, hactenus receptam, tueri. Enimvero *carmen* proprie ſignificat *canticum.* Deſcendit a verbo *cano*, & eſt quaſi *canimen*; aut, ſi ita mavelis, ab obſoleto verbo *caſno*, orto, ut creditur, ἀπὸ τῦ χανεῖν, inſerta litera *ſ*. Unde, mutato more, veteribus haud inconſueto, *ſ* in *r*, hodie dicitur *carmen.* Conf. *Io. Gerh. Voſſii Etymologicum linguæ Lat. pag. 110*, & præmiſſus eius *Etymologico Tractatus de literarum permutatione.* Canendi igitur notio a prima & propria huius vocis ſignificatione ſeparari non poteſt, præſertim cum uſus hanc ſignificationem confirmet: Τὰς μὲν γὰρ ᾠδὰς καλῦσι Ῥωμαῖοι κάρμινα, teſte *Dionyſio Halicarnaſſenſi Antiqu. Rom. Lib. I Oper. Tom. I pag. 24 edit. Oxon.* Ὠδαὶ vero procul dubio canendo proferebantur, & quidem ἀπὸ μόνυ ςόματος, ἢ μετὰ ὀργανικῦ ψαλτηρίυ, iuxta *Euthymium Zygabenum* apud *Stephanum le Moyne Variorum Sacrorum Tom. I pag. 180*, quod de carminibus quoque verum eſſe, probat *Iſaacus Voſſius de Poematum cantu & viribus rythmi pag. 1.* Sic *Ovidius Metamorph. Lib. XIV v. 435*:

Carmina iam moriens canit exequialia cygnus.

Verba magica & ſuperſtitioſa, quæ olim a vene-

ficis decantari, vel potius obſcuro quodam cantu demurmurari, ſolebant, dicebantur ideo in *Legibus XII Tabularum*, *mala carmina*. *Lex XIV Tab. VII* his verbis abſolvitur:

Quei. malom. carmen. incantaſit. malomq. venenom.
Faxſit. duitve. pariceidad. eſtod.

Conf. quæ doctiſſimus *Io. Nicolaus Funccius* ad *L. l.* & ad *l. 14 tab. VII* annotavit. Proprium vocis *carmen* ſignificatum a ſcriptoribus Latinis nonnunquam deſeri, manifeſtum eſt; nulla vero nos urget neceſſitas, ut idem in noſtro, quem explicamus, *Plinii* loco faciamus.

VII. *Tertullianus* namque & *Euſebius* in locis iam §. *III* & *IV* citatis *Plinii* verba de cantione interpretantur. *Carmen dicere* & ὑμνεῖν apud *Euſebium* ſunt ἰσοδυναμοῦντα. *Heſychius* interpretatur ὑμνεῖν per ᾄδειν & λέγειν. Ὑμνεῖν & ὑμνὸν quidam ad ſolum *Deum* referunt. Ὕμνος, inquit *Ammonius de affinium vocabulorum differentia*, ἐγκωμίου διαφέρει. ὁ μὲν γὰρ ὕμνος ἐστὶ Θεῶν· τὸ δὲ ἐγκώμιον, ἀνθρώπων. Hoc, ut de voce ὕμνος concedit, ita de voce ὑμνεῖν negat *Thomás Magiſter* in Κώμας. Immo apud *Ælianum Var. Hiſt. Lib. XII Cap. 55* & nomen ὕμνου ad homines relatum legimus. Plerumque tamen, & quidem maxime apud ſcriptores ſacros, utraque vox de *Dei* laudibus uſurpata occurrit. Ita *Gregorius Nyſſenus Tract. II in Pſalm. Cap. 3 Oper. Tom. I pag. 295 edit. Pariſ.*

Pariſ. Ὕμνος ἐςὶ ἡ ἐπὶ τοῖς ὑπάρχουσιν ἡμῖν ἀγαθοῖς ἀνατιθεμένη τῷ Θεῷ εὐφημία. *Hymnus eſt laus Deo tributa ob bona nobis præſtita.* Quamvis autem variis modis *Deus* laudari poſſit, per ὕμνον & ὑμνεῖν tamen huiusmodi ſigillatim laudationem intelligi, quæ fit per verba cum modulatione prolata, innumera fere ſcriptorum ſacrorum loca teſtantur. Ita *Paulus* & *Silas*, teſte *Luca Act. XVI, 25:* Προσευχόμενοι ὕμνουν τὸν Θεὸν, i. e. *canticis celebrabant Deum*, prout etiam de *Chriſto* & Apoſtolis *Matth. XXVI, 30*, legimus, quod ad montem olivarum acceſſerint ὑμνήσαντες, i. e. *cum hymnum cecinissent.* Conf. *Io. Chriſtoph. Wolfius* in *Curis ad Matth. XXVI, 30, & ad Eph. V, 19, Salom. Deylingius Obſ. S. III, 44, pag. 420, Io. Gothofr. Lakemacherus* in *Antiquit. Græc. Sacr. Part. III Cap. 2 §. 12 pag. 444, Io. Conr. Schwarzius Comment. Crit. & Philolog. linguæ Græcæ pag. 1350.*

VIII. Maiorem adhuc dictis fidem conciliant, &, *Plinii* verba ad morem canendi ſpectare, probant, quæ Patres de *Chriſto ut Deo* iam inde ab antiquiſſimis temporibus per hymnos celebrari ſolito, memoriæ prodiderunt. *Euſebius H. E. Lib. V Cap. 28 pag. 252* ex libro quodam pervetuſto, adverſus *Artemonis* hæreſin elaborato, inter alia hæc refert: Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιςῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριςὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες. *Pſalmi quoque & Cantica fratrum iam pridem a fidelibus conſcripta, Chriſtum verbum*

Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. *) Iam diu igitur ante Seculi tertii initium, quo vixiſſe creditur Auctor hic, mos canendi *Chriſto ut Deo* in Eccleſia invaluit, immo procul omni dubio ipſius *Plinii* tempora antevertit. *Ignatius, Plinio σύγχρονος, Epheſios* in ſua ad eos *Epiſtola* §. 4 laudat, ob concors canendi ſtudium, &, ut in eodem pergant, hortatur. Διὰ τοῦτο, inquit, ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν καὶ συμφώνῳ ἀγάπῃ Ἰησοῦς Χριστὸς ᾄδεται. καὶ οἱ κατ' ἄνδρα δὲ χορὸς γίνεσθε, ἵνα σύμφωνοι ὄντες ἐν ὁμονοίᾳ χρῶμα Θεοῦ λαβόντες ἐν ἑνότητι ᾄδητε ἐν φωνῇ μιᾷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ πατρὶ, ἵνα ὑμῶν καὶ ἀκούσῃ, καὶ ἐπιγινώσκων δι' ὧν ἐπράσσετε, μέλη ὄντας τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. *Propter hoc in conſenſu veſtro & concordi charitate Ieſus Chriſtus canitur. Sed & vos ſinguli chorus eſte, ut conſoni per concordiam, melos Dei recipientes in unitate cantetis voce una per Ieſum Chriſtum Patri; quo & vos audiat, & agnoſcat, ex iis, quæ operamini, membra eſſe vos Filii ipſius.*

IX. *Paulus Samoſatenſis* inter acerrimos *Deitatis Chriſti* oppugnatores, qui Seculo III cœtum Chriſtianum conturbarunt, haud ultimum locum ſibi vindicat. Mirum igitur non eſt, quod hymnis quoque in honorem *Chriſti Domini*

*) Verbum θεολογεῖν, de *Deo Filio* frequentiſſime a Patribus adhibitum, nihil aliud ſignificare, quam *Chriſto Deitatem aſſerere*, ſive *naturam eius divinam contra adverſarios defendere*, probat *Suicerus Theſ. Eccl. Tom. I pag.* 1355.

mini noſtri cani ſolitis, eorumque in Eccleſia uſui, bellum indixerit] Conf. *Euſebius H. E. Lib. VII Cap. 30 pag. 362.* Pro ſua enim, quam ſemel animo conceperat, de *Chriſto* mero homine ſententia, ſtatuere aliter de hymnis, ſententiæ ſuæ everſoribus, non poterat. Hoc vero cenſuram inprimis meretur, quo eos ſimul tanquam νεωτέρους καὶ νεωτέρων ἀνδρῶν συγγράμματα traduxerit; quemadmodum *Patres Antiocheni* in *Epiſtola ſua ſynodica* apud *Euſebium l. c.* teſtatur. Contrarium a nobis iam ſupra §. *VII* & *VIII* eſt oſtenſum. Quid? quod vel ex ipſius hæreſiarchæ accuſatione argumentum pro hymnorum modo laudatorum antiquitate peti poteſt. Exſtitiſſe profecto iam ante eius tempora morem oportet, cuius abrogationem tantopere urſit homo χριστομάχος.

X. Magnam cerimoniarum & rituum ſacrorum diſcrepantiam inter antiquos Chriſtianos regnaſſe, multaque in his ordinandis prudentiæ illorum, qui Eccleſiis præerant, relicta fuiſſe, ipſarum rerum teſtimonia loquuntur; ad ritus vero ab ipſo *Chriſto* & Apoſtolis præſcriptos hoc extendendum non eſſe, nemo unus ignorat. Aliunde autem, quam a *Chriſti* exemplo, *Matth. XXVI, 30*, commemorato, & Apoſtolorum inſtitutis, quorum *1 Cor. XIV, 15, 16, Eph. V, 19, Col. III, 16, Iac. V, 13*, mentio fit, canendi in Eccleſia ritum dirivare, per ipſam teſtimoniorum adductorum evidentiam prohibemur. Pulchre in hanc rem *Auguſtinus Epiſt. 119 Oper.*

Tom. II pag. 196 edit. Froben.: *Ab ipſo Domino & ab Apoſtolis Pſalmos & Hymnos canendi habemus documenta, & exempla, & præcepta.* Nullam igitur Eccleſiam hunc ritum ſine piaculo negligere potuiſſe, fateamur, neceſſe eſt. Fatetur quoque hoc ὁ πάνυ *Moshemius*, dum *l. c. pag. 390*, *hymnos*, inquit, *ubique decantatos eſſe, dubio caret.* Procul dubio ergo Hymni etiam a Chriſtianis in Bithynia fuerunt decantati. Migraſſent alias inſtitutum divinum. Quis autem bonos illos Chriſtianos tanti criminis poſtularet? Quis non potius, *Chriſtum* æque apud *Bithynos* ac apud *Epheſios* canendo cultum fuiſſe, crederet?

XI. Illæſa iam ſtabit apud omnes, qui hæc rite ponderant, *Pliniani* teſtimonii pro ritu canendi apud *Bithynos* recepto auctoritas. *Carmen* enim proprie, ut §. *VI* probavimus, ſignificat *Canticum.* A propria autem verborum ſignificatione absque urgente neceſſitate nunquam, nec in divinorum, nec in humanorum, teſtimoniorum explicatione, eſt recedendum. *Tertullianus* & *Euſebius* in repetitione & explicatione teſtimonii *Pliniani* hanc regulam obſervarunt. Cur nos eandem negligeremus? Præſertim cum hiſtoricæ circumſtantiæ, a nobis §. *VIII* & *IX* adductæ, hanc explicationem confirment, & verbis *Plinianis* egregiam affundant lucem.

XII. Loca quædam *Panegyrici*, quæ Celeberrimus *Longolius* in nitidiſſima ſua *Epiſtolarum*

rum *Plinii* editione, ad illuſtrationem loci noſtri, *pag. 819* affert, ſententiæ noſtræ nihil derogant. Quamvis enim *Plinius* ibi paullo ampliorem voci *carmen* tribuere videatur poteſtatem, dum loquitur v. g. de *carmine comitiorum*; eſt tamen hoc ipſi cum aliis ſcriptoribus commune, utpote qui ſæpe vel in una eademque oratione voci cuipiam diverſas notiones ſubiiciunt. Exempla vide apud *Io. Clericum Artis Criticæ Part. II Sect. 1 Cap. 6 §. 14, 15.* Difficultatem quidem hæc pariunt interpreti, ſed non plane inſuperabilem, cum ſemper in orationis ſerie aliisque circumſtantiis quædam occurrant, ex quibus diiudicari poteſt, quis ſenſus voci hic & nunc ſit applicabilis.

XIII. Nec officit ſententiæ noſtræ, quod *dixiſſe*, non *cantaſſe*, ferantur *carmen* ſuum Chriſticolæ in *Bithynia*. Hac enim locutione nihil aliud inſinuatur, quam quod articulate & conceptis verbis, ut ab aliis intelligi poſſent, cantionem ſuam protulerint. Ita *Paulus Epheſios Cap. V, 19*, hortatur, ut ſint λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς. In *Codice Miſchnico Middoth II, 5*, de Levitis dicitur, quod fuerint אומרים בשיר, *dicentes cantico*. Cave vero, exinde colligas, homines, eum in finem, ut canerent, in templo Hieroſolymitano, ſuper XV gradibus, ex atrio Iſraelitarum in atrium mulierum deſcendentibus, cum inſtrumentis muſicis conſtitutos, ordinario tantum loquelæ modo, citra ullam modulationem fuiſſe

uſos.

uſos. Conf. *Emo Lucius Vriemoet de Pſalmis* המעלות *Obſervationum Miſcell. Lib. I Cap. 2 pag. 254.*

XIV. Forſan autem *ad morem una canendi* non ſpectabit teſtimonium *Plinianum*. Ita ſané exiſtimat Celeberrimus *Mosbemius*, vel ſaltem, dubium hoc eſſe, profitetur. Attendenti vero ad verba, quibus *Plinius* utitur, quod nempe *ſecum invicem* Chriſtiani *carmen dixerint*, nullus amplius dubitandi relinquetur locus. Clarius enim, quam quod dubitari poſſit, his verbis innuitur, non unum ex multis, aut ſolum cœtus antiſtitem, ceciniſſe, ſed alios quoque ipſum in canendo fuiſſe ſecutos *). Equidem non nego, verba *Plinii*, generaliori ſenſu intellecta, de precibus quoque accipi poſſe. Quid enim *cantica* ſacra aliud ſunt, quam preces *canticis* incluſæ, vel cum *cantu* recitatæ? Debere vero eadem verba de precibus ſine *cantu* prolatis accipi, prouti quidem Celeberrimo *Mosbemio* perſuaſum eſt, vel propterea concedere non poſſum, quia contrarium a me iam ſupra *§. VI & VII* eſt incul-catum.

*) *Nanus Tillemontius* in luculento ſuo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ opere, cui titulum fecit: *Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire eccleſiaſtique des ſix premiers Siecles Tom. II Part. II pag. 15 edit. Bruxell.* verba: *ſecum invicem* reddidit *alternativement*, &c, modum per antiphonas canendi hic reſpici, putat, *l. c. pag. 79.* Facit cum eo *Io. Michael Heineccius de Eccleſia Græca Part. III Cap. 4 §. 7 pag. 249.* Nos tamen hanc ſententiam, valde licet probabilem, nunc quidem in medio relinquimus.

catum. Addo, quod plurimæ preces tunc temporis a ſolo antiſtite publice fuerint recitatæ, ad quas populus tacuit, & nihil aliud, quam ſolitum ſuum *Amen*, μετὰ φωνῆς reſpondit. Conf. *Ioachimus Hildebrandus de Sacris publicis veteris Eccleſiæ pag.* 58, &, ad quem ipſe *Moshemius* nos remittit, *Campegius Vitringa de Synagog. vet. Lib*, *III Part. II Cap.* 19 *pag.* 1113.

XV. Nonne vero ſic *præcipuam publici cultus partem, nimirum preces, Plinius omiſiſſet?* Cardinem fere totius diſputationis in hoc argumento verti, credit Celeberrimus *Vir*, qui tamen, quod mireris, paullo ante, nempe *pag.* 387, *Plinium* accuſat, *quod turpiter in referenda Chriſtianorum narratione erraverit, & quod perperam intellexerit, quæ a Chriſtianis de conventuum ſuorum rationibus acceperat, atque ex ſua potius opinione, quam ex rei natura & veritate, ſcripſerit.* Ego huc non facile deſcenderim. Nec erroris *Plinium* poſtulo, nec candorem in eo deſidero. Hoc vero ad reddendam ſilentii eius de precibus rationem ſufficere arbitror, quod ipſi forſan nihil certi, aut quod notatu valde dignum eſſet, de precibus Chriſtianorum tunc temporis innotuerit. Plura, quam quæ hactenus de rebus Chriſtianorum cognoverat, vel per tormenta voluit extorquere *Plinius*; & faſſæ quoque, cum in tormentis eſſent, procul dubio ſunt omnia, quæ ſibi nota erant, miſellæ iſtæ, quarum mentio iniicitur, ancillæ, vel potius Eccleſiæ miniſtræ. Sed non operæ pre-

tium

VIII.

MVTVÆ ALIQVOT MARCI VELSERI, CONR. RITTERSHVSII, CASP. SCIOPPII, ET IVL. CÆSARIS SANCTAMAVRÆ, EPISTOLÆ, NVNC PRIMVM E TENEBRIS IN LVCEM PROTRACTÆ A FRID. OTTONE MENCKENIO.

LECTORI

S. P. D.

FRID. OTTO MENCKENIVS.

Si quis eſt Lectorum, qui de edita nuper una illa *Velſeri* ad *Rittershuſium* Epiſtola gratiam mihi non omnino nullam habeat; ab hoc, ut novum hoc noſtrum, aut, ſi vere dicendum, *Schwarzianum*, munus bono animo accipiat, impetraturum me facillime, confido. Iam enim omnem illam Epiſtolarum ſupellectilem, privatim mihi ab inſigni ſeculi noſtri & literarum ornamento, *Schwarzio*, donatam, publici, ut par eſt, iuris facio. Splendent in harum fronte

onte illuſtria magnorum Virorum, *Ritterſhu-*
Scioppii, *Velſeri*, nomina, a quibus, nemo
lectorum, qui vulgaria, nec ipſis digna, ex-
ectet. Mihi, quod de doctorum hominum
iſtolis univerſe omnibus, idem de paucis his,
as iam primum exire e tenebris iubemus, di-
ndum videtur, non eadem omnes aut doctri-
rarioris copia, aut ſermonis elegantia, com-
endari, at, ſi qua paſſim leviora, & quibus fa-
è carere doctiſſimus quiſque poſſit, ſint ad-
ixta, hæc facile inſtructiſſimo rerum ma-
orum apparatu compenſari. Multum inpri-
is, quo placeant lectoribus, *Scioppiana* ha-
ent; cuius viri ſi & magnum fuiſſe ingenium,
doctrinam excellentem, omnes fatentur, il-
lius laudis materiam hæ Epiſtolæ, meo iudicio,
non exiguam in ſe continent. Utcunque de il-
lis, quas iam in manus tuas tradimus, omnibus
exiſtimetur, bonum ſane ac honeſtum hoc no-
ſtrum edendi conſilium eſt, cui adeo & voluntas
te favere, &, qua te eſſe æquitate ſcimus, certi
ſumus favebis.

EPISTOLA I.

CONRADO RITTERSHVSIO

S. P. D.

MARCVS VELSERVS.

Arg. *De inſtituto Ritterſhuſii, edendi Iſidorum, varia commemorat.*

Quod de *Iſidoro* cogitas, perplacet. Et viveret *Margunius*, auxiliares ille copias aliquot centuriarum lubens ſubmitteret, quæ nunc ſive in Athon montem, ſive in Cretam, abiere, neque ſpes retrahendi eſt. De Monachienſi Codice quid tibi pollicearis, neſcio; numerus ſane Epiſtolarum infra editas, contra quam tu rebaris. Neque correctiores auſim promittere. Sed, quoniam omnino videre & conferre cupis, ſcito, me in ea re conficienda aut nihil, aut perparum, poſſe, omnia in *Herwarti* benignitate eſſe poſita. Cuius humanitatem ipſe ſcribendo ſollicites, cenſeo; haud fruſtra, ſpero; id ſibi enim vir literarum literatorumque amantiſſimus honori ducet, &, ut deſiderio tuo ſatisfiat, niſi Principales leges, Bibliothecæ præſcriptæ, recta obſtiterint, omnibus viribus enitetur. Si me autem ſequeſtro uti ſtat, epiſtolam, *Herwarto* inſcriptam, mihi curandam mittes, ut, quæ in rem fore videbuntur, adiiciam. Ita enim de me quotidie mereris, ut ego voluntati tuæ nulla in re deeſſe debeam. Cogitationem vertendi Geographica, ab *Hæſchelio* edita, te depoſuiſſe ſuſpicor; neque de Gloſſario *Germanico* edendo amplius cogitare, quo Legis Gallicæ poſtremum editorem uſum apparet. Vale, & Clariſſ. *Gentili* tuo multam ſalutem. Auguſtæ Vind. IV Non. Octobr. An. M D C III.

EPI-

EPISTOLA II.
CONRADO RITTERSHVSIO
S. P. D.
MARCVS VELSERVS.

Arg. *Schotti, Rittershuſio in edendi Iſidori negotio ſuppetias ferentis, literas recitat, nonnulla de ſuo addens.*

Andreas Schottus, Societatis Ieſu ſacerdos, amicus meus, cuius nomen tot libris editis tibi ignotum eſſe non poteſt, Antwerpia Prid. Cal. Ian. in hæc verba ad me ſcribit: *Rittershuſii* tui notas hic vidimus cum Paræneticis ad Panegyricos XII veteres, ſpicas poſt *Livineii* meſſem non inſuper habendas. Quam vellem, eadem, qua *Moretus*, forma, ſubiungi ut poſſent, edidiſſet. Mitto eidem, te pariario, Epiſtolas aliquot *Iſidori Peluſiotæ*, de octingentis, quas in Vaticana deſcribendas curaſſem ineditas, niſi me mea invaletudo domuitionem parare, Romamque, terrarum dominam, linquere, coegiſſet. Audio, parare illum centuriam, & quot excurrunt, e Bavarica Bibliotheca. Hortare, ut Roma reliquas petat, quo beneficii cumulus ſit maior, idque vel P. *Sirmondi* opera, vel *Baronii* Cardinalis auctoritate. Significo enim, hanc ad *Antiochum* primam earum eſſe octingentarum, quæ in Vaticana aſſervantur. Quo antiquiorem etiam Codicem membraneum in Crypta ferrata,

Tuſculum iuxta monaſterio, inſpeximus. Et ſane dignæ ſunt, quod omnibus prope quæſitis veluti per epiſtolam obſcuris S. Scripturæ locis reſpondeant. Erunt itaque bis mille ad eas, quas *Billius*, optime de ſacris meritus, dedit. Nam & ter mille reliquiſſe, auctor eſt *Suidas*. Sic enim γ, ſcribitur in Codice noſtro, non γ', ut *Aldus* & *Frobenius* excuderunt. Hactenus *Schotti* verba. Quem favitorem, &, qua poteſt, adiutorem, vix, opinor, ſperabas, eo tibi gratiorem accidere par eſt. An de cetero uſui etiam futurus, neſcio. Sive enim *Iſidorus* tuus iam ſub prelo ſudat, ſive etiam ea, de quibus monet, iam a *Scboppio* accepiſti, *Schottus* utroque nomine fruſtra eſt. Meum tamen fuit, ipſius animum te non celare, quod currenti calcar nimirum erit. Epiſtolas *Iſidori* aliquot ſe mittere ait, ea vero epiſtolarum ſunt initia tantummodo, quæ his libris incluſa accipies, una cum *Hæſchelii* notis. Cui de coniectura Græculi librarii indocti nondum aſſentior. Malim eam culpam in *Schotti* amanuenſem coniicere. *Schotto* enim cæcutienti, imo tantum non cæco, ſcio, ſyllabum non licuiſſe pellegere. Quod de *Baronio* & *Sirmondo* adſcribit, ego mihi non ſumo. Nam ſuam iniuriam *Scboppius* merito interpretetur, qui, cum tibi, quantum memini, liberaliter omnia fuerit pollicitus, tum etiam egregie repræſentare poteſt. Ego hinc qui queam, ſi maxime Cardinalis *Baronius*, S. Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius, annuat, (id enim non deſperem,)

rem,) librarios Romæ conducere? Præſens aliquis præſentes urgeat oportet. Vale, & præſtantiſſimo *Gentili*, collegæ tuo, multam a me ſalutem nuntia. Auguſtæ Vind. Idib. Ian. Anni M D C V, quem tibi tuisque felicem ex animo voveo.

EPISTOLA III.

CONRADO RITTERSHVSIO

S. P. D.

CASP. SCIOPPIVS, PATRICIVS ROMANVS.

Arg. Cum Rittershuſio, finitis de religione controverſiis, in gratiam redit, perpetuam ei & ſinceram amicitiam pollicitus.

Mihi vero placet in officii viam tecum redire, Vir Clariſſime, & placuiſſet iam diu, niſi te, quod antea mihi uſu venerat, nimiæ rerum rationumque tuarum cura & ſollicitudine offendere noluiſſem. Nunc, quoniam, deterſa omni ſcabritie animi, ſinceritas mea apparere tibi incepit, non video, quid me a renovanda noſtra veteri, eaque arctiſſima coniunctione avocare, vel impedire, debeat. Officiorum in me tuorum memoriam ſemper integram & recentem conſervavi, neque eam illis, quæ intervenerunt poſtea, offenſionibus ulla ex parte imminui paſſus ſum, quod futurum conſiderem, ut, quo animo tecum de religionis negotio egiſſem, nullius ſcilicet alterius rei, quam ſalutis tuæ, cupido, ipſe

tua ſponte pervideres. Quare a te peto, primum, ut, ſi te mihi charum eſſe credis, æquo animo nonnunquam feras me, ſi te non minus, quam tua, amare & ſalvum eſſe voluero; deinde, ut tibi perſuadeas, me, quod in Lutheranos omnes, Romam venientes, officioſiſſimus eſſe ſoleo, non poſſe tam temere eos odiſſe, quorum in me non pauca, neque levia, conſtant officia, adeoque me ſuſpicione illa tua veteri dimittas, tanquam *Ingolſtadiana* illa epiſtola apud veſtras exoſum te reddere voluerim: qua de re plura hic appingerem, niſi me occupatio mea multiplex impediret, & breviorem eſſe cogeret. Quamprimum me nonnihil diſſolvero, uberiores ad te dabo, teque de ſtudiis meis libenter docebo. Tu interim vide, quid de *Peluſiota* ad te ſcribat *Iul. Cæſar Sanctamaura*, homo Cyprius, typographiæ Vaticanæ Corrector, familiaris meus, cui curam hanc inquirendi in Vaticana delegaveram, cum ipſe in colle Hortulorum longiſſime a Vaticana habitem, neque niſi rariſſime illuc commeare ſoleam. Poſthac itaque recta ad illum ſcribes, eiusque opera cum commodo tuo uteris. Vale, & uxori tuæ, & *Gentili*, plurimam meis verbis ſalutem dic. Romæ a. d. 22 Maii Anno MDCIV.

Salutarunt me nuper, & multa de te mecum collocuti ſunt, *Caſelii* filius, & *Haimius*, nobilis Saxo, quos vel hoc nomine familiarius ſum complexus, quod tui ſe amatores profitebantur. Quod ſcribo, ut, ſi quos amicos huc itantes mihi

com-

commendaveris, eos mihi curæ fore ſcias. Ut enim Germanis non multo ſim Romæ uſui, hoc quidem certe effecero, ut ne quid eis damni, aut incommodi, facile eveniat.

EPISTOLA IV.

IVL. CÆSARIS SANCTAMAVRÆ

AD

CONR. RITTERSHVSIVM.

Arg. *De Iſidori Peluſiotæ Epiſtolis commemorat.*

Κονράδῳ τῷ Ἱπποικείῳ εὖ πράττειν.

Αἱ ὑπὸ τοῦ Πηλουσιώτου τετυπωμέναι ἐπιστολαὶ παρ' ἡμῖν ἐν τῇ Βατικανῇ, τῶν ἑξακοσίων εἰσὶ πλείους, ἃς, ὅσον δύσπορον ἀντιγράψασθαι, οὐκ ἔχω δηλῶσαι γράμμασι. πλὴν, τοῦ σοφωτάτου Σχοππίου τῇ ὑπὲρ πᾶν μέτρον οἰκειότητι πρός με, ὡς οἷόν τε ἐστιν ἐπιμεληθήσομαι τὰς λειπομένας σοι ἀποπέμψαι, εἰ ἀξιώσειάς με εἰδεῖν ἃς ἔχεις, μὴ καὶ δὶς ἀντιγράψωμεν τὰς αὐτάς. ἔρρωσο, καὶ ἐς καλοῦ χώραν λάμβανε, τὸ, πρὸς ἂν ἄνδρα οὐκ ἔγνων ἀντιστεῖλαι, θαρροῦντα τῇ περιφήμῳ σου ἀγαθότητι. Ἀπὸ Ῥώμης, σκιροφοριῶνος ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα, αχδ΄.

ὁ κύων σε τὰς χεῖρας

Ἰούλιος Καῖσαρ ὁ Σαγκταμαῦρας.

EPISTOLA V.

CONRADO RITTERSHVSIO S. P. D. CASP. SCIOPPIVS.

Arg. *Carmen in honorem defuncti Puteani ab eo expetit. Quid novi ipſe in literis meditetur, amice exponit.*

Ex quo *Iulii Caſaris Sanctamaura*, hominis Cyprii, literas Græcas ad te miſi, ſæpe mihi animus fuit ad te ſcribere, ſed, dum me occupationibus avocari ſino, & ſcriptionem ex ſeptimana in ſeptimanam reiicio, factum eſt, ut, contra quam animo conſtitueram, tanto iam tempore compellare te ſuperſederim. Quam crebra tamen & iucunda tui mentio mihi facta fuerit, ex *Hylſio*, *Baumgartnero*, *Scheurlio*, *Tuchero*, aliisque amicis, olim intelliges. Una enim fuimus ſæpius, & poſteriores duo quartum jam menſem hic agunt, tuisque in Inſtitutiones Commentariis & Corpore Iuris civilis ex bibliothecula mea ad ſtudia ſua utuntur. Cyprius ille miratur, nihil te ſuis reſpondere, cum ſe operamque ſuam conatui illi tuo in *Peluſiotam* prolixe obtulerit; cui neque ego, ſi quid præſtare potero, defuturus ſum. Eſt hic apud nos *Chriſtophorus Puteanus*, *Claudii* filius, qui me rogavit, ut carmen in parentem ſuum a te impetrarem; quo ſibi negat gratius quidquam fieri poſſe.

Habet

Habet *Scaligeri*, *Duſa*, *Thuani*, *Vulcanii*, *Baronii*, omnium denique magnorum virorum, verſus, quos in honorem patris defuncti edere meditatur. Gratificare ſodes optimo & modeſtiſſimo iuveni, facque nomen tuum inter cetera ſeculi ornamenta conſpici. Fuit pater Senator curiæ Pariſienſis, in tota Gallia unus omnium habitus integerrimus: ſimul erudítiſſimus, & omnium eruditorum patronus. A Clariſſ. *Scipione*, neſcio, ſi quid eiusmodi impetrari queat. Tu vide, quid extundere poſſis. Sed & hoc a te peto, ut, quæcunque colligi poſſunt eiusdem *Scipionis* carmina, conquiri cures, & *Frid. Reimundo Imhoſ*, amiciſſimo meo, Auguſtam mittas. Is per veredarios recte ad me curabit perferenda. Quicquid impenſæ in tranſcribendum feceris, idem *Imhoſius* præſtabit. Si quæ cum aliis impreſſa ſunt typis, cupio ea ab iis abſciſſa mitti. Quæſo, hoc etiam atque etiam curæ habeas. De ſtudiis meis, quod ſcribam, non habeo: niſi me propediem forte Stoica mea tibi miſſurum. Superioribus enim annis in volumine de Recta iuventutis inſtitutione de Stoica philoſophandi ratione multa ſatis diſputaram: quæ nunc multorum flagitatione mihi velut extorquentur. Conſtitueram enim non prius ea edere, quam Satyricon noſtrum (ſic enim ob rerum & ſententiarum varietatem librum illum de diſciplina iuventutis inſcripſi,) editioni maturuiſſet. *Puteanus* mire mihi inſtat, ut triduum *Varroni* impendam, & vulgatam editionem ad exemplar meum corrigam,

gam, &, quoniam non vacat, ſaltem ſic, ut imprimi debebit, emendatam, Pariſios mittam. Quod ſi mihi perſuaſerit, vix credetis, eundem eſſe, qui fuerat, *Varronem*. Sic eum ex veteri Codice totum immutabo. Si idem *Puteanus* pro amore, quo in literas incenſus eſt, laborem deſcribendi variantes veterum Codicum ſcripturas ex libris meis ſuſcipere velit, habebitis multas præclariſſimas emendationes *Plauti*, (quem cum 20 Codicibus collatum habeo,) *Catulli*, *Tibulli*, *Propertii*, *Agellii*, *Nonii*, *Apuleii*, *Suetonii*, *Ciceronis; Lucretii*, aliorum. Mihi ſane nec libet antiquo iterum includi luto, (neque enim omnis ætas luto convenit,) neque etiam ſatis tutum eſt iudiciis noſtrorum hominum vapulare, quos male habebit, ſi me repueraſcere intelligant. *Symmachum* quod ſuperioribus diebus feſtis totum emendavi, & prelo adornavi, Cardinali *Seraphino* auctore me tueor, cui, hoc a me petenti negare non potui. Neque tamen ſatis certus ſum, an hic typographum inventurus ſim. Ita multo formoſior iis videtur maſſa auri, quam, noſti cetera. Quicquid eius fiet, ut ſcias, curabo. Vale, uxoremque optimam ſaluta. Romæ a. d. 4 Ian. an. M D C V.

EPI-

EPISTOLA VI.

CONR. RITTERSHVSIO S. P. D. CASP. SCIOPPIVS.

Arg. *Rittershuſio, Iſidorum edituro, opem pollicetur. De ſuis conatibus literariis certiorem facit. Hamburgenſis Canonici, Apuleium edituri, inſcitiam notat.*

Recte tuas mihi redditas fuiſſe, noveris. Prioribus nuper reſpondi, ſed breviter; non enim vacabam, ac ne nunc quidem ſatis ſpatii habeo; quare brevitati ignoſces. Cum literis tuis recta ad Cardinalem *Seraphinum* adii. Eſt enim omnium, qui literis cenſentur, in omni Italia ſine dubitatione doctiſſimus & humaniſſimus, quem utinam videre Pontificem poſſimus! Sed nimia literatorum hominum foret ea felicitas. Quos, cum conſentaneum ſit, miſeros eſſe, vix mihi de ipſo polliceri aliquid queam. Sed ei literas tuas legi, & conſilium eius exquiſivi. Ait ille, tempore Conclavis ingrediendi iam inſtante agi nihil poſſe, ſed, ubi inde denuo egreſſi fuerint, cum Cardinali *Farneſio*, Cryptæ ferratæ Patrono, ſe acturum, ut ineditæ illæ *Iſidori* epiſtolæ deſcribantur. Idem cum *Columna*, ſi tamen ex Hiſpaniis reverſus fuerit, faciet; idem cum *Sforzia*, cuius Bibliotheca a Græcis libris eſt longe ornatiſſima. *Sanctamaura* faciet, quæ pote-

poterit, omnia. Neque ego opera mea parcus ero. Sed te oportet moram hanc æquo animo ferre, dum & aperiatur Vaticana, & novus Pontifex ſubrogetur. *Baronio*, non erat, quod ſcriberes: niſi tibi ipſi impedimento eſſe voluiſſes. Eſt enim vir quidem optimus, ſed idem ab omni humanitate remotiſſimus; adeoque ipſo iam triennio congreſſu eius abſtinui. De *Artepſio* nondum vacavit inquirere, oportetque, donec aperiatur Vaticana, exſpectare. De Onomaſtico illo inquirendi curam *Sanctamauræ*, cum primum ad me venerit, delegabo. Ego enim hæc talia non tracto. Quæ Canonicus ille Hamburgenſis in *Apuleium* edet, cuiusmodi futura ſint, iam ſcio. Quippe qui meas *Apuleianas* lectiones, (dum eum interdum in menſam, in cubiculum meum, recepi, eiurataque hæreſi penſionem centum ducatorum annuorum a Pontifice ei impetravi,) deſcribendas ipſi dedi. Scripſit, cum hic eſſet, ad *Scaligerum*, a quo omnes illas *Petronianas* Notas officio ætatis extorſiſſe dicitur, ſe iam Romæ hiſtrioniam agere. Dolet, me id in ipſo non animadvertiſſe, dum etiamnum hic eſſet. Alioquin numquam ego ſic a Muſis alienus fuiſſem, ut tam edecumatum actorem non acto prius *Hercule Oeteo* a me dimitterem. Ἐῤῥέτω· ἦ οἱ θυμὸς ἐμεῦ ἔτι πειρηθῆναι ἐθέται. *Iordanum Brunum Nolanum* ipſum videris, illum cum videbis. Neque eſt, quod de *Cicerone* eius quidquam tibi præter *Gulielmiana* promittas. Eſt enim, niſi quæ furtim ſublegit, etiam Latina-

rum

rum literarum plane indoctus. *Sidonium*, *Ennodium*, eiuſdemque farinæ ſcriptores, tractet, non impedio. Sed, *Ciceronem* quam miſere habiturus ſit, iam videre videor, ſi tamen de ſuo quidquam collaturus eſt, quod me *Puteanus*, aliique, qui hominem Pariſiis noverunt, credere vetant, quamvis ipſe paullo etiam, quam quisquam alius, penitius permoviſſe eum videar. *Tuſculanas* quidem mea manu cum Codice 900 annorum collatas habet. Sed ego cum illas, tum alias, lectiones in *Symbola* mea *critica* exhibebo, quam propediem ad *Velſerum* mittam. Tantum enim, quæ in *Tertullianum*, *Catullum*, *Tibullum*, & *Propertium*, habeo, ab amanuenſi prius deſcribenda ſunt. *Scipionis* Solimeidos Libros duos habeo. Reliquos non puto impreſſos. Sed tu cetera ſodes mitte quamprimum. *Scheurlius* te ſalutat. Vale. Romæ a. d. 12 Martii A. MDCV.

EPISTOLA VII.

CONR. RITTERSHVSIO

S. P. D.

CASP. SCIOPPIVS.

Arg. *Scipionis Gentilis carmina laudat. Italorum contemtum literarum & doctorum virorum notat. Wowerium ad gregem mediocriter doctorum reiicit. Sua quædam ſcripta promittit.*

Reſpon-

Reſpondeo tuis 22 Martii datis, & heri, hoc eſt, 22 Aprilis, mihi redditis. De *Iſidoro* tuo ſedulo mihi curæ fuit & erit. Sed nondum aperta ſtudiis Bibliotheca Vaticana; ſimul propter rerum mutationem fruſtra fuit, quidquam tentare. Et nunc etiam, cum iam ſub *Leone XI*, Pontifice Medicæo, (quod gratum literatis nomen accidebat,) in maximam ſpem animi omnium erecti eſſent, Deus repente optimum Principem nobis ademit, ruſumque res ad interregnum rediit. *Sanctamauram* nihilo minus ad me vocavi, ſuaſique, cum Illuſtriſſimo & generoſiſſimo Principe Cardinali *Borromæo*, quoniam ego nunc, catarrho impeditus, eum adire non poſſem, hac de re ageret, ſi ipſius auctoritate & impenſis deſiderio tuo, atque adeo bono publico, ſatisfieri poſſet. Id ille ſe facturum recepit, neque de ſucceſſu quidquam dubitat. Eſt enim Cardinalis ille non minus literarum variarum amore, quam morum ſanctitate, conſpicuus. Quicquid huius fuerit, id utquamprimum ſcias, curabo. Sed, ſi forſan opinione & ſpe tardius tibi ſatisfiat, hoc noſtrorum Romanorum mori adſcribes & ignoſces. Lente enim, cum præſertim de literis agitur, hic omnia procedunt. Fidem quidem & induſtriam nunquam in me deſiderari patiar. Venio nunc ad *Scipionis* carmina. Ea, vellem, ſtatim ad *Imboſium* miſiſſes, ſicut me tibi ſcribere memini; nam & poſtremas tuas idem ille ad me curavit. Cur ea ſic deſiderem, cauſa eſt, quod me ſummum hominis in imitandis priſcis iudicium cum pari elegan-

gantia coniunctum mire delectat, ut, eum ſic in occulto latere, ſeculo pœnitendum putem. Nam, crede mihi, in univerſa Italia vix tres, aut quatuor, reperias, quibus vel fando nomen eius ſit cognitum. Romæ quidem ex omnibus, qui literarum non prorſus imperitos videri ſe cupiunt, neminem, qui de eo vel tenuiſſimam auditionem accepiſſet, inveni. Nuper demum in Dominicanum incidi hominem non indoctum, qui patrem eius & fratrem *Albericnm* noviſſe ſe aiebat, quos etiam narrabat ſibi viſos Romæ ad Minervæ, cum hæreſin palam, præſente populo, eiurarent, quam tamen paulo poſt profugi rurſum ſecuti eſſent. Sed neque *Muretum* admirabilis ſua faeundia magnopere hic commendavit, qui, niſi prudentia & iudicio in rebus agendis polluiſſet, cum omni ſua illa literatura & politiori iurisprudentia, quam etiam profiteri prohibitus fuit, ignoratus iacuiſſet. Tantum valet eruditio apud Italos: quibus multo formoſior videtur maſſa auri, quam quicquid non ſolum *Turnebus*, *Scaliger*, *Lipſius*, ſed *Cuiacius* quoque, *Hotomannus*, aliique delirantes Tranſalpini, ſcripſere. *Georgium Pflugium* & *Bynovium* libens videbo: quanquam nullo modo eis, ut veniant, auctor eſſe poſſum, priusquam a futuro Pontifice impetrem, quod *Clemens VIII* mihi conceſſerat roganti, ut Lutheranis Germanis venire Romam, perluſtrare, & abire, impune & ſine fraude eſſet: qua de re complures iam admonui, velut ex *Scheurlio* noſtro intelliges, quem propediem

vobis-

vobiſcum futurum exiſtimo. De *Wauwerio* recte iudicas, de quo ſic ad me ſcribit *Philippus Rubenius*, vir Græce & Latine doctiſſimus, qui nunc cum *Lipſio* vivit: *Sed heus! fere exciderat de Ioanne a Wouwer, olim tuo. Vulgavit is neſcio quem librum Polymathias, quem Caſaubonus (cum quo nuper fui) furto ſibi ereptum palam conqueritur. Vah Geryonacei generis hominem! quoties huiusmodi alia te mihi narrare commemini?* Solet ſcilicet prædicare, ſummam in eo conſiſtere, ut quis imponere hominibus ſciat, & ſcire videatur, adeoque legit & ſublegit, quæcunque poteſt, & pro ſuis venditat, eoque nomine, ut alia longe atrociora taceam, nullus eſt locus, in quo ſemel fuit, ut eo redire audeat. De ipſius *Polymathia* ſic *Velſerus* noſter iudicat: *Polymathiæ* laudes a nemine adhuc decantari audio. Perniciosum haud dubie axioma eſt, omnia in eo ſita eſſe, ut quis ſcire potius videatur, quam re vera ſciat. Quid ſi idem ad probitatis & virtutis actus transferat, quod hodie non paucos facere vereor. Sed quid ſciret homo inaniſſimus, qui nullam Rhetoricen, nullam Dialecticen, nihil in ethicis, nihil in politicis, nullam denique Philoſophiæ partem, unquam attigit? Quod & ipſe mihi coram faſſus eſt, & tu, opinor, ex ipſo eius libro facile animadvertis. Neque eſt, quod, eum in Criticis multum poſſe, putes; nam in Græcis vix tria verba intelligit. Animadverſiones autem illas *Petronianas*, ſunt non pauci, qui, officio, ætatis neſcio a quo extorſiſſe eum, pro

certo

certo affirment: quod mihi tamen perſuaderi non facile patior: quanquam, *Scaligerum*, *Priapeiorum* explanatorem & interpretem, exputare non poſſum, quid impulerit, ut adoleſcentulum pulchellum & glabellum ad *Petronii* potiſſimum editionem incitaret, & ſuis plumis, hoc eſt, ſuis annotationibus, exornatum produceret. Sed hæc tecum ſunto. *Symbolam* meam *criticam* Antwerpiam forte mittam. Scribit enim *Lipſius*, acturum ſe cum *Moreto* de illa imprimenda. *Symmachum*, vellem, Romæ imprimi, ut Romanum Conſulem. *Varronem*, iam diu eſt, cum recenſui, nilque eum, niſi Præfatio, moratur, quin recta Auguſtam-eat. *Stoicis* meis nondum etiam typographum hic invenire potui, ut & ipſa in Germaniam mittere cogitem. Tu ſodes pete a Cl. D. *Glaciano* (quem ſaluto) *Franciſci Inſulani* ad *Scaligeri* epiſtolam reſponſionem, & ea tantum, quæ de Mathematicis non agunt, deſcribi cura, niſi forte illud exemplar adhuc habes, quod manu *Adolphi Boethii* deſcriptum penes te reliqui. Quædam etiam carmina mea apud te reliqueram ſcripta, quæ, ſi apparent, mitte, quæſo, ut & elegiam, *Schlauderſpachio* ſcriptam, te Præſide diſputanti. Nugatoria illa ſunt, fateor, ſed fit neſcio quomodo, ut nos pueritiæ etiam ſtudia recogitare delectet. *Puteanus* te ſalutat, qui, ſi Elogia *Sammarthani* vidiſti, ſupervacuum putat, alia de patre ſuo perſcribere. *Giſanii* Ethica & Politica, valde velim, a te nonnihil recenſita, typographo alicui commendari, boni publici

 cau-

cauſa, ut & Oeconomiam Iuris, aliaque elaboratiora; nam, ut omnia, non ſuſceperim. Vale. Romæ, a. d. 23 April. A. MDCI.

EPISTOLA VIII.

CONRADO RITTERSHVSIO

S. P. D.

CASP. SCIOPPIVS.

De Iureto, Symmachi editore, parum honorifice ſentit. Taubmanni inſtitutum edendi Plautum commendat. De ſuis laboribus nonnulla addit.

Mi *Rittershuſi*, veniam dabis mihi, ſi nunc brevior. Ea eſt Pontificis noſtri valetudo, ut iam ipſo octiduo modo vivus, modo mortuus, dein vivus denuo, feratur; quæ res omnium animos ſuſpenſos tenet, me etiam ſolito occupatiorem reddit. Tribus tantum verbis ſic habe: Bibliothecam non apertum iri ante proximum Paſcha, quod terrore nuper incendii, (quod proximis feriis natalititiis ligna & materiam cuiusquemodi, ipſi Bibliothecæ ſubiectam, abſumſit,) ita perturbata in ea ſint omnia, ut longo tempore vix videantur in priſtinum reſtitui poſſe. Id quod tua inprimis cauſa doleo. Verum tamen ſpero, te æquo animo laturum hanc moram, cum fieri poſſit, ut interea Cardinalis quoque *Columna* ex Hiſpaniis revertatur, in cu-

ius Bibliotheca longe inſtructiſſima ſi quid huius inveniri poſſit, operam meam non deſiderabis ſaxo. *Sanctamaura* nondum mecum fuit. Sed hac ſeptimana eum ad me accerſam, eique literas tuas reddam. *Chriſtophorus Puteanus*, ipſum ſe ſcripturum ad te, promiſit. *Symmachum Iureti* ſi curioſius inſpexiſti, certo ſcio, mecum ſenties, eſſe hominem ſcilicet & audaciſſimum in mutando, & iniuſtiſſimum in omnes eos viros doctos, qui aliquid in *Symmachum* contulerunt. Nonne ſibi adſciſcit coniecturas *Lectii*, *Gruteri*, *Merceri*, meas? Ubi illorum mentionem in toto libro facit? Nam de me non magnopere curo, quod, reliqua furta ſic ſe compenſaturum, credit, ſi me decies fortaſſe nominet. Ego, quod audiſſe te puto, Stoica didici, non ut de iis diſputarem, ſed ut ex iis viverem, adeoque non minus hoc literarii furti genus iudico, quam ſi fundis ſuis homines evertiſſet. Nam, quod ipſe bonum iudicat, (iudicat autem, puerorum more, emendatiuncularum eiusmodi gloriam,) hoc per iniuſtitiam & cum fraude aliorum perſequitur: quare in meis notis nihil propemodum aliud feci, niſi quod oſtendi, cui quæque emendatio deberetur. Textum enim ex fide veterum librorum ſic correxi, ut omnino legendum puto, nihilque coniecturæ indulſi. Scit *Scheurlius*, me nuperis feriis Natalitiis totum illum Auctorem percenſuiſſe, ita ut iam tum typographo tradi potuiſſet. Sed ego, aliis occupatus, neminem adhuc de impreſſione tentare potui, vereorque, ne non facile hic, qui

imprimat, ſim habiturus. Quare ad Germanos meos eundum mihi erit, quamvis neque iſtic facile futurum credam, qui Auctorem, tam brevi intervallo toties editum, denuo edere velit. Sed ego quidem parvi id facio; non enim niſi aliorum hic utilitatem ſpecto. Gloriam ſi a noſtris hominibus quærerem, merito omne hoc genus literarum eiurare deberem. *Satyricon* meum edetur, ubi correctum fuerit, quod mihi tam cito non licebit per alias curas. Ut autem aliquid cum tanta tot mortalium invidia edam, quod non ſit prius ad unguem factum ac perpolitum, nemo mihi amicus auctor fuerit. Quo accedit, quod, quo plus interea fidei & auctoritatis mihi apud omnes, inprimis Romanos meos, acquiro, eo plus cauſam literarum bonique publici, a me hoc libro ſuſceptam, adiuvero. Interim hoc mihi a te credi velim, quod res eſt, non deeſſe inter Ieſuitas viros optimos & doctiſſimos, quorum ego amicitia beatum me ducerem. Sed rurſum eorum, qui rerum inter illos potiuntur, tam incredibilem eſſe arrogantiam & ſui ignorationem, ut vix videam, quo pacto quisque bonus eos non odiſſe, nedum amicos habere, poſſit. *Taubmannus* quod *Plautum* edere velit, laudo: quod nihil de ſuo conſilio per te aliosque amicos communes mihi aperuit, non laudo. Cuiusmodi enim ſint ea, quæ habeo, propediem ex iis, quæ iam deſcribi curo, perſpicietis. Habeo etiam *Plautum*, manu *Scaligeri* a principio ad finem usque percenſitum, quem mihi dedit *Caſtanei*

Ru-

Rupipozæi, cui *Varronem* inſcripſit *Scaliger*, filius, Cubicularius Pontificius. Fateor, multa in eo ineſſe *Scaligero* digna, ſed eadem adeo nihil ad noſtra, ut ipſe *Rupipozæus* & *Puteanus* multo hoc nomine minoris facere cœperint *Scaligerum*. Ante proximum Paſcha, quæcunque in Auctores habeo, quæ iam magnam partem ab amanuenſi ſunt exſcripta, *Velſero* & *Imhofio* mittam, ut Auguſtæ imprimantur. Et ſic victor cæſtus artemque reponam, ne mihi, quod in aliis noto, uſu veniat, ut cum ætate ſcilicet, cumque fiducia artis, (qua auſus fuit *Homerus* tuus primo Operis ſui verſu leges metricas violare, ſi *Plutarcho* credimus,) plus noceam Scriptoribus, quam proſim. Plura proxime, ſi Deus favebit. Vale. Romæ, prid. Cal. Mart. A. M D C V.

EPISTOLA IX.

CASP. SCIOPPIO

S. P. D.

CONR. RITTERSHVSIVS.

Arg. *Ad ſuperiores Scioppii literas plene & accurate reſpondet.*

Diuturni ſilentii veſtri cauſam nunc demum ex tuis, Vir Cl. literis, quas XII Ianuarii accepi, datas ab te in fine ſuperioris anni, intelligo. Nimirum meas, ſuperiore æſtate Cal. Iuniis quas dederam, non accepiſtis. Ego enim certe, quamprimum tuas & *Iul. Cæſar. Sanctamaura* legeram,

ram, quibus tam benigne operam veſtram in ſubminiſtrandis ex Vaticana Bibliotheca novis ad S. *Iſidorum Pelusiotam* ſubſidiis pollicemini, ſtatim ad utrumque veſtrum reſcripſi, & gratias vobis egi, rogans, ut quamprimum promiſſa impleatis. Adiunxi & indiculum Epiſtolarum, quas iam haberem deſcriptas, quænam eſſent novæ atque ineditæ, & proinde in uſum meum, immo publicum, deſcribendæ, ut cavere poſſit *Iul. Caſar Sanctamaura*, ne actum ageret, neve aliquid prætermitteret. Crede mihi, Clariſſ. Dn. *Schoppi*, diu non tam graviter moleſteque ullam iacturam tuli, quam iſthanc, adeoque æquiore animo damnum aliquod pecuniarum accepiſſem, & magno redemtum vellem, ut meæ vobis in tempore eſſent redditæ. Nunc, quoniam ita, ut ſcribis, literæ meæ cum illo indiculo perierunt, (quas tamen amicos Auguſtanos accepiſſe, mihi conſtat ex reſponſo D. *Hæſchelii*,) τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ, καὶ κατὰ δεύτερόν φασι πλεῖν, idem æquor tentemus, quod utinam felicioribus ventis. Credo, mihi præſagiiſſe aliquid animum meum, quando præter meum morem mihi reſervavi exemplum literarum Græcarum, quas tunc ad *Iul. Caſ. Sanctamauram* dabam. Eas, operæ pretium duxi, iam denuo ex apographo pædagogi liberorum meorum manu mea deſcribere, ut vel inde cognoſcatis, quam grato animo veſtra evangelia & tam benignas pollicitationes acceptarim, & quam obnixe rogarim, ut eas ipſo facto compleretis. Velim, cum

tum multa ſalutis dictione vel iam tandem offe-ras Cyprio illi, qui, mea hac epiſtola lecta, & cognitis ex te reliquis περιςάσεσι, mirari, opinor, deſinet meum ſiléntium. Epiſtolæ, quam ad te dederam eodem tempore, nullum ἀπόγραφον ſervavi penes me. Egeram autem tibi, beneficii auctori, magnas gratias: ſimulque rogaram, ut Cyprio illi, viro, ut apparet, bono & docto, velles eſſe ἐργοδιώκτης ad maturandam illam deſcriptionem: & ſumtus in eam neceſſarios, meam fidem ſequens, facere ne gravareris, a me grato animo refundendos. Utrumque his etiam literis facio, quibus indices illos denuo, & plenius quidem, deſcriptos adiunxi, quo facilior atque expeditior eſſe poſſet novarum καὶ ἀνεκδότων epiſtolarum *Iſidori* inveſtigatio atque deprehenſio, quæ mihi in Bavarico Codice, cum talibus adminiculis deſtituerer, maximo labore conſtitit, quod amici αὐτόπ]αι ac ſuperſtites norunt. Exſpectabo igitur iam a vobis reſponſum lætius, & interim veſtris noſtriſque literis δεξιὸν ἑρμῆν apprecabor, quem crediderim prioribus meis iratum fuiſſe. Tua mandata de conquirendis ac deſcribendis Cl. Viri, Dn. ſcilicet *Gentilis*, Carminibus, & de cohoneſtanda meis aliquot verſibus memoria magni viri, *Claudii Puteani*, tantæ mihi curæ erunt, ut maiori nec tibi ipſi eſſe poſſint; quanquam de ampliſſimi *Puteani* Epicedio valde dubito, an tanti viri nomine dignum aliquid ex meo pumice exprimere queam. Adſcribe tamen in proxi-

mis tuis aliquas mortis & morbi lethalis circumſtantias, quas ex filio reſciveris, & quanto natu, & quo anno ac menſe, deceſſerit. Filii eius præclaræ, quam mihi prædicas, indoli impenſe faveo, & literarum cauſa gaudeo, tantopere eas ab ipſo amari. Quanquam qui poſſet aliter, niſi a ſuis maioribus turpiter deſciſcere vellet? In tam laudabili propoſito animi tu eum tuis cohortationibus confirmabis ſedulo. *Stoica* tua avide exſpectamus, ut & *Symmachum*, integriorem tua opera effectum, quam prodiit nuper *δευτέραις φροντίσι Fr. Iureti* non ſine tui honorifica mentione. Sed nec tuum de recta iuventutis inſtitutione *σύνταγμα* tam diu bono publico velim debeas. Nam, quo tu id diutius distuleris edere, eo diutius ſe illa quamvis falſa gloria efferet illud hominum genus, iam orbi terrarum grave & ſacrum. Quæſo, matura, & fac, ut opus, quod amici, ex urbe venientes, apud te vidiſſe nobis affirmarunt, nos quoque aliquando & brevi quidem videamus, nec amplius auribus, ſed iam oculis noſtris, credamus. Si in Italia deerunt typographi, vel Germania noſtra plures pro uno dabit, qui paratiſſimi ſint ad imprimendum tam plauſibile opus. De *Varrone* quoque, & aliorum Auctorum emendationibus, quidni patiaris tibi perſuaderi, ut colligas, & in publicam utilitatem, cum tua æterna laude coniunctam, proferas, tot annorum labores & vigilias? An erit quisquam tam iniquus cenſor, qui ſic te repueraſcere iudicet?

cet? quod te vereri ſcribis. *χαιρέτω, ὅϛις τοῖος*, inquit *Theocritus*. Tu vero ſequere exempla *Turneborum*, *Scaligerorum*, *Camerariorum*, qui etiam in graviore ætate & ſtudio ſuo talia minime neglexerunt. Literas tuas ad optimum virum *Melch. Kochium* apud me retinebo, dum cognoſcam, ubi locorum vivat. Poſt infelix illud coniugium ipſius, migrationemque neſcio quo ex patria, nihil audivi, nec habeo, ex quo poſſim ſciſcitari Valde dolui integerrimi & doctiſſimi iuvenis vicem. Credo, tu quoque, qui ipſius ingenium mirifice ſolebas exoſculari. Ego 24 Decembr. octavum pater factus, alteram ſuſcepi filiolam, *Helenam Chriſtianam*. Si ſic pergetis, quid, quæſo, denique fiet? inquies. Noſter *Ignatius*, qui iam Roſtochii hiſtorias profitetur, maritus ibidem factus eſt, ducta vidua cuiusdam Doctoris Iuris, Conſiliarii Duc. Megapolit. *Hubnerum* menſe Nov. Noribergæ maritum factum, credo, iam te ſcire. *Fr. Taubmannus Plautum* nobis vere proximo dabit, quam poterit, emendatiſſimum, & expoſitionibus variorum luculentiſſimum. Multum is cuperet redemtas, ſi poſſet, tuas emendationes, ex XX Manuſcriptis collatis annotatas, habere. Dominus *Velſerus* ſuas quidem var. lect. ultro ac perbenigne ad ipſum miſit iam pridem. Vale, & nos ama. Altorfii, die 19 Ianuar. h. e. ſeptimo poſt tuas redditas. A. M D C V.

EPI-

EPISTOLA X.
CONR. RITTERSHVSII AD IVLIVM CÆSAREM SANCTAMAVRAM.

Arg. *Pro præſtitis, quod ad Iſidori editionem, officiis humanitatis gratias ei agit.*

Ἰουλίῳ Καίσαρι τῷ Σαγκταμαύρᾳ χαίρειν.

Τὴν πρός με εὔνοιαν, μᾶλλον δὲ καὶ προθυμίαν σου, ἄνερ σοφώτατε, ἥν μοι δηλοῦσι τὰ γράμματά σου, τὰ ἔναγχος ἐπεσταλμένα διὰ χειρὸς τοῦ ἐλλογιμωτάτου Σχοππίου, τοσούτῳ μᾶλλον ἄγαμαι καὶ περιχαρῶς ἀποδέχομαι, ὅσον ἀπολείπομαι τῆς ἀξίας καὶ πρὸς σε προϋπαρχούσης εὐεργεσίας. οὐκ οἶδα δέ πω σαφῶς ὁποτέρῳ χάριν ὀφείλω μείζω, τῷ κοινῷ νῷν φίλῳ ἐκείνῳ, τῷ σοί με συστήσαντι, καὶ τοσαύτην μοι εὔνοιάν τε καὶ προθυμίαν παρά σου προξενήσαντι, ἤγουν σοὶ αὐτῷ, τῷ καὶ τὴν φιλίαν φθάνοντι τῇ οὕτως ἀγανόφρονι ὑποσχέσει, καὶ πᾶσαν ἐλπίδα μου μακρὰν ὑπερακοντίσαντι. πλὴν τοῦτο ἀκριβῶς μοι δεδογμένον ἐστὶ, σοί τε καὶ αὐτῷ πλείστην ὁμολογῆσαι χάριν, καὶ εὐεργετηθέντα τοὺς εὐεργέτας ἄμφω κατὰ πᾶσαν δύναμιν ἀμεῖψαι σπουδάσειν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς,

Εἰσόκ᾽ ἀναπνείω, καὶ ἴδω τὸν καρπὸν ἀρούρης.

ἄγε τοίνυν, φίλη κεφαλὴ, τὸν ἵππον εἰς πεδίον. Βάλλ᾽ οὕτως, ἀναπληρώσων τὴν ὑπόσχεσιν,

σχεσιν, καὶ ὐκ ἐμὲ μόνον, τὸν ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων Φιλέλληνα γεγονότα, ευ ποιήσων, σοί τε ὑπόχρεω καὶ ἔνοχον ἀποτελέσαιν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἐν ἁγίοις Ἰσίδωρον τὸν Πηλυσιώτην, καὶ πάντας τὺς σπυδαίυς τε καὶ ἐναρέτυς τῶν Θεολόγων ἅμα κ̀ Φιλολόγων, ὧν σε ὐκ ἐν ἐσχάτῃ μοίρᾳ ἀπὸ τῦ νῦν τάξω. ἔρρωσο. ἀπὸ Νωριπέργης τῆ τῶν καλανδῶν ἑκατομβαιῶνος, ἐν ἔτει ἀπὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως, καὶ ἐνσάρκυ οἰκονομίας Θεῦ λόγυ. ᾳ χ δ.

ὁ ἀσπάζων σε φιλήματι ἁγίῳ
κ̀ σοι φίλα φρονῶν,
Κορράδος ὁ Ῥιτ]ερσύσιος.

EPISTOLA XI.

CONR. RITTERSHVSII

AD

IVL. CÆS. SANCTAMAVRAM.

Arg. *De Iſidori Epiſtolis cum Sanctamaura amice communicat.*

Γέγραφάς μοι, ὦ τῆς Κύπριδος συμπατριῶται ἑτέραςε κ̀ σεβάσμιε, ἐν τῷ παρῳχηκότι θέρει, περὶ τῆς τῶν Ἰσιδώρυ ἀνεκδότων ἐπιστολῶν ἀπογραφῆς (ἔφης δὲ ἐν τῇ Βατικανῇ τῶν ἑξακοσίων εἶναι πλείυς) κἀγὼ σοι εὐθέως ἀντεπεστειλάμην, μετὰ πλείςης εὐχαριςίας τὴν σπυδήν συ κ̀ πρός με εὔνοιαν ἀποδεξάμενος, κ̀ ἅμα πέμψας σοι πίνακα τῶν ἤδη μοι συλλεχθεισῶν τῦ Πηλυσιώτυ ἐπιςολῶν. Ἀπὸ δὲ ἐκείνυ τῦ χρόνυ

ἐξ

ἐξ ἑβδομάδος εἰς ἑβδομάδα, ἐκ μηνὸς εἰς μῆνα, σχεδόν τε εἰπεῖν εἰς ἔτος ἐξ ἔτους, ἀποκαραδοκῶν ἤμην τὴν τῆς φιλοφρονεστάτης ὑποσχέσεως τελείωσιν, τουτέστι τὴν ὑμετέραν ἀπόκρισιν καὶ τῶν ἀνεκδότων ἐπιστολῶν ἀπογραφήν. Ἀλλὰ τὴν γοῦν ἡμετέραν ἐλπίδα κενὴν μέχρι τοῦ νῦν γεγονέναι, ἡ νεωστὶ μοι παρὰ τοῦ σοφωτάτου κυρίου Σχοππίου ἐγχειρισθεῖσα ἐπιστολὴ ἀπέδειξεν. Ἔγραψε γὰρ ἐκεῖνος ὁ φίλος, οὐδὲν ὑμῖν παρ' ἐμοῦ πώποτε ἀποδεδομένον εἶναι, θαυμαζόντων δὴ ὑμῶν τὴν μου σιωπήν. Ἀγανακτῶ ἔγωγε λίαν καὶ σχετλιάζω ὑπὲρ τῆς ἐκείνης τῶν ἡμετέρων γραμμάτων δυστυχίας καὶ ἀπολείας. Πάλιν δὲ ἤδη ὑμῖν ἀμφοτέροις ταῦτα ἐπιστέλλειν ἐβουλόμην. Δέομαι τοίνυν σου, ἀνδρῶν λῷστε, ἐκ δευτέρου, καὶ λίσσομαι ὡς ὅτι μάλιστα, ἵνα μετὰ σπουδῆς καὶ ἐπιμελείας τὴν προτέραν σου ὑπόσχεσιν ἐπιτελέσῃς, χαρισόμενος ἐμοί τε ἅμα καὶ πᾶσι τοῖς φιλέλλησι καὶ φιλοθέοις ἀνδράσι χάριν τὴν μεγίστην. τὰ λοιπὰ τῶν ἐνταλμάτων μου, ὥσπερ καὶ τὰ ἀναλώματα, ἀναπληρώσει ὁ ἐλλογιμώτατος Σχόππιος, τῇ Γερμανικῇ πίστει ἔρρωσο. Ἐκ τῆς Νωρικῆς Ἀκαδημίας, μηνὸς Γαμηλιῶνος τῇ πρώτῃ φθίνοντος, ἐν ἔτει ἀπὸ Χριστογονίας α' χ' ι.

Κορράδος ὁ Ῥιττερσούσιος.

Operarum vitio *pag. 505 lin. 1 formatum* pro *formatumque; pag. 508 lin. 13 paſſum* pro *paſſim;* & *pag. 509 lin. 6 indicandi* pro *iudicandi*, exſcriptum. *Pag.* autem *408 lin. 16* poſt *vicis* legendum *Palæſtina.*

INDEX

INDEX DISSERTATIONUM,

QUAE

VOLUMINIS QUINTI

PARTE TERTIA

CONTINENTUR:

I. PETRI ZORNII Hiſtoria concertationis in Eccleſia Conſtantinopolitana de quæſtione: *An Chriſtus mediator ſibi ipſe ſatisfecerit.* Pag. 377 - 385.

II. GOTTLOB FRIDERICI GUDII, V. D. M. Laubæ Luſatorum, Diſſertatio critica pro Hilleriana ſententia de origine & ſenſu τῶ כתיב & קרי. Pag. 385 - 408.

III. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII in *Hadr. Relandi Librum III* de Urbibus & Vicis Palæſtinæ Supplementi Continuatio ſecunda, complectens literas I, K, L, M, N. Pag. 408 - 455.

IV. AVERROES cum ARREIS AVICENNA, ſpontaneæ hominum generationis patrono, temere non confundendus, ad Hiſtoriam Philoſophiæ, Saracenicæ ſpeciatim, criticam, PAULI THEODORI CARPOVII, LL. OO. & Theol. Catechet. in Academ. Roſtoch. Prof. Ducal. P. O. Obſervatio. Pag. 456 - 476.

V.

✻ ✻ ✻

V. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI Emendationum *Minucii Felicis* ferculum primum. Pag. 476-503.

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII ad locum *Livii Lib. V Cap. 33* Obſervatio. Pag. 504-521.

VII. HYMNOPHILI Obſervatio ad *Plinii* Lib. X Epiſt. XCVII de Carmine Chriſto quaſi Deo dicto. Pag. 521-535.

VIII. Mutuæ aliquot *Marci Velſeri*, *Conr. Rittershuſii*, *Caſp. Scioppii*, & *Iul. Cæſaris Sanctamauræ*, Epiſtolæ, nunc primum e tenebris in lucem protractæ a FRID. OTTONE MENCKENIO. Pag. 536-564.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS QVINTI PARS QVARTA.

LIPSIAE,
IN OFFICINA HAEREDVM LANCKISIANORVM
MDCCXLVII.

I.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII MELETEMA SACRVM DE VESTITV IOANNIS BAPTISTÆ,

AD MATTH. III, 4, MARC. I, 6.

SYNOPSIS.

I. *Veſtitus humillimorum hominum Palæſtinorum a Ioanne adhibitus.* II. *Scopus generalis, qui huic veſtitui Ioannis fuit præfixus.* III. *Ratio originis baptiſmi pœnitentiæ.* IV. *Scopus ſpecialis.* V. *Scopus ſpecialiſſimus.* VI. *Camelus deſcribitur, ac eius pili & zona.* VII. *Cinguli ratio.* VIII. *Fruſtraneus Monachorum Tabenneſiotarum vitæ modulus, qui Ioannem Baptiſtam fuerunt imitati.* IX. *Veſtitus Ioannis fuit accommodatus patriæ ſuæ.*

I.

Abiectiſſimæ ſortis tenuiſſimæque vitæ homines Palæſtinos in veſtis ſuæ materiem convertiſſe quondam pilum cameli, cinguloque co-

riaceo uſos fuiſſe, ætatis recentioris etiam exempla manifeſte docent atque oſtendunt. Ne quid ſuperſit de ea re dubitationis, laudandus atque ad teſtimonium citandus eſt *Ioannes Cotovicus*, Ultraiecti quondam natus, Iuris utriusque Doctor, & Miles Hieroſolymitanus, qui ita de hominibus ad Bethlehemum incolentibus tradidit *a*): *Incolæ omnes pagi, cui a Paſtoribus nomen eſt, Mauri ſunt, pauperrimi quidem atque omnium egentiſſimi, ſolis ardore pane exuſti, & macilentiſſimi, nullis amicti caligis, nec ſubligaculis, pedibus nudi, præter induſium goſſypinum veſtemque laneam ſimplicem, e camelorum, aut caprarum, pilis diviſim contextam, crurum tenus dependentem, (quam Haba, vel Gaba, vocant, & cingulo ex corio mediam cingunt,) quo ſe tegant, habent nihil. Partim vero cavernas, & exciſa in cautibus antra, partim domunculas humiles & anguſtas, e lapidibus & limo rudi modo conglutinatis, atque arborum ramis argilla obvolutis, ad modum pavimenti tectas, inhabitant.* Aut ego admodum fallor, aut in hac enarratione delineationem veſtitus, quo *Ioannes Baptiſta* fuit gaviſus, mihi videor videre, oculisque & veluti coram cernere. Quo ipſo ſimul doceor, quantum *Ioannes Baptiſta* a ſplendore & illecebris vitæ huius abfuerit, & quanto ſtudio nuntium remiſerit rebus omnibus iſtis, quibus ii, qui rationes conſiliorum & laborum ſuorum ad caducæ vitæ præſentis captanda

ptanda

a) In *Itinerario Hieroſolymitano ac Syriaco. Lib. II Cap. 8 pag. 226.*

pendā, oblectamenta manibus pedibusque convertunt, commoveri, duci, trahi, incitari, & accendi, ſolent. Undenam veſtis eiusmodi craſſi & denſioris fili acceperit illud nomen *gaba*, vel *baba*, certo quidem non habeo dicere. Conjecturas tamen duco, id nominis exſtitiſſe ex voce עָבָה, quæ *craſſum*, *laxum*, *largum*, *denſum*, & *opacum*, quodvis deſignat *b*). Solent enim Arabes, Syri, & Palæſtini, literam *Ain* ita pronuntiare, ut medium quid inter *b* & *g* ſonent. Unde etiam factum eſt, ut Alexandrini Interpretes vocem עֲמוֹרָה per Γόμοῤῥα extulerint, litera *a* in literam *g* converſa.

II. Geſtavit *Ioannes* indumentum ſuum, ex cameli pilis factum, & cingulum, e corio concinnatum, circa lumbum ſuum. Scriptor ſacer rem ita exprimit: Εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. Pœnitentiæ enim præconem decebat habitus corporis, ad miſeriam, ſqualorem, & triſtitiam, compoſitus *). Summa orationis & concionis ſacræ, qua is homines percellebat, in illud unum reſolvi poteſt momentum: Μετανοεῖτε, *reſipiſcite*, *animum peccatis ſeſe oblectantem deponite*, *induite aliam mentem*, *convertite vos ad meliores & puriores cogitationes*. Chriſtocratia, regnum gratiæ a Meſſia illuſtriorem in

 modum

b) *Buxtorfii Lexicon Talmudicum pag.* 1565.

*) Ciliciis veſtibusque ἐκ τριχῶν factis incedebant lugentes Iudæi, teſte *Ioſepho de Bell. Iud.* I, 24, §. 3, *pag.* 116 *edit. Havercamp.*

modum omnino conformandum, poſtulabat mentem, ad excipiendas doctrinas cœleſtes præparatam, & deliciis huius vitæ, eiusque impurioribus irritamentis, avocatam atque disiunctam. Ne cui hoc eſſet obſcurum, ipſe non niſi eos aqua imbuit atque abluit, qui peccata vitæ ante actæ confeſſi fuerant atque deteſtati. Et, quod maius eſt, primores Iudæorum, Phariſæos ac Sadducæos, viſendi baptiſmi *Ioannitici* cauſa advenientes, ac cauſam inſtituti recentiſſimi ipſum interrogantes, pœnitentiam criminum animi ac male factorum agere iuſſit. Adeo geſtamen ipſius ad pœnitentiæ argumentum, luculente atque perſpicue inculcandum, præclare admodum quadravit. Dixi, primores Iudæorum veniſſe ad ipſum, baptizandis vitæ melioris candidatis intentum, non quidem ut ſeſe peccatorum ſuorum pœnitere oſtenderent, neque ea fini, ut imbuendos baptizandosque ſeſe curarent, ſed ut viſerent & examinarent *Ioannis* inſtitutum. Dixi præterea, ipſos a *Ioanne* ad maculas animi vitæque delendas admonitos fuiſſe, licet ipſi ea mente haud acceſſiſſent, ut male acta præ ſeſe ferrent, & baptiſmi myſterio initiarentur. Summa dictorum, quibus eos increpuit, huc rediit: *Γεννήματα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς. Fœtus viperarum! Quis ſolide oſtendit vobis unquam, vos eſſe reos inſtantis illius iræ?* Per *iram illam inſtantem* intelligitur ſtatus ille Iudæorum contumacium impendens, qui *iram Dei* repræſentabat, & averſationis indigna-

tionis-

tioniſque divinæ materiam gravem & longe lateque patentem ubique teſtimoniis haud refellendis exhibebat. Exitium deſignavit *Ioannes*, & auditorum animis ingeſſit, tum ſempiternum, eventu certo ferocibus conſilii gratiæ divinæ contemtoribus imminens, tum illud, quod proxime illaturi erant populo Iudaico Romani. Haud a re fuerit alienum, ea, quæ modo attigi, paullo latius exponere, ut, quantus pœnitentiæ animis concipiendæ præco exſtiterit *Ioannes*, univerſis ſit longe manifeſtiſſimum, & perquam exploratum. Ipſe enim haud motus fuit vultu & auctoritate ſummorum gentis Iudaicæ virorum, quorum potentia omninó erat tanta, ut Regibus quoque ipſa videretur extimeſcenda. Nec adventu ipſorum ab inſtituta pœnitentiæ denuntiandæ baptizandique ratione deſtitit, ut potius illis id rotundis clariſque verbis indicaret, quod ipſis non poterat non eſſe faſtidioſiſſimum moleſtiſſimumque. Sunt, qui exiſtimant, Phariſæos & Sadducæos, a corpore & collegio ſuo delegatos c), acceſſiſſe, ut ſuſciperent a *Ioanne* baptiſmum. Dicitur enim *inciſo ſeptimo* de illis: Ἰδὼν δὲ πολλὺς τῶν φαρισαίων καὶ Σαδδυκαίων, ἐρχομένυς ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτῦ. Verum enim vero latet cardo rei in vocula ἐπὶ. quæ per ſeſe nihil ſignificat aliud, niſi ipſos *acceſſiſſe d*)

c) Anonymus in *Bibliotheca Anglicana Tom. X Part. I pag. 119 ſeq.*

d) Anglica Verſio accurate: *But when he ſaw many of the Phariſees and Sadducees come to his baptiſm.*

ad locum & laborem *Ioannis*, baptizandis nonnullis deſtinatum. Ne videamur a teſtibus imparati, ita ſentientes, ſuppeditabimus loca, ex Alexandrinis Interpretibus depromta. Horum enim genus ratioque ſcribendi late patet per univerſas Noui Fœderis chartas. En exempla. De *Ioſepho* Patriarcha hæc ſunt *Gen. L*, 1, memoriæ prodita: Ἐπιπεσὼν ἐπὶ πρόσωπον τῦ πατρὸς αὐτῦ ἔκλαυσε ἐπ᾽ αὐτόν. *Sebaſtianus Caſtellio* hæc reddidit ita: *In patris faciem illapſus, & eum cum fletu oſculatus eſt.* Iidem Alexandrini *Exod. II*, 5. ſic habent: Κατέβη ἡ θυγάτηρ φαραὼ λȣ́σασθαι ἐπὶ τὸν ποταμὸν καὶ αἱ ἅβραι αὐτῆς παρεπορεύοντο ἐπὶ τὸν ποταμόν. *Deſcendit filia Pharaonis lavatum ad fluvium, & ancillæ eius ſimul præter & iuxta eum ierunt ad fluvium.* Luculentus ſane eſt locus *Exod. XIX*, 20: Κατέβη δὲ Κύριος ἐπὶ τὸ ὄρος Σινὰ ἐπὶ τὴν κορυφὴν τῦ ὄρȣς. Καὶ ἐκάλεσε Κύριος Μωυσῆν ἐπὶ τὴν κορυφὴν τῦ ὄρȣς. *Deſcendit vero Dominus in montem Sina in verticem montis. Et vocavit Dominus Moſen in verticem illius montis.* Nec non *Ex. XX*, 26: Οὐκ ἀναβήσῃ ἐν ἀναβαθμίσιν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριόν μȣ. *Ne adſcende gradibus ad altare meum.* Conf. *Num. XXIII*, 2, 14, 28. *Deut. I*, 17, 36, *III*, 21. *Gothofredus Olearius* *) ad *Matth. III*, 7, ac *Henricus Benedictus Starckius*, e) crediderunt

* In *Obſerv. ſacris pag.* 87.

e) In *Notis ſelectis criticis, philologicis, exegeticis, in loca dubia ac difficiliora N. T. Lipſ.* 1744, 4. *pag.* 14.

crediderunt, Phariſæos & Sadducæos veniſſe, ut opponerent difficultates & interdicta baptiſmo *Ioannis*. At id quidem a *Matthaeo* haud indicatur. Quin potius multi Phariſæorum & Sadducæorum, ad viſendum licet acceſſiſſent, concione *Ioannis* adeo fuerunt in omnia alia converſi, ut & ipſi baptiſmum ſuſciperent. Ad ipſos enim ſpectant *Ioannis* verba, ex *inciſo undecimo* : *Ecce, ego baptizo vos in aqua ad mentis emendationem.* Contendit quidem *Starckius*, hoc loco vocem *baptizo* nil eſſe aliud ac *volo vos baptizare.* At quis eſt tam excors mentisque impos, quin, quam invita & coacta hæc ſit interpretatio, facile poſſit divinare. Poſt hoc tempus, poſt baptiſmi *Ioannitici* initia, poſtquam multitudo ingens ad *Ioannem* audiendum, ac baptiſmum ab ipſo ſuſcipiendum, confluxiſſet, atque primores rei Iudæorum ſacræ vererentur, ne auctoritas ſua periclitaretur, ipſi legationem miſerunt ad *Ioannem f*), ac ita obduraverunt animos, ut & ipſi baptiſmum illum repudiarent, ac, ne alii eo uterentur, exiſterent autores *g*). Dummodo enim tempora diſtinguamus, omnia ſatis bene ſibi conſtant *h*). Præconem pœnitentiæ *Ioannes* egit, dum Phariſæos ac Sadducæos fuci ac ſimulationis ſuæ convicit, docens, ipſos pietatem præ ſe ferre, ſanctitatis larvam obtendere impietati, iuſtitiæque cultores eſſe fictos ; docens, ipſos, licet exter-

f) *Io. I, 19 ſeq.*
g) *Luc. VII, 29.*
h) Conf. *Io. Chriſtoph. Wolfii Curas philologicas & criticas* ad *Matth. III, 7, pag. 54 ſeq.*

externum pietatis colorem ſpeciemque intrepide mentirentur, occultis laborare ſceleribus, atque pravitatum generi ſtudere cuicunque occulto; docens, ipſos venena maligna fovere in animis, & virus ſpirare nocentiſſimum. Singula hæc *Ioannes* docuit, ſimul ac ipſos vocavit *γεννήματα ἐχιδνῶν*, *progenies ac fœtus viperarum*. Id, quod ex altero ſuæ ſpeciei provenit, ſive paritur, ſive procreſcit, a Græcis *γέννημα* vocari ſolet. Nemo curatius inveſtigavit indolem naturamque viperarum, quam Comes *Magalotti*. Hic ſolide *i*) tradidit, viperarum colorem externum eſſe elegantem, venenum vero earum & occultum & nocentiſſimum eſſe, emanare ſolitum ex cute mobili pone gingivam, quæ cutis ſit quaſi altera gingiva. Ne vero Phariſæi atque Sadducæi exiſtimarent, ſibi ſatis cum pœnitentia convenire, vel ſeſe ea haud indigere, *Ioannes* ad opera ipſa provocat, exclamans: *ποιήσατε οὖν καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας*, *edite igitur ac in lucem proferte fructus, pœnitentiæ illi*, Deo probatæ, quam ego vobis ſuadeo, *congruentes*. Ipſe e fructibus, operibus, & effectionibus ipſorum, colligit, docetque, quantopere animus ipſis inſit, malitia imbutus, eaque in formam artis redacta. Sed, ni *Ioannes* fuiſſet, quis proceribus illis eccleſiaſticis auſus fuiſſet tam

gravem

i) In *Lettre ſcientifiche* Lettr. VI. Conf. *Eſperienze intorno la virtù della Terra bianca di Malte* - - *Deſcrizione della Vipera Ammodite* - - dal Sig. Antonio Valliſneri. Vid. *Beytrag zu den neuen Zeitungen von gelehrten Sachen VI Band pag. 341 ſeq.*

gravem infigere reprehenſionem? Veritas enim plerumque rariſſimum eſt ferculum in menſis eorum, qui ſummis dignitatibus præſunt, ac inter reliquos eminent. Horum enim eſt, nemini non aſſentiri, palpari, & velificari, ne, aliis ægre faciendo, ſibi ſplendoris, aut utilitatis, aliquid ipſi ſubducant. Idem de Phariſæis ac Sadducæis eſt dicendum. Et eam ob cauſam *Ioannes* ita impavide, *Quis, inquit, oſtendit vobis unquam, quis demonſtrare vobis audet, veſtrum eſſe, effugere inſtantis iudicii divini calamitatem? Quis docet vos ſolide, vos eſſe reos iræ illius imminentis? Quis ſuſtinet vobis diſtincte monſtrare fugam & liberationem e futuro iudicio, exitium veſtrum detecturo? Quis audet vobis dicere, vos eſſe iudicii reos, nec ſtare in eo poſſe?* Reorum enim, qui in iudicio ſtare haud valebant, erat fugere. De re forenſi eſt ſermo. De iudicio inſtanti agitur. φεύγειν eſt itaque hoc loco vox forenſis, reorum, cauſæ ſuæ diffidentium, propria *k*), immo reis conveniens, qui liberantur & abſolvuntur a pœna inſtanti & intentata. Iureconſultus Græcus *Antiphon* ita habet *l*): Οὐ δίκαιον ἀποφυγεῖν ἐςὶ διὰ τὴν ἀτυχίαν τῆς ἁμαρτίας, *haud eſt iuſtum, propter peccati infelicitatem liberari.* Idem alibi *m*): Πάντων τῶν κατηγορηθέντων ἀπίςων ἐλεγχθέντων,

k) *Guil. Budæus* in *Commentario linguæ Græcæ pag.* 5 *edit. Colon.* 1530 *fol.*

l) *Orat. VII, pag.* 62, *edit. Hanov.* 1619, 8.

m) *Or. VI pag.* 50.

ἐκ ἐὰν ἀποφύγω, ἔκ ἐστιν ἐξ ὧν ἐλεγχθήσονται οἱ κακεργᾶντες, *omnibus itaque accuſatoribus fide indignis convictis, etiamſi non abſolvar, ea ſuperſunt, de quibus malefici accuſari poſſint.* Adeant *Budæum*, qui exempla complura volent videre. *Ioannes* Baptiſta norat ſpectatores ſuos intus & in cute; norat, quorſum ambitio ipſorum propenderet; norat, ipſos non niſi huius vitæ felicitatem ſectari, recteque dici plerumque, *ὅτι πάντες ἄνθρωποι γίνονται ἐπὶ τὸ εὖ πράττειν κακοὶ*, *homines, quibus fortunæ favet, ſunt improbi n)*. Dum veró *pœnitentiam* Iudæis inculcavit *Ioannes*, ipſos ſimul docuit modum, quo pœnitentibus, ac vitia admiſſa deteſtatis, peccata remitti ſolent. Ipſe enim adminiſtravit *baptisma pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, Marc.* I, 4. Peccata autem nobis dimittuntur propter fidem in promiſſionem Dei, qua vere in Meſſiam credentibus fit gratia delictorum. Eadem enim ratio impetrandi gratiam Dei & ſalutem ſempiternam, quæ nunc valet, valuit quoque olim *o*). Doctrinam certe proferebat in publicum *Ioannes* de *regno Dei*, ſeu *regno cælorum*, id eſt, peculiari Meſſiæ œconomia, ſeu Chriſtocratia, quondam promiſſa. *Dan. II*, 44, *VII*, 13, 14. Quo ipſo docebat, regno huic operam eſſe navandam per veram & vivam fidem. Remisſioni enim peccatorum haud eſt locus pro ordine

n) *Andocides* in *Orat. II pag.* 252.

o) *Act. XV*, 11, *Weſſelius* in *Diſſ. Academ. V pag.* 144 *ſeq.*

dine divinitus promulgato, niſi per effuſum ſanguinem *p*) emundantem *q*), niſi per baptiſma & fidem *r*), niſi per inſtauratam in animo puritatem, e fide derivandam *s*). *Marcus* conciſe *Cap. I, 4*: Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Luſtrabat aqua homines Ioannes in illis Iudaeae locis, a cultu hominum vacuis, ac publice proponebat inſtar legati divini baptiſmum,* ſeu modum abluendi corpus aqua, *baptiſmum*, inquam, *pœnitentiæ connexum in remiſſionem peccatorum*. Eminentiſſimus eccleſiæ Romanæ Purpuratus, *Vincentius Ludovicus Gotti*, *t*) monuit, baptiſmum hunc, a *Ioanne* propoſitum, eſſe ad Chriſti ac Apoſtolorum miniſteria reſtringendum, ne ipſe fateri cogeretur, cum baptiſmo *Ioannis* remiſſionem peccatorum exſtitiſſe coniunctam. At de baptiſmo *Ioannis* ſermo eſt apud *Marcum*. De baptiſmo Chriſti, quo Chriſtianos primos in Pentecoſtes feſtiſſima die imbutos eſſe novimus, diſtincte *Marcus* idem expoſuit *v. 8*. Fruſtra ſunt, qui, *Ioannis* cum baptiſmo Spiritum ſanctum eiusque vires haud fuiſſe copulatas, arbitrantur, eo quod *Ioannes* prænuntiavit, Chriſtum eſſe præſto, qui ſit *ſpiritu ſancto baptizaturus*, ſeu, ut eſt apud *Matthæum*, *bapti-*

p) *Ebr. IX, 22.*
q) *1 Io. I, 7.*
r) *Marc. XVI, 16.*
s) *Act*[illegible] *9, Ebr. IX, 14.*
t) *De* [illegible]*ritate religionis Chriſtianæ & librorum, quibus innititur*, Tom. IV P. I Cap. 16 §. 3 pag. 323.

baptizaturus ſpiritu ſancto & igni, III, 11. Cum enim dudum Apoſtoli perfuncti eſſent ſuſcepto baptiſmo, quo in hunc usque diem imbuimur, Chriſtus eis paullo ante, quam in cœlos glorioſe ſubveheretur, eadem, quæ prædixerat *Ioannes*, prænuntiavit, hunc quidem in modum: *Ioannes baptizavit aqua; vos vero baptizabimini in Spiritu ſancto, non poſt multos hosce dies. Act. I, 5.* Unde ſatis intelligitur, *Ioannem* Baptiſtam baptiſma ſuum haud duxiſſe vilius Apoſtolico, neque illud diſtinxiſſe ab eo, quod Chriſtus inſtituit, ſiquidem ipſe ad baptizandum a Patre cœleſti fuerat miſſus *Io. I, 33*, eo fine, ut Meſſias Iſraeli redderetur manifeſtus *v. 31.* Diſtinxit vero baptiſma ſuum ipſe ab effuſione Spiritus ſancti, eiusque donorum, ignibus cœleſtibus ſpectabili, quæ in *Act. II* deſcribitur. Baptiſmus porro *Ioannis* vocatur *βάπτισμα μετανοίας* eo, quod *Ioannes* baptizavit in aqua homines *εἰς μετάνοιαν*, *ad animi emendationem*, *Matth. III, 11*, & quia homines, qui baptizabantur, peccatorum ſuorum edebant confeſſionem. Antequam vero ipſe baptiſmo ſeſe accingeret adminiſtrando, ivit ad tractum omnem Iordani adiacentem, & in vulgus ire iuſſit doctrinam, quam tenere oportebat de baptiſmo, quem erat adminiſtraturus. Perſpicitur hoc ipſum ſatis clare ex *Luc. III, 3.* Et qui, obſecro, ſalutaris *μετάνοια*, *mentis ad frugem bonam reductio*, locum habere poteſt, niſi peccata fuer[illegible] peccatori dimiſſa, & niſi vis divina, fidei [illegible]ita, in

ani-

animum eius delata ſit, qua hic poſſit mala introſpicere ac averſari, bonum vero expetere & amplecti?

III. Quæri ſane poteſt citra iniuriam, quænam ſubfuerit ratio, cur *Ioannes* Baptiſta novo plane inſtituto videatur uſus ad omnes, ut peccatorum ipſos pœniteret, excitandos. Non occupabo aliorum cogitata, quibus huic quæſtioni enodandæ ſeſe ſatisfacturos cenſebunt. In re obſcura dicere licebit ea, quæ doctrinis ſacroſanctæ religionis noſtræ haud contrariantur. Animum induco, ut credam, in novo templo Dei puriſſima vaſa fuiſſe locanda. Solebant Iudæi veteres vaſa ſacra ab impuritate modo potiſſimum gemino defendere, partim eluendo ea per aquas, partim exurendo illa per ignem. *Num.* *XXXI*, 22, 23. Cum vero Deus Chriſtocratiam fundaret, regnumque gratiæ Chriſto etiam, qua homini *u*), traditurus eſſet *x*), regnum, inquam, ſeu templum, quod ex hominibus probis *) debebat conſtare, iuſſit homines ablui & exuri, ut ipſi eſſent vaſa ſancta, hero ad quemcunque uſum conducibilia. *y*). Vaſa quidem nobiliora ac pretioſiora purgari ſolebant igne; ignobiliora autem promiſcue per aquam in medium adhibitam. Erant præterea gradus certi, per quos mundatio vaſorum ſolebat abſolvi, in codice Miſch-

u) *Io.* *V*, 27.

x) *Luc.* *XXII*, 29.

*) *Ebr.* *III*, 6.

y) 2 *Tim.* *II*, 20. 21.

peditius ac comprehenſu difficilius, quod alter hic *Elias* appellatur *Propheta*, נְבִיא, *Mal. III*, 1, cum ipſe tamen *Ioannes* ſeſe Prophetam eſſe negavit, *Io. I*, 21. At ſalva res eſt. Monuerunt dudum Interpretes præſtantiſſimi, *Ioannem* haud ſimpliciter inficiari voluiſſe, ſeſe Prophetam eſſe *d*). Interrogarunt eum Iudæi hunc in modum: ὁ προφήτης εἶ σύ, *num tu es ille Propheta*, a Deo ſcilicet *Deut. XVIII* promiſſus? Exſpectabant enim Iudæi ætate *Ioannis* Baptiſtæ adventum illius Prophetæ magni, licet incerti eſſent, num ille a Meſſia futurus eſſet diverſus, an Meſſias futurus eſſet is ipſe Propheta magnus. *Ioannem* vero exſtitiſſe Prophetam veri atque genuini nominis, facile poterit demonſtrari. Is enim appellatur *Propheta*, qui exponit negotia, ſibi a ſummo quodam domino demandata. Ita *Aaron* appellatur *Moſis Propheta*, *Ex. VII*, 1. Qui itaque voluntatem Dei, eiusque præcepta, homines docet iuſſu & impulſu Numinis ſupremi, ille, merito appellationem Prophetæ ſibi convenire, arbitrari poteſt. Ex hoc ſignificatu perhibentur illi προφητεύειν, *prophetas agere*, qui ad homines emendandos exponunt voluntatem Dei, literis divinioribus comprehenſam *e*), vel ex revelationis alius ratione acceptam. Ita *Abrahamus* vocatur *Propheta Dei f*), eo quod doctrinam

d) *Io. Chriſtoph. Wolfii Curæ philologicæ & criticæ* ad *Io. I*, 21, *pag.* 794.
e) 1 *Cor. XIV*, 3.
f) *Gen. XX*, 7.

nam de Deo, eiusque voluntate, callebat, ſuisque inculcare conſueuerat *g*). Prophetas eiusmodi alebat Iudæa, haud ſecus ac Principes noſtri doctores & profeſſores Academicos fovent, qui adoleſcentes iuveneſque Deum voluntatem perdocere allaborent. Prophetis hiſce in partibus templi exterioribus erant ſedes. *Ierem. XXVI, 7, Zach. VII, 3.* Diſcipuli ipſorum vocabantur *filii Prophetarum, 2 Reg. II, 3.* Eodem pacto docuit diſcipulos quosdam *Ioannes* Baptiſta, eosque notitia voluntatis doctrinæque divinioris imbuit. Ipſe vero æque, ac Prophetæ extraordinarii, a Deo acceperat *revelationem h*), præceptum de nuntiando iudicio Dei *i*) inſtante, mandatum de pœnitentia male actorum agenda, ac iuſſum de gratia Dei denuntianda eis, qui male vivendi deſideria eſſent depoſituri, ac agnum Dei, peccata mundi ſuſtinentem, veneraturi, ex cuius abundanti gratia ſit remiſſio peccatorum arceſſenda ac depromenda *k*). Ex quibus momentis intelligimus ſatis ſuperque, graviſſimum ſane Prophetam exſtitiſſe *Ioannem*, eaque de cauſa ipſum haud immerito vocari *Prophetam Eliam.* Appellatus vero fuit *Ioannes* nomine *Eliæ*, eo quod ſimilitudo utrique inerat ſumma, & quia *Ioannes* mentem, qua *Elias* in Deum

g) *Gen. XVIII, 19.*
h) *Io. I, 33.*
i) *Luc. III, 9, Mal. IV, 6.*
k) *Io. I, 15, 16, 29, III, 36.*

Deum ferebatur, eandem geſtabat. Utriusque ætas in difficillima ac corruptiſſima tempora incidit. Uterque ſpiravit, & intrepide inculcavit, fidem, pietatem, & virtutes. Uterque increpavit horribilia flagitiorum portenta & ſolido & impavido genere dicendi. Uterque loca amavit & deſerta, & a fæcibus depravati hominum commercii remota. Uterque, cibo vili & parabili uſus, aquam in potum adhibuit, corpusque ita aluit, ut mens maneret apta ad divinas res expendendas, easque diſtincte tractandas. Uterque aulam expertus eſt inimicam, ſimul ac graviter vitia increparet primorum. Uterque funeſtiſſima perverſis Iudæis prænuntiavit fata. Uterque *fœdus Dei* curate obſervavit, & Baalitis ſanctiſſimum oppoſuit fervorem, adeo, ut, unam animam duo corpora direxiſſe, propemodum credibile videretur. Solennis eſt illa conſuetudo, qua homo iunior, veteris, vel ſenis, cuiusdam mores referens, nomen ob omen a veteri, vel ſene, illo nanciſcitur. Illuſtrabimus rem exemplis. Principes Iudæorum vocantur principes Sodomæ ac Gomorræ *l)* ob mores ſimillimos. Sedes Antichriſti vocatur *Sodoma & Ægyptus m)* ob mores, Sodomitis ac Ægypto olim familiares, inibi principatum obtinentes. Iehu vocatur Simri *n)* ob mores utrique communes, & ob indolem utriusque ſimillimam. *Ioannes* ita-

l) Eſ. I, 10.
m) Ap. II, 8.
n) 2 Reg. IX, 31.

itaque vocatus fuit a *Malachia Elias* ob ſpiritum, vim, mores, & vitam, quibus ille hunc referebat. *Elias* enim Iudæos ad fœderis antiqui rationes revocaverat haud alio modo, ac *Ioannes* mentes liberorum ad mentes & concordiam patrum *o)*, hoc eſt, Iudæos ſui temporis, diſſidentes in doctrina de fide vera, ad ſenſum & doctrinam patrum *Abrahami*, *Iſaaci*, ac *Iacobi*, qui per fidem in Meſſiam iuſti & beati *p)* fuerunt redditi, revocavit. Acceſſit illa etiam inter utrumque ſimilitudo, quod veſtimenti eiusdem genus utrique fuit commune. *Elias* enim veſtitum adhibuit ſimplicem, vilem, craſſum, corporique per zonam coriaceam adſtrictum, e pilis cameli conſutum *q)*, ideoque appellatus fuit אִישׁ בַּעַל שֵׂעָר וְאֵזוֹר עוֹר אָזוּר בְּמָתְנָיו, *vir pilis obſitus, cinguloque coriaceo in lumbis ſuis cinctus.* Prophetæ ſcilicet ordinarii, eorumque diſcipuli, poſthæc eundem amarunt veſtitum, tecti אַדֶּרֶת שֵׂעָר, *toga e pilis contexta r), eaque magnifica. Elias* & *Ioannes* adhibuerunt vilius indumentum. Prophetæ autem alii addiderunt indumento illi ſumtuoſam & magnificam venuſtatem, ut non ſolum viderentur ſummo Numini eſſe in deliciis, ſed etiam inter homines, potiſſime vero inter plebem, ſibi colligerent exiſtimationem præcipuamque

 opinio-

o) Mal. IV, 6.

p) Gen. XV, 6, Rom. IV, 3, IX, 20.

q) 2 Reg. I, 8.

r) Zach. XIII, 4.

opinionem virtutis. Magnificentia illa, quam Prophetæ alii in toga ac veſtitu exteriori adhibuerunt, elucet ex voce ipſa, quæ togam illam deſignat. Ebræi enim paludamentum ſplendidum ac ſumtuoſum vocant אַדֶּרֶת *Adderet.* Geſtavit id quondam Rex Nineves *Ion. III, 6,* quemadmodum verbum ibi Ebraicum declarat. Chaldæus Interpres eum vocis ſignificatum haud ignoravit, ſubſtituens לְבוּשׁ יְקָרֵיה; *veſtimenta pretioſa ſua.* R. *Salomo Iſaacides* ad eum locum ſuffragatur. R. *David Kimchi* togam illam ita fuit interpretatus: אדרת המלוכה שעליו, *paludamentum regiæ dignitatis, quod fuerat indutus s).* Depoſuit illud Rex Nineves, quamprimum ad ſocietatem pœnitentiæ publicæ ſeſe erat compoſiturus, & illud mutavit *ſacco,* ſeu veſte vili, luctus indice. Tribuerunt hoc paludamentum quoque *Eliæ* ſodales, qui in Britannia Magna hiſtoriam condunt univerſalem *t).* At nulla ratione fit veroſimile, *Eliam* eo indumento uſum fuiſſe, virum quippe ab omni ſplendore & faſtu aulæ disiunctiſſimum & admodum abhorrentem. Soſpitator certe optimus veſtes *Ioannis* opponit veſtibus aulæ regalis ſumtuoſis, excellentioribus, & mollibus, *Matth. XI, 8.* Unde facillimo intelligitur negotio, veſtimenta *Ioannis* exſtitiſſe pretii vilioris & pœnitentiæ *) præconiis accommodata.

V. Id

s) *Aruch. f. 5, r.*

t) *Hiſtoire univerſelle des Gens de Lettres Vol. II Lib. I Cap. 7 pag. 595.*

*) Iudæi credunt, *Eliam* pœnitentiæ præconem eſſe pro-

V. Id etiam ſcopi ſubfuit humili vitæ rationi, qua *Ioannes* Baptiſta excelluit; quod omnem impoſturæ religioſæ ſuſpicionem a ſeſe procul eſſe iuſſit. Victu enim & veſtitu ivit comprobatum, ſibi haud eſſe curam, ut deliciis honoribusque vitæ huius miſerrimæ abundaret, quin potius ſeſe in eo laborem omnem collocare ſuum, ut nil niſi regnum cœlorum & pulchritudinem beatitatis ſempiternæ quæſiviſſe ac circumſpexiſſe videretur. Ea vivendi, id ſtudendi, ratio erat ea mente digna, quæ Chriſtum hominibus ob oculos erat poſitura, animisque eorum inſtillatura. Quales ſunt Reges, tales etiam eorum ſolent eſſe adminiſtri. Chriſtus haud ſibi erat paraturus regnum fragile, mundi proprium, & in ſplendore vano poſitum. Regnum eius non eſt de hoc mundo, tantum abeſt, ut deligeret ſibi adminiſtros, ſplendorem ſeculi huius ſpirantes. Ipſe Servator ſuſcepit ſervi formam, atque, ut nos ditaret, egenam vivendi rationem duxit ſuam. Quid igitur de præcurſore & legato eius *Ioanne* aliud eſt prædicandum, ac ipſum deliciis & ſplendore ſeculi ſui maluiſſe carere, quam domini ſui conditionem vivendi externam ſumtuoſis veſtibus & opiparo victu labefactare. Impius eſt liber ille & deteſtandus, qui Comitis *de*

promotorem & adiutorem reſurrectionis mortuorum. *Sotah Cap. IX §. 15:* תחית המתים בא על ידי אליהו *Reſurrectio mortuorum obtinget interventu Eliæ.* Spiritualem utique *Ioannes* promovit, eiusque ætate mortui in vitam fuerunt revocati. *Iv. V, 25.*

Paſſeran præfert nomen, quippe in quo teterrimum imposturæ crimen coniicitur in *Ioannem* Baptiſtam, qui cum Ieſu in Ægyptum abierit iuvenis, in ea magicas artes didicerit, ac redux ex compoſito partes Ieſu defenderit ad formam religionis novæ excudendam. Ipſe profecto *Ioannes* in Ægyptum venit nunquam, nec Ieſum novit, antequam divina revelatione de eo admoneretur *u*). Nulla in ipſum cadit imposturæ nota, nulla eius ſuſpicio circumſpicienti ſuccurrit. Victus imposturæ eſt diſpar. Amictus contrarium tenet. Vaticinium Dei per *Malachiam* quondam ita eum deſignaverat, ut ex compoſito nihil eſſet acturus, ſed iuſſis Dei dicto futurus eſſet audiens. Cum itaque *Ioannes* ne leviſſimam quidem imposturæ ſuſpicionem præbuerit, ſed eam potius ſolicite evitaverit; impudentiam & perfrictam eorum frontem haud ſatis demirari poſſum, qui noſtra ætate in virum ſanctiſſimum contumelias evomunt intolerandas.

VI. Camelus quidem, eiusque pilus, veſtitui *Ioannis* inſerviens, notitiam communem haud penitus præterit. Ne quid tamen deſit, quo diſtincta idea & clara notio poſſit acquiri, ſuppeditabo ex *Cotovico* deſcriptionem luculentam. En illam *x*): *Eſt Camelus animal quadrupes, procerum admodum, ac multo altius equo, odore tetrum*

u) *Io. I, 31, 33.*

x) *Itin. Hieroſolym. & Syriac. Lib. III Cap. 21 pag. 403 ſeq.*

erium, exili, longo, incurvoque collo, ſed tructori capite: maxilla ei ſuperior quatuor duntaxat dentibus acutis longisque armata, inferior dentibus referta, uti & ceteris iumentis. Gibboſum habet tergus, caudam aſininam, crura tibiasque prolixas, poplitibus duplicatis: quibus accepturus onus ſingulatim procumbit; carnoſos & biſulcos pedes, unguesque aduncos, ac pedum plantam pulpoſam & mollem, inſtar ſpongiæ. Eſt autem laboris patientiſſimum, portandisque ſarcinis aptiſſimum; nam trium equorum onera facile ferunt ſinguli & ſupra mille librarum pondus, imo decem medimnos frumenti, vel homines quatuor in lecto iacentes, ac ciſtis incluſos, vehunt commodiſſime. Pedatim tamen graditur hoc animal, ut ſiniſter per non tranſeat dextrum, aut prævertat, ſed ſubſequatur. Etſi vero horrido aſpectu clamoreque ingrato ferox nimium videatur ignaris; eſt tamen præter opinionem manſuetum admodum, adeoque cicur, ſuisque ductoribus obſequens, ut ad arbitrium vocemque eorum in genua atque adeo in ventrem ſeſe demittat; ac pronum, anterioribus prius cruribus, mox poſterioribus complicatis, onera ſarcinasque tergori imponi ſinat. Mox, ubi, ſe ſatis onuſtum eſſe, ac conſuetum pondus habere, ſentit, (neque enim plus oneris, quam ferre poteſt, imponi ſibi permittit, nec ultra aſſuetum procedit ſpatium,) in pedes ſe erigit. Si aſſurgere, vel inclinare ſe quandoque a ductore iubeatur, illico voci iubentis, ac ſi ratione uteretur humana, obtemperat. Ge-

tua callo obducta duriſſimo habet. Subductis quippe ſub ſe cruribus, dum vel depoſitis ſarcinis quieſcit, vel interdiu noctuque obiectum pabulum ſumit, in ventrem procumbit humi, totumque corpus iis ſuſtentat. Cum vero inediæ ac præcipue ſitis patientiſſimum ſit, parvo ſumtu alitur: cibi utique ac potus pro tanta mole pauciſſimi. Palea autem trita, vel furfure, aut gramine, vel modico ſale, veſcitur, paſcuisque aſperrimis fruticoſisque utitur. Triginta, imo quadraginta, continuos dies ſarcinis onuſtum, absque ulla requie progreditur, æſtumque diei ferventiſſimum ſuffert. Triduo, quatriduo, immo diutius, ſitim tolerat, & impotatum incedit. Sed, cum bibendi occaſio ſe offert, ventrem implet, turbata conculcatione prius aqua. Urinam mittit tranſverſam, & eam modicam ac tenuem. Per deſerta, arenoſa, planaque loca, obeundis conficiendisque itineribus aptiſſimum eſt; per aſperos ſcabrosque montes non item, idque ob pedum mollitiem & pulpoſitatem, quos idcirco facile lacerat. - - Sub aura frigidula pigrum eſt, niſi excitetur cantu hominis, vel ſono fiſtulæ, aut tintinnabulis: quibus plurimis ornatur. Æſtu ſolis alacrius graditur. Sunt autem cameli ſpecie duplici, partim villoſi, partim glabri. Illi frigidioribus regionibus & hiberno tempore aptiores; hi calidioribus provinciis & æſtate utiliores. Ex villis illis, ſeu pilis, camelorum homines tenuioris ſortis pileolos & veſtes conficiunt, zona coriacea utentes. *Cotovi-*

cus.

bus rei huius locupletiſſimus eſt teſtis *y)*, cuius verba afferre, videtur operæ pretium. En illa! *Minutula plebs Syriæ pileolo cinericio, e camelorum pilis, vel rubro e lana, caput tegunt: - - Vilibus e lana amicti veſtibus, ſurarum tenus, quas Gaba vocant, manicis ut plurimum carentibus, ſuperiorem diſcinctam ferunt; interiorem, vix ad media genua protenſam, longa lataque zona e corio cingunt, quam tamen indusium longitudine ſuperat.* Veſtes illæ laneæ e camelorum, aut caprarum, pilis contexæ ſunt, eodem teſte *z)*. Zonæ illius geminum eſt officium. Ipſius enim ope non ſolum veſtem fluitantem homines coercent & ſuccingunt, quo promtiores ſint laboribus itineribusque obeundis, ſed pecunias quoque conſtringunt *a)*, & cuſtodiunt more ſatis antiquo. *Cotovicus b)* clare: *Humiliores plerique pecuniam zonis involvunt, veteres ſecuti; quibus in more poſitum fuit, ut pecuniam zonis conderent.* Indicium in hoc more latet tenuiſſimæ fortunæ, quacum qui conflictantur, pauculos nummos ſuos & omnia ſua ſecum portare valent. *Ioannem* eadem conſuetudine fuiſſe uſum, a veriſimilitudine haud videtur remotum.

VII. De zona vacat copioſius exponere. In ea aurum & argentum veteres circumgeſtaſſe,

 autor

y) Lib. IV Cap. 18 pag. 468 ſeq.
z) Lib. II Cap. 8 pag. 226.
a) Matth. X, 9.
b) Lib. IV Cap. 18 pag. 485.

autor eſt *Iamblichus c)*. Pars quoque corporis humani ſub coſtis obvia vocari ſolita fuit zona, eo quod cingulum eam afficeret. *Iulius Pollux d)*: Τὸ ὑπὸ ταῖς πλευραῖς ὀστέον, χήτη, ἢ κενεὼν, καὶ ζώνη καλεῖται. ἀφ᾽ ἧς τὸ ζώννυσθαι, ζῶμα, διάζωμα, διαζώννυσθαι. καὶ ζώνη τὸ ὅπλον ὁμώνυμον τῷ μέρει, ζωστήρ τε, καὶ περιζώστραν Ἀναξανδρίδης εἴρηκεν, ὡς δὲ παχεῖαν τὴν περιζώστραν ἔχει. δηλονότι τὴν ζώνην, ἣν Ῥωμαῖοι Φασκίαν καλοῦσι. *Quod ſub coſtis eſt os, zona vocatur. Unde cingi dicitur, cingulum, accinctura, accingi. Et zona corporis armatura, idem cum corporis parte nomen habens, quam Anaxandrides baltheum, ſeu perizoſtram, vocavit: ut denſam habet perizoſtram. Manifeſtum autem, a nobis zonam dici, quæ Romanis faſcia vocatur.* In hac zona multum ſolebat loci ſpatiique *) eſſe pro numis ibi recondendis. *Caius Gracchus* ita apud *Gellium XV, 12*: *Zonas, quas, Roma profectus, plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Cum vero *Ioannes* viliſſimum veſtimenti genus adhibuit, non eſt, quod zonam argenti plenam ipſi tribuamus. Quin potius zona eius ſignum fuit hominis, negotio ſuo

c) *De vita Pythagoræ Cap. 27 pag. 121.*

d) *Onomaſt. II, 4, pag. 109,* Francof. ad Mœnum 1608, 4.

*) In hoc erant varia receptacula, numis diſtincte ingerendis accommodata. *Maimonides* in *librum Miſchnicum de Sabbato X, 3*, *Hadrianus Relandus Antiqu. Ebr. pag. 80*, *Io. Nic. Rhoſtius* in Diſſ. *de Veterum zona pecuniaria*, Ien. 1681, 4.

ſuo intentiſſimi. Nam אזור חלצים, *cingulum lumborum & conſtricta*, non avulſæ, vel temere pendentes, *corrigiæ calceorum* deſignant homines promtos, paratos ad negotia obeunda, operi intentos, eventuum haud fallacium certiſſimos ac ſecuros, *Eſ. V, 27.* Quam ob cauſam quoque ii, qui in Ægypto ad metalla effodienda & paranda erant damnati, cetera nudi, cingulo pudenda corporis obtexerant *e*), partesque adiacentes conſtrinxerant. Materia cinguli, quo *Ioannes* fuit uſus, attentionem meretur, ſiquidem id erat pretii longe *) viliſſimi, e corio quippe confectum. Eius enim geſtamine oſtendit, quantum ipſe abeſſet ab honoribus captandis, a ſplendore venando, a faſtu adamando. Meſſias *Ioanni* Evangeliſtæ apparuit zona aurea ſuccinctus pectora *Ap. I, 13*, præferens ſummi ſacerdotis admodum venerabilis veſtitum & auctoritatem. *Ioannes* autem Baptiſta ſervili incedebat habitu, licet legatum Dei & Meſſiæ ageret, ratus, ſe ne dignum quidem eſſe ad ſervilia opera Meſſiæ præſtanda, eiusque calceos *f*) exuendos. Cum enim Ieſus ipſe egena & tenuis-

e) Epitomator *Agatharchidis de Rubro Mari pag. 24 Vol. I Geographorum veterum minorum Ioannis Hudſoni.*

*) De Cingulis videndi ſunt *Ioannes Nicolai de Zonis, ſeu cingulis, veterum*, ac in annotatis ad *Ioſephi Abudacni Hiſtoriam Iacobitarum pag. 126 ſeq.* nec non *Io. God. Ungerus Analectorum antiquario-ſacrorum Sect. I.*

f) *Io. I, 27.*

quiſſima vivendi ratione uteretur in ſtatu exinanitionis, *Ioannem*, eius prænuntium & legatum, viliſſima & humillima vivendi ratio admodum decebat, quæ non ſolum ex cibo & potu, ſed etiam ex veſtitu & zona ipſa, eluxit. Servi enim & ſolennius ieiunantes ſeſe induebant veſtibus craſſioris pili *g)*, eisque conſtringendis adhibebant zonam, e corio viliori conſtantem. Simul ac igitur de veſtitu & zona *Ioannis* Baptiſtæ cogitamus, animis noſtris repræſentatur deſtinatio eius operis divina, quod Meſſias, humillime vivendo, & patientiſſime ferendo duriſſima quæque, pro nobis erat expediturus. Cingulum enim adhibetur, ut ſuccincti opus deſtinatum poſſint diligenter aggredi & obire *).

VIII. Singulis itaque ſubfuit ratio, cur *Ioannes* Baptiſta in veſtitu homines humillimæ infimæque ſortis noluerit antecedere. At ea ratio, illa cauſa, fuit tam ſingularis, ut in imitationem haud ſit transferendus ipſius vitæ ac veſtimenti modus, quem adhibuit Baptiſta. Munus illud, quod ipſi erat impoſitum, exſtitit tam peculiare, ut a nullo alio ſuſcipi, adminiſtrari, vel repeti, poſſit. Ipſius enim erat, 1) venire in ſpiritu & vi *Eliæ*, 2) pœnitentiam nuntiare publicam, 3) præcurrere Meſſiam, & homines ad Chriſto gratiam ſuſcipiendam excitare, ac tandem 4) ſtatum exinanitionis Chriſti, domini ſui, cibo

ac

g) *Maimonides* in *Codicem Miſchnicum de Præput. Cap. 3 §. 3.*

*) *Caſſianus Cap. 2.*

ac amictu ſuo ſervili adumbrare, ne quis ſuſpicaretur, quæri a Ieſu regnum Iudææ, ſed ut omnes intelligerent, agi de regno cœleſti, & modo ad illud perveniendi, divinitus approbato. Supervacua proinde exſtitit Monachorum quorundam Seculo quarto intra Ægyptum cura, qui veſtitum *Eliæ Thisbitæ* & *Ioannis* imitari ſtuduerunt. Exorti fuerunt ipſi circa illius Seculi medium in Tabenna Thebaidis inſula, autore *Pachomio, Antonii Anachoretæ* diſcipulo. Hoſce a domicilii loco Tabenneſiotas dixerunt. *Sozomenus* eos deſcripſit, ac, cuculli fuiſſe inventores, ſignificavit. Dabimus locum ipſum *b*) Latine: *Iſti ad exemplum Heliæ Prophetæ pellibus ſe induebant, ut ſinguli, ex pelle corpori circumiecta virtutem Prophetæ ſemper in memoriam revocantes, ſtrenue contra cupiditates venereas confligerent. - - Fertur item, eos indumenta alia, quam quibus Monachi Ægyptii uti ſolebant, ſibi comparaſſe, quo ſpeciem darent ſeverioris cuiusdam vivendi diſciplinæ. - - Nam tunicis ſe induebant, quæ manicis carent, ut docerent, ſe manus habere ab iniuria & contumelia facienda penitus alienas: caput integumento, quod cucullum appellare ſolent, operiebant: quo oſtenderent, ſe vitam perinde ſimplicem atque ſinceram degere, atque pueros, lacte nutritos, quorum caput, quod in membris obtinet principatum, eiusmodi tiaris obvalvitur, uti tum tegatur ab æſtu & frigore, tum undique foveatur. Habebant prætere*a

b) *Hiſt. eccl. III, 13.*

ea cingulum & humerale, quorum altero lumbos circumdederunt, humeros & brachia altero amiciverunt; ſignificaturi, ſe ad Deo ſerviendum, & ad ea opera exequenda, quæ ab eo præcipiuntur, paratos eſſe.

IX. Ipſi, qui montes & deſerta *) Iudææ incoluerunt olim, tenuioris magnam partem fortunæ homines exſtiterunt. Pauperiores haud diſſimilem *Ioanni* Baptiſtæ adhibuerunt amictus rationem ac formam (*§. I*), cuius in hunc usque diem reliquiæ exſtant. Quare haud ſubit mirari, *Ioanni* Baptiſtæ probatum fuiſſe id veſtimenti genus, quod infimæ conditionis ſortisque ſervilis homines ſolebant ibi adhibere, ſuadentibus ita rationibus pondere ſuo haud deſtitutis. Ipſe enim in urbe Iuda fuerat natus & educatus, in montano tractu ſita, *Luc. I, 39*. Intelligunt plerumque Interpretes per *urbem Iudâ* oppidum Chebronem, idque auſtrale. Verum *Hadrianus Relandus* iam fuit ſuſpicatus *i*), πόλιν Ἰούδα eſſe urbem יוטה, *Iutah*, cuius fit mentio *Ioſ. XV, 55, XXI, 16*, quæ ſita fuit in tribu Iuda, Levitisque ceſſit, ad montana Iudææ loca *k*) omnino referenda. *Relandi* opinionem ſtilo Codicis ſacri eſſe conſentaneam, ego quidem inficiari haud auſim. En exempla, in quibus vox πόλις præmit-

*) Videantur *Boſobrii Remarques ſur le N. T. Tom. I, pag. 11, Matth. XXV, 26, Ioſephus* in *Vita* ſua *pag. 2, Antiqu. Iud. VIII, 7, 288.*

i) *Palæſt. Lib. III pag. 870.*

k) *Ioſ. XV, 55.*

mittitur nomini urbis denotatæ *Matth. II, 23, Luc. II, 11, VII, 11, Act. XI, 5, XVII, 8. Relandum* præivit iam *Papebrochius* in *Actis Sanctorum Tom. IV pag. 703. Hieronymus de Locis Hebraicis* locum vocavit *Iethan*, & hæc addidit: *Iethan in tribu Iuda, civitas ſacerdotalis, eſt hodieque vicus prægrandis Iudæorum in decimo octavo lapide ab Eleutheropoli ad auſtralem plagam in Daroma.* Utram vero Lector præferre velit urbem, optionem ei damus. Sive enim Hebronem, ſive Iutham, per *urbem Iuda* intellexeris, nihil inde ſententiæ illi, quam ſuſceperamus ediſſerendam, decedet. Sin nobis enuntiare licet ea, quæ ſentimus, cum *Papebrochio* miramur iure, ſecundum vulgarem receptamque opinionem memorari *urbem Iuda*, nec addi particulam ſolitam *τινα*, *quandam*, nec adiungi urbis nomen. In *Relandi* autem opinione ſi acquieverimus, omnia ſponte ſua fluunt ac ſunt in expedito.

II.
PETRI ZORNII
DISSERTATIO
DE
CIPPIS SANCTIS, APUD VETERES EBRAEOS MEMORIAM DIVINORUM BENEFICIORUM CONSECRANTIBUS, POSTHUMA.

I.

Præclara omnino ſunt illa *Lactantii* 1) verba: *Lumen mentis humanæ Deus eſt, quem qui cognoverit, & in pectus admiſerit, illuminato corde myſterium veritatis agnoſcet; remoto autem Deo, cœleſtique doctrina, omnia erroribus plena ſunt.* Atque hæc digna ſane eſt ſingulari attentione doctrina, cum præſertim hanc totius vitæ noſtræ exercitationem eſſe oporteat & ſtudium in agnoſcendis & prædicandis Dei erga nos beneficiis. Nam aut oblivíſci, aut diſſimulare, quæ in hos Numinis bonitas contulit, quid aliud videbitur, quam aut non agnoſcere divinum munus, quod infelicis imprudentiæ, aut negligere, ac parum curare, quod manifeſte impium eſt: quanquam & non minus pernicioſum, cum nulla alia res æque nobis obſtringat Deum, amicumque ac benevolum reddat, quam ſi memoriam beneficiorum, quæ præſtitit, ſancte ſemper penſitemus & cuſtodiamus. Certe ea eſt liberalitatis divinæ natura, ut nova eliciatur, cum ſervatur veteris memoria, eoque deinceps exiſtit largior, quo maiores gratias habemus agimusque propter ante accepta beneficia. Quæ cum ita ſint, expendamus *Samuelis* monumentum, 2) quod extare voluit indicium gratiæ Dei, non tantum ad aliquod tempus, ſed ad ſempiternam memoriam. *Mitzpah* fuit locus editus, unde etiam pro ſpecula

cula

1) In libro *de ira Dei Capite 1.*

2) Vide 1 *Sam. VII, 12.*

cula ponitur, quod vox Ebræa ſonat, 3) alia ex parte fuit etiam ſcopulus, pertinens ad locum dictum Bethear, ad quem usque locum Iſraelitæ perſecuti ſunt Philiſtæos: *atque huic ſcopulo Samuel nomen dedit Eben haezer*, quaſi dicas *lapis adiumenti*.

II. Ita quidem eſt, Deus ſemel iterumque graviſſime *ſacris lapidibus interdixit*, 4) ne in *Iudæo-*

3) Confer. *Ioannis Andreæ Schmidii* Diſſertatio *ad 1 Sam. VII, 6, de effuſione aquæ in Mitzpah Cap. I §. IV pag. 7.*

4) Audiatur hic *Theodorus Ianſſonius ab Almeloveen* in *Antiquitatum e ſacris profanarum Specimine pag. 72*: Moris erat apud Ebræos nonnunquam lapidem erigere, ut id patet ex *Lev. XXVI, 1*, ubi expreſſis verbis prohibetur, ne *lapidem* ſolummodo *figuratum* ponerent in terra, tacite quaſi involvens, permiſſum eſſe, *lapides* conſtituere *rudes* & *non figuratos*. Hæc *Almeloveenius*; cui ſubiungimus *Martini Chemnitii* noſtri verba in *Examine Concilii Tridentini Parte IV pag. 22*: *Lapides inſignitos ad adorationem* ponere prohibetur *Lev. XXVI*, ſed ad monumenta, ſeu memoracula, hiſtoriarum *Iacob Geneſeos XXVIII* lapidem erexit in titulum, fundens oleum deſuper. Et *Ioſ. IV, 3*, Dominus præcipit poni & erigi duodecim lapides, ut ſint ſignum memoriale, ſeu commonefactorium, hiſtoriæ tranſitus per Iordanem. *Ioſua* etiam *XXIV, 26*, moriturus erigit lapidem prægrandem ſub quercu, quæ erat in Sanctuario Domini, ut eſſet in teſtimonium icti fœderis cum Deo. Denique illuſtre exemplum exſtat *Ioſ. XXII, 28, 30*, cum duæ tribus & dimidia ædificaſſent altare, reliqui Iſraelitæ, rati, ad cultum hoc factum eſſe, indixerunt il-

Iudæorum finibus erigerentur, at vero recte obſervant Iudæi apud *Dionyſium Voſſium*, 5) tantummodo interdici *lapides ſuperſtitioſos*, atque in his præſertim *lapides conſecratos*, quos profanæ gentes adorabant, *manus ori admoventes, & oſcula labiis imprimentes.* 6) Sicuti autem Iudæi ſibi ab iſta paganorum ſuperſtitione quam maxime cavere debebant; ita iidem *aras*, *cippos*, & *titulos*, ſive *columnas* inſcriptas, Deo vero conſecrabant, ſive ſimpliciter reverentiæ erga ſummum Numen teſtificandæ, ſive memoriæ beneficiorum, ſibi ab eodem Numine præſtitorum, conſervandæ, cauſa. Eius moris prima mentio eſt apud *Moſen Geneſeos XXVIII, 18: Deinde mane, ubi ſurrexit Iacob, quod ſaxum capiti ſuo ſuppoſuerat, id in cippum erexit, oleoque caput eius*

lis bellum: cum vero illi oſtenderent, ſe altare illud exſtruxiſſe non ad ſacrificia, ſed in teſtimonium & ad memoriam hiſtoriæ, filii Iſrael hoc approbarunt, & Deum glorificarunt.

5) In Notis ad *Moſis Maimonidæ* librum *de Idololatria Cap. VI §. VIII.*

6) De *ſuperſtitioſo lapidum cultu* apud paganos vide *Fortunatum Scacchum ſacrorum Elæochriſmatum Myrothecio II Cap. XXIV, Theodorum Haſæum* in Diſſertatione hiſtorico-philologica *de Lapide fundamenti, cui arca olim fœderis impoſita fuit, Cap. II §. XXXIII pag. 47*, alioſque, quos, præter *Laurentium Begerum* in Notis ad *Florum pag. 75*, recenſet *Ioannes Philippus Caſſelius* in Diſſertatione philologico-theologica περὶ τῶν λίθων κεκραγομένων ad illuſtrandum vaticinium Chriſti, quod legitur *Luc. XIX, 40.*

eius ſaxi perfudit. Unde apparet, מצבה 7) nihil aliud ibi fuiſſe, niſi *rudem aliquem lapidem*, temere ibi repertum: quem *Iacobus* in memoriam *ἐπιφανείας* plane divinæ, quæ eo loci obtigerat, erexit, *cum voto*, 8) lapidem illum *ſibi fore Bethel*, 9) *domum Dei*, hoc eſt, ſe cultum

Qq 2 Dei

7) Vulgatus interpres vertit *titulum*. Utrum titulus ille ſcriptura fuerit in lapide exciſa, an lapis absque ulla ſcriptura erectus a *Iacobo* ad perpetuam conſpectæ viſionis memoriam, non ſatis manifeſtum eſt. Vide *Io. Albertum Fabricium* in *Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti pag.* 438, & *Chriſtianum Schœttgenium* in Diſſertatione I *de Inſcriptionibus Ebræorum* §. *XII pag.* 20, qui hæc ſubdit: Ebræa vox ratione *originis* generatim notat id, quod *memoriæ cauſa* erigitur, vel ſtatuitur.

8) *Lapidem Iacobi votivum* quodammodo appellare liceat, quamvis nullam haberet voti inſcriptionem. Apud alias gentes, præcipue Romanos, votum concipiebant, illudque in lapidibus commemorabant. Unde ſæpius in operibus inſcriptionum occurrunt formulæ: *ex voto*, item V. S. L. M. hoc eſt, *votum ſolvit libens merito*.

9) Arridet ſententia *Ioſephi Scaligeri*, qui vult, *morem inungendi lapides*, cepiſſe originem ab eo lapide, quem unxerat Patriarcha *Iacob* in Bethel. His adde, quæ erudite de cultu huiusce lapidis notat idem in animadverſionibus *Euſebianis ad annum MMCXLVIII pag.* 188. *Scaligero* addimus *ὁμοψήφους Thomam Reineſium Lib. III Variarum lectionum Cap. XVII*, *Hugonem Grotium* in Notis ad *Librum I de Veritate religionis Chriſtianæ*, *Gerardum Ioannem Voſſium* in *Etymologico linguæ*

Dei ibi peracturum, quamprimum iis inſtructus eſſet, quæ offerri Deo poſſent, quorum omnium tunc erat egenus: uti poſtea a Deo admonitus fidem liberavit, *Geneſ. XXXV*, 1. Nullum vero eſt dubium, quin rite atque ordine hæc fecerit *Iacobus, cum cippum hunc erexit ad rei memorabilis memoriam.* Primum enim id ipſum alias iuſſu Dei factum eſt *Exodi XXIV*, 4, *Ioſua IV*, 5, *XXIV*, 26; deinde *Iacobus* nec lapidem hunc adoravit, nec aliqua religione proſecutus eſt. 10) Denique, non ingratum Deo fuiſſe cultum, a *Iacobo* ibi præſtitum, diſertis verbis teſtatus eſt, cum dixit *Geneſeos XXXI*, 13: Ego ſum Deus ille Bethelis, ubi tu cippum conſperſiſti, & mihi

guæ Latinæ in voce *Bætylia*, & denique *Laurentium Begerum* in Notis ad *Florum pag.* 75, cuius verba hic repetere placet: Manifeſtum certe, ab Ebræo *Beth El* profluxiſſe βαιτίλυς, vel βαιτίλια. Etiam *ritus ungendi*, qui tam frequenter occurrit, hoc confirmat. *Arnobius:* Ut tam luculento die in lapidem eos patiaris impingere, effigiatos ſane, & unctos, & coronatos. Item: Si quando conſpexeram lapidem lubricatum, & ex olivi unguine ornatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, effabar. *Apuleius Libro I Floridorum:* Truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.

10) *S. Auguſtinus* in libro locutionum in *Geneſi:* Sumſit autem *Iacob lapidem*, & conſtituit eum *titulum.* Diligenter animadvertendum eſt, quomodo iſtos titulos in rei cuiusque teſtimonium conſtituebant, non ut eos pro Diis colerent, ſed ut aliquid ſignificarent.

mihi votum nuncupaſti. Ceterum *ad* eundem *morem, ſacros lapides vero Deo ponendi*, alludit *Eſaias XIX, 19:* Tunc erit ara *Iehovæ* in media Ægypti terra, & cippus *Iehovæ* ad eius confinia. Et *Cap. LV, 13:* Pro ſpina pinus, pro urtica creſcet myrtus, id quod Iehovæ nomen monumentumque conciliabit nunquam interiturum. Neque vero verba *Eſaiæ* de materiali aliqua ſtatua in Ægypto collocanda in honorem veri Numinis exponenda ſunt, ſed de *re aliqua ſpirituali & myſtica*, quæ per *ſtatuam, & eam certe licitam*, figurari poteſt. Cum ergo *ſtatua*, ſive *cippus* aliquis, aut *ſtrues lapidum, in memoriam præclarorum Dei facinorum erecta, licita*, Deoque aliquando iubente pia, fuerit; conſentaneum eſt, ut, ad eam alludi, arbitremur. Hac mente ut polliceatur Deus, ſe fidem in unicum Meſſiæ ſacrificium, & *ſpiritualem Evangelii cultum, deſignatum per altare*, in Ægypto ſtabiliturum eſſe, atque in propagatione ſalutaris doctrinæ, converſione piorum, ſanctificatione, conſolatione, tutela atque augmento Eccleſiæ, hoſtium autem vindicta, tam illuſtria editurum exempla, perennatura in æternitate temporum, fama rerum, *ut memoriale ſibi, cippi inſtar, in Ægyptiorum finibus* ſtatuiſſe videatur. Confer *Hermannum Witſium Libro II Ægyptiacorum Cap. XII §. XVI pag. 150*, & *Campegium Vitringam*, qui in hanc ſententiam diſſerit: Unum tantum eſt, quod hic obſervem, *titulum hunc Deo conſecrandum in terra Ægypti* hic videri opponi *ſuperbis*

illis *titulis*, ſive *ſtatuis*, (voce latius ſumta, quæ erectæ erant *Soli in urbe Heliopoli.* Erant *obeliſci* ingentes, ſtupendi operis, tum præterea hieroglyphicis notis innumeris inſigniti. Sic *Ammianus Lib. XVII Cap. IV*, ubi hiſtoriam obeliſci, a *Conſtantio* Romam transvecti, præter duos alios, quos *Auguſtus* eo traduxit Heliopoli, prolixius enarrat. His מצבות titulis ſuperbis, Soli conſecratis, contradiſtinguitur atque opponitur מצבה, *ſtatua*, ſive rectius *titulus*, *cippus*, *monumentum*, Deo erigendum apud terminum Ægypti, hoc eſt, ſeptentrionalem אצל מבול, prope deſertum Arabicum *in Nomo Heliopolitano*, vel *Bubaſtico*, & quidem ut ſit in ſignum & in teſtimonium Iehovæ exercituum Domino in terra Ægypti, hoc eſt, ut inde liqueat, *Ægyptum factam eſſe Iehovæ ſacram.* Falluntur igitur *Iudæi*, qui, vaticinium illud apud *Eſaiam* per *Oniæ templum in Ægypto* implementum accepiſſe, ſomniant. Conferatur Commentarius noſter in *Hecatæi Abderitæ Eclogas pag. 15.*

III. Atque, hæc cum ita ſe habeant, *Samuël*, qui cognitam haberet gratiam & virtutem Dei, quam in rebus difficillimis experientia teſtatam fecerat, rectiſſime pietatem ſuam Deo probavit, & *divinorum beneficiorum memoriam in lapide exſtare voluit*, quem nominat *lapidem adiumenti*, ſtato & ſolemni nomine. Quamvis autem *cippus* ille *Samuelis rudis* fuerit atque *impolitus*, 11) præ-

11) Credimus utique, lapidem rudem & impolitum fuiſſe, ſicuti altare, exterius collocatum in atrio, con-

præfulget tamen ſanctiſſimum illud, quod lapidi indidit *Samuel*, nomen: *an vero præter illud nomen aliud quid ipſi lapidi ſit inſcriptum*, quæritur. Obſervante *Auguſtino Calmeto*, vulgo creditum, hæc ipſa verba: *Nobis huc usque auxiliatus eſt Iehova*, palam ante oculos omnium lapidi inſcripta eſſe, præſertim cum antiquiſſimus mos ſic ferret, *ut res mandarentur memoriæ poſteritatis in ſaxis & columnis.* 12) Comparari interea poteſt ritus divinam legem inſcribendi aris,

Qq 4 quas

conſtructum erat ex lapidibus impolitis *Exodi XX*, 25, 1 *Maccab. IV*, 44. Conferatur interim Commentarius noſter ad *Hecatæi Abderitæ* Eclogas, ſive fragmenta integri olim libri de Hiſtoria & antiquitatibus ſacris veterum Ebræorum *pag.* 109.

12) Vide *Campegium Vitringam Libro I Obſervationum ſacrarum Cap. IV §. III pag.* 38, aliosque, hanc in rem laudatos a *Ioanne Alberto Fabricio Libro I Bibliothecæ Græcæ Cap. XI §. II pag.* 78. In præſenti ſatis fuerit, audire *Gerardum Ioannem Voſſium Lib. I de Arte grammatica Cap. XXXV*: Legas apud veterem *Iobi* interpretem *Cap. XIX*, 23, 24: *Quis mihi det, ut exarentur in libro ſtilo ferreo, aut plumbi lamina, vel cælte, ſculpantur in ſilice?* Ita in MStis & noſtris & aliorum invenimus, ſeque ſimiliter in XVI ſuis reperiſſe, ait *Lucas Brugenſis*. Neque ignoro, in multis etiam Manuſcriptis legi *certe*, item in Complutenſibus, *Stephanicis*, Regiis, & *Heutenianis*, ſeu Lovanienſibus; verum non dubium, quin *cælte* ſcripſerit interpres: quam & lectionem tuetur *Caſaubonus* in *Lib. VII Athenæi Cap. XX*, & *Molina* Diſput. in *Thomam*. Hactenus *Voſſius*. Confer *Bibliothecam* noſtram *antiquariam & exegeticam pag.* 827.

quas in Garizin & Ebal *Ioſua* erexerat. 13) Qualiscunque autem fuerit hæc *cippi* ἐπιγραφή, certe *Samuelis* conſilium fuit, non tantum ſuo tempore Dei gloriam prædicare, ſed etiam eiusdem memoriam ad poſteros transmittere. Ecquis enim non certatim Dei laudes prædicare conetur, cum nullam aliam Deus a nobis ſatisfactionem requirat, niſi ut collata in nos beneficia a Domino cum gratiarum actione celebremus? Certe, *Davidis* exemplum nos hac in re decet imitari, cum ait *Pſalmo CXVI, 12:* Quid Iehovæ rependam pro tot eius adverſum me meritis? Poculum ſumam ſalutis, Iehovæ nomen invocans, Iehovæ mea vota ſolvam, idque eius omni populo præſente. ' Ita gratam mentem verbis teſtati, Deo ſatisfacimus, eiusque liberalitatem agnoſcimus, cum in ipſius obſequium nos componimus, & officio noſtro in prædicandis ipſius laudibus fungi nitimur. *Neque vero ſufficit*, inquit *Ioannes Calvinus*, 14) de hoc *cippo Samuelis* locutus, *quamdiu ſuperſtites ſumus, in hoc incumbere, ſed omnis danda opera eſt, ut operum & beneficiorum Dei erga nos gloria etiam ad*

13) Vide *Ioſue VIII, 30, 31 ſeq.* itemque in hunc locum *Ioſuæ* ſingularem *Nicolai Kœppenii* Diſputationem philologicam *de Inſcriptione legis Moſis in lapides*, ut nunc taceamus alios ſcriptores, quos laudavimus in *Bibliotheca* noſtra *antiquaria & exegetica pag. 827.*

14) *Homilia XXVI* in *I Librum Samuelis Cap. VII v. 11 pag. 140 Tom. II Operum theologicorum.*

ad poſteros transferatur: & cognoſcant eius bonitatem, cuius participes facti fuerimus, ut eo facilius ad gratiarum actionem excitentur, & ad obſequium voluntatis ipſius magis ac magis componantur: atque noſtro exemplo diſcant, Deum in rebus incertis ſemper apparere ſuis defenſorem, atque auxiliatorem: ut, quotiescunque in difficillima quæque tempora, aut in ſummum diſcrimen, inciderint, ad eum confugiant, aut auxilium exſpectent. Bene igitur *Samuelis* exemplum imitabimur, ſi, poſteros in Deo fiduciam omnem ſuam collocare, docuerimus: & eum invocantes etiam debitis laudibus efferre & prædicare. Atque Deus hanc ob cauſam voluit, *Samuelis* hac in re hiſtoriam monumentis commendari, ut eius ductu tanquam in ſpeculo Dei potentiam & miſericordiam in ſublevandis ſuis contemplemur, & doceamur, iis Dei auxilium nunquam defuiſſe, qui ad ipſius miſericordiam confugerunt, & ſalutem ab eo exſpectarunt.

IV. Hactenus hæc de *Cippis ſacris*, ſive *memorialibus*, quorum partim *abuſum* apud profanas *gentes*, 15) *verumque* apud *veteres Ebræos* *uſum*,

15) Cum Deus vellet Ebræos a ſuperſtitione remotos, *paganorum cippos* evertere iuſſit *Exod. XXIII*, 24, *XXXIV*, 13, *Deut. XII*, 3, vetuitque religioſum ullum illiusmodi ſignum in terra ſua ſtatui. *Lev. XXVI*, 1, notandum, quod מצבה idolis & ſculptilibus, ut eiusdem indolis, annumeretur. Adde *Deut. XVI*, 22: *Non conſtitues cippum*: quod quomodo intellexerint Ebræi, ex *Ioannis Seldeni* *Lib.*

uſum, 16) declaravimus, partim formam eorundem 17) atque inſcriptiones 18) commemoravimus:

Lib. II de Iure Naturæ Cap. VI intelligimus. Nimirum, *tabernaculo* certa ſede fixo, multoque magis exſtructo templo, ad religionem *cippos erigi*, etiam *in honorem veri Dei*, nefas Iudæis fuit.

16) Refert huc quoque *Almeloveenius* verba *1 Sam. VI, 14, 2 Sam. XX, 8*, maxime vero *Zach. IX, 16*, de *lapidibus coronariis;* at vero fruſtra huc referuntur verba Prophetæ, cum multo accuratiorem eorundem verborum interpretationem afferat *Arnoldus Bootius Animadverſionum ſacrarum Lib. II Cap. VII §. VIII pag. 191 ſeq.*

17) *Cippi* utique *Ebræorum* fuerunt *rudes* atque *impoliti*, cum *lapides*, apud *paganos* ſuperſtitionem redolentes, plerumque eſſent *figurati*. Indicio ſit cippus, qui *Deum terminum* nobis repræſentat in nummo quodam apud *Laurentium Begerum* in Notis ad *Florum pag. 33*, & *Iacobum Oiſelium* in Theſauro ſelectorum Numiſmatum antiquorum Tabula XLI nummo IV. Corona ibi expreſſa eſt cum ſimpulo, quia terminus in agris *coronari* ſolebat. Pertinet huc illud *Tibulli:*

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Item illud *Prudentii Lib. II* contra *Symmachum:*

Vel lapis illic
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error
Faſceolis.

18) Lapides tamen XII, ex Iordane ad traiectionis monumentum ſublati, nullam ἐπιγραφὴν habuiſſe videntur. De his conſulatur *Io. Albertus Fabricius Tom. II Codicis Pſeudepigraphi Vet. Teſt. pag. 137.*

Audi-

vimus; iam vero inde per ſe apparet, quorſum hæc noſtra oratio contendat. Nimirum, quicquid

Audire tamen hic placet *Petrum Poſſinum* in *Spicilegio Evangelico* §. *XIV* de voce *Bethabara Ioan. I, 28:* Quid ſonat ex vocis etymo *Bethabara* בית־עברה, niſi locum, ubi transfretatur a viatoribus flumen, portitore cum ſcapha præſto ſeſe exhibente ad traiiciendos, quibus ultra citraque amnem commeare animi, aut rei, cauſa vel libet, vel neceſſe eſt? Videtur autem antiquum *Bethabaræ* nomen illi peculiariter loco inhæſiſſe, quod ibi Iſraelitæ duce *Ioſua*, præcedente arca, & cedente magno miraculo flumine, primum tranſierint Iordanem, ut narratur libri *Ioſuæ Cap. III.* Nam hanc coniecturam iuvat, quod *Ioannes*, ibi ad concionem loquens, *Matth. III, 9*, inter alia dicit: *Potens eſt Deus de lapidibus his ſuſcitare filios Abrahæ;* quibus verbis *Ioannes*, occaſione ex re præſenti ſumta, *videtur intendiſſe indicem manus in magnos illos lapides duodecim, qui ex medio ſiccati Iordanis alveo iuſſu Ioſuæ ſublati, in litore, quo portati fuerant, & ad memoriam collocati, viſebantur: vel ad alios totidem e ripa in medium alveum illatos, qui amne tranquillo a ſupernavigantibus cernebantur, de quibus vide libri Ioſuæ Cap. IV.* Hæc *Poſſinus.* Interim illis, quibus maius otium fuerit, conferre liceat *Ioannem Lightfootum*, qui in Diſquiſitione chorographica, *Ioanni* præmiſſa, *Cap. I* §. *I ſeq.* de Bethabara, & traiectibus Iordanis celebrioribus, diſſerit; tunc enim *Poſſino* aut ſubſcribendi, aut refragandi, habebunt rationes. Quicquid autem eius rei, ad *lapides memoriales veterum Ebræorum, qui inſcriptione carent*, referimus quoque verba *1 Sam. VI, 14, 18, 19.* Nempe enim Bethſemitis, quia tum Dei cultus nulli loco erat affixus, pro altari

quid bonorum mortales poſſident, a Deo immortali ad ipſos profectum eſt, qui bonitatem ſuam omnes patitur circumfluere, ut ab omnibus venerationis fructum & laudes, quas debemus, accipiat. Longum foret, per humanam vitam curſitare, & ſingulorum conſcientia conteſtari, ut, quæ quisque divinæ beneficentiæ debeat, vel periculis ereptus, vel cumulatus ingentibus bonis, grata & pia cogitatione in memoriam revocet. Multitudine divinorum beneficiorum obmuteſcimus, ſtupeſcimus eorum magnitudine, quia nec numerus iniri poteſt, nec, quanta ſint, exputando inveniri. Summam eorum effert, qui cum *Samuele* grato & lætabundo animo revol-

altari fuit *ſaxum antiquum, ingens, in campo quod forte iacebat*, quod pro אבן גדולה, *eben gedola*, id eſt, pro *lapide magno*, dictum eſt אבל גדולה; *ebel gedola*, *luctus magnus*, a luctu ibi edito, ut habetur *verſ.* 19: ויתאבלו העם, *& luxerunt populus*. Luctus enim acerbiſſimi cauſa fuit ſecuta clades hominum, quia arcam temere apertam curioſius introſpexerant, quod Deus non ſolum plebeiis, ſed & Levitis, ſub pœna mortis interdixerat *Num. IV*, 20. Vide ſis *Samuelem Bochartum Part. I Hierozoici Cap. XXXVI pag.* 369. *Cumulus* denique *lapidum*, quem *Iacobus* ac *Laban*, in *ſignum benevolentiæ reconciliatæ*, congerebant *Gen. XXXI*, 46, 48, 51, 52, ex more priſco, cum, diſtincta literarum conſignandarum notitia nondum manifeſtata, ſymbolis omnia ac hieroglyphicis involvebantur, derivandus eſt iudicio *Ioannis Chriſtophori Harenbergii* in *Obſervatione critica* de Ebraica voce מרגמה *Prov. XXVI*, 8, *pag.* 142 *Muſei hiſtorico-philologico-theologici Vol. I Part. I.*

volvit & penſitat verba illa: *Nobis huc usque auxiliatus eſt Iehova.* Inde enim exultat gaudium, inde prorumpit lætitia, inde geſtit vox bona proferre, nec intra pectorum latebras patitur ſe contineri, quoties Deus ſigna auſpicatiſſima ad bene ſperandum ſuſtulit.

III.
CAROLI HENR. ZEIBICHII,
IN ACAD. VITEMB. PROF. PVBL.
DE
SVFFIMENTO MESSIÆ OBSERVATIO,
AD
IES. XI, 3.

I.

Præſtans eſt locus, & inveſtigationem ſanctiorem expetens, in quo dignitatem *Meſſiæ* pontificalem vatum divinorum celſiſſimus, *Ieſaias*, his quidem verbis mirifice effert: והריחו ביראת יהוה, quæ ſic transfundere liceat: *Et ſuffire*, ſive *ſuffimentum eius*, *in reverentia Iehovæ* erit.

II. Non fugiunt mentem meam variæ variorum interpretum de hoc oraculo ſententiæ. Lapſi ſunt, quod diffiteri non licet, veterum Paraphraſtarum ac Metaphraſtarum plerique, *Alexandrini*,

drini, *Arabs*, *Raſchi*, *Hieronymus*, aliique, qui, verbum הריח per *repleri* reddendum eſſe, cenſuerunt, notati ob eam rem, tum ab *Hobeiſelio a)*, tum ab *Abichtio b)*. *Syra* paraphraſis vocabulum הריח in verbum ܢܓܗ, *fulſit*, transfudit pari errore, quem nolim operoſe iam caſtigare. Sic neque *Forerius*, qui per *reſpirare* interpretatus eſt, neque *Grotius*, a quo *conſolari* redditur, lucem quandam afferre verbis, multa animorum diſſenſione agitatis, videntur. Diſceſſionem etiam a nobis faciunt, qui *odorandi* ſignificatum dant verbo textus Hebraici, qui convenit cum Theologia *Soharica*, qua ſingulare *Meſſiæ* nomen, ריח, *odor*, ex hoc loco arceſſitur, cum *Talmudicorum* etiam interpretatione, qui Cod. *Sanhedrin* de *Meſſia*, *odorando iudicatum*, differunt, quod docet ex locis excitatis Cel. *Schœttgenius c)*. Ex *Chriſtianis* idem tuentur quamplurimi, quibus iam Divus *Lutherus* noſter interpretatione ſua præivit.

III. Interim rationibus, haud contemnendis, inducimur, ut eam amplectamur ſententiam, quæ *Seb. Schmidii d)*, *Glaſſii e)*, *Michaelis f)*, *Ame-*

a) *Obſerv. Philol. in loca* δυσνόητα *Ieſaiæ pag.* 104.

b) In *Arte diſtincte leg. & int. Cod. S. Cap. XXIV pag.* 290 *ſeq.*

c) *Hor. Hebr. Talm. Tom. II pag.* 139, 162, 332.

d) *Comment. in Ieſ. pag.* 123.

e) *Philol. S. Lib. V Tr. I Cap. VII pag.* 1148.

f) In *Not. ad Codicem Hebr. h. l.*

Amelii g), *Dachſelii h)*, ipſiusque *Lutheri*, in nota marginali, conſenſu prædita eſt, & *ſuffiendi* notionem alteri, videlicet *odorandi*, anteferamus. Nec dubitandum eſt, quin argumentis illis, quæ, pro communi ſtabilienda opinione, ab *Abichtio i)*, *Hobeiſelio k)*, maxime vero a *Campeg. Vitringa l)*, proferuntur, occurri haud incommode poſſit, quod alio forſitan tempore & loco oſtendi poterit. Forma verbi *Hiphilica* favet potius, quam adverſatur, interpretationi, a nobis ſuppeditatæ, qua הריח *odorari facere*, vel *ſuffire*, transfertur. Locus profecto *Exodi m)* clariſſimus eſt, quem per *odorari* minus accurate transferunt priori ſententiæ addicti, cum absque ulla tortura verba fluant, ſi verba illa, להריח בה, *ad ſuffiendum illo*, videlicet *ſuffimento*, קטרת dicto, transfundantur. Nec reſpuit hanc ipſa in loco noſtro mens vatis divini, aut verborum ſeries, quæ Meſſiæ non ſolum *perſonam*, verum & *munus*, deſcribit. Ac *perſonam* quidem ita vates conſiderat, ut tum ad *naturam* Meſſiæ *humanam*, qua ut virgultum ex trunco *Iſai* exciſo atque arido pullulare debebat, tum ad *divinam*, cuius αὐχήματα, humani-

g) *Eroert. der duncklen Stellen A. T. Part. II pag. 711*

h) *Bibl. Accent. Part. II pag. 71.*

i) *l. c. pag. 251 ſeq.*

k) *l. c. pag. 104 ſeq.*

l) *Comment. in Ieſaiam Tom. I pag. 313.*

m) *XXX, 38.*

manitati donata, ex divini ſpiritus ſuper ipſum requie derivanda ſunt, digitum intendat. Ab hac *perſonæ* contemplatione, *verſ. 1, 2*, inſtituta, progreditur ad deſcriptionem *muneris*, illiusque triplicis, quæ quidem clariſſima evadet, ſi incenſum *ſuffimentum v. 3* ad *ſacerdotale*, *iudicium verſ. 3, 4, 5*, ad *regium*, *correctionem ibid.* ad *propheticum*, referamus. Quibus abſolutis, *verſ. 6 ſeq.* ſummam temporum Meſſiæ felicitatem uberius prædicat, quæ alio ſpectare intelligo.

IV. Præterea & novum derivari exinde argumentum poteſt pro vero & perfecto *Pontificatu Chriſti*, in quem tanto cum impetu involat tot hominum ſceleratiſſimorum furioſa caterva. Quemadmodum igitur Chriſto oracula alia *Introitum in adytum n)*, *Expiationem o)*, *Aſperſionem p)*, *Libationem q)*, vindicant; ſic illud *ſuffiendi* munus, ſacerdotale & pontificale, locus præſens eximie comprehendit, ut hoc evidentius pateat, nullam Chriſto functionem, nullamque partem muneris pontificalis, defuiſſe. Hoc *ſuffiendi* negotium ob σκιὰν τῶν μελλόντων in ſanctiſſimis cultus *Levitici* partibus fuiſſe numeratum, non ſolum exinde relinquitur, quod in ipſa expiatione anniverſaria ad ſolam Pontificis dignitatem, quicquid hic agendum fuit, refer-

n) *Hebr. IX, 12, 24.*

o) *Dan. IX, 24, Hebr. II, 17, 1 Io. II, 2.*

p) *Ieſ. LII, 15.*

q) *Pſalm. XVI, 4.*

feratur, verum & ex minis divinis idem apertum eſt, quibus illegitima ratione ſuffienti Pontifici mors in conſpectu *Iehovæ* prædicitur. Tranſeo, quod tamen veriſſimum eſt, *r*) inter vaſa adyti ſanctiſſima relatum etiam fuiſſe *Thuribulum aureum*, & cum aliis templi Hieroſolymitani ſpoliis a *Tito* Imperatore in triumphali arcu oculis inſpectantium obiectum, de quo *Hadrianus Relandus*, Arcus illius enarrator, adiri poteſt. Adde, quod cum ipſis illis *cruſtulis*, a Pontifice Max. quotidie offerendis, pugillus *thuris* capiendus fuerit. *s*) Sed hæc actionis huius ſanctitas non aliunde, quam a vi illa σημαντικῇ, derivanda eſt, quæ *obedientiam* Chriſti Pontificis N. F. figuravit. Ut enim *ſanguis* iuvenci ac hædi *paſſivam* Chriſti delineabat *obedientiam*; ſic *ſuffimentum*, velut ſacrificium incruentum, *obedientiæ* Chriſti *activæ* typus clariſſimus atque umbra exiſtebat. Erat enim, ut aliæ partes cultus Levitici, ἐκ τῶν σαλευομένων, quæ non durare perpetuo, ſed, velut umbra, præſente corpore, evaneſcere, debebant.

V. Vere autem Chriſto convenire munus illud, ex viſo illuſtri probari haud ineleganter videtur, quod obiectum aliquando fuit Divo *Ioanni*. *t*) Aperto ſigillo ſeptimo, magna in cœlo

r) *Hebr. IX, 4.*
s) Vid. *Michaelis Diſſ. de Cruſtulis Pont. Max.* quæ legitur in *Miſcell. Groning. Tom. I pag. 445 ſeq.*
t) *Apocal. VIII, 1 ſeq.*

cœlo oritur tranquillitas, quæ per dimidium horæ intervallum extenditur, ut ſtatum temporum N. F. pacatiſſimum, ob reſtitutam per Chriſtum tranquillitatem ſpiritualem, delinearet. Septem in conſpectu Dei comparent angeli, quorum ſingulis tubæ donantur. Sed alius advenit *Angelus*, qui ad altare gradiatur, manuque ſua *Thuribulum aureum* capiens, ingentem *ſuffimentorum* copiam *prunis* imponit, ut eorum fragrantia e manu *Angeli* ad Deum adſcendat. Hoc *ſuffiendi* negotio tempore tranquillitatis illius tranſacto, idem Angelus *Thuribulum*, ſuum, igne repletum, in terram proiicit, ut tonitrua, fulgura, motusque horribiles, exeitentur. Quemadmodum per hunc *Angelum* Chriſtum ipſum, velut Pontificem Max. ad quem *Thuribuli aurei* uſus pertinebat, haud abſurde intelligunt *Braunius*, u) *Vitringa*, x) *Schmidius*, y) *Wolfius*, z) alii, quorum opinio multo ſanior eſt interpretatione eorum, qui vel *Conſtantinum M.* vel *Damaſum*, Pontificem Romanum, effingere voluerunt; a) ſic δῦναι perquam opportune redditur *incendere*, vel *adolere*, verba vero, ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων, qui minus circum-

u) in *Selečt. Sacris pag.* 247 *ſeq.*

x) *Comment. in Apoc. pag.* 335.

y) in *Ieſaiam pag.* 124.

z) *Cur. Phil. ad h. l. pag.* 510.

a) Contra quos vid. *Braun. l. c. pag.* 248.

cumſpecte pro gloſſemate habentur a Viro quodam doctiſſimo, *b)* vertantur ſatis concinne, *in gratiam precum*, ut ſenſus inde exſurgat, Chriſtum ſacrificio ſuo ac merito precibus ſanctorum, qui καρπὸν χειλέων offerunt δι' αὐτοῦ, *c)* gratiam atque efficaciam ſummam conciliaſſe, ut nec reſpui a Deo, nec ſuo excidere fructu, poſſint. Id quod hic inprimis videbatur neceſſarium; cum, poſt incenſum ſuffimentum, tum fulgura & tonitrua, tum tubæ angelicæ, hæreſes magnas indicarent, orbem terrarum inundaturas; quas effugere electi non poterant, niſi precibus a Chriſto prius Deo commendatis.

VI. Quæ alii huc referunt de piaculari Chriſti ſacrificio, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας *d)* oblato, nolim hic excitare, propterea, quod ex voce ἑαυτὸν apparere poterit, eam hic reſpici *fragrantiam*, quæ ex corporibus hoſtiarum ſale conditis, Deo in altari oblatis, atque igne conſumtis, ipſumque corpus Chriſti ſanctiſſimum figurantibus, ad nares Dei adſcendebat. Interea, cum Chriſtus hic tam cum מנחה, quam cum זבחים, V. Teſt. conferatur, & non tantum θυσία, verum & προσφορά, dictitetur, quarum vocum priore *oblationes cruentæ*, ex animantibus, poſteriori *incruentæ*, ex farina, ſale, *thure*, compoſitæ, comprehenduntur, haud refragabimur,

 ſi,

b) apud *Wolfium l. c. pag. 510.*

c) *Hebr. XIII, 15.*

d) *Epheſ. V, 2.*

ſi, præter *odorem*, ex *corpore* Chriſti in cruce adſcendentem, ad ipſam etiam *ſuffimenti fragrantiam*, a precum ardentiſſimarum copia derivandam, reſpiciatur. *e)*

VII. Dum autem, *ſuffitum* illum *Meſſiæ* incenſum fuiſſe *in reverentia Iehovæ*, divinus *Ieſaias* cecinit, hoc ſignificavit, in ſacrificio Chriſti ad nutum Patris & voluntatem omnia fuiſſe exacta, Chriſtumque ſtipulationem ac promiſſionem, Patri factam, ſanctiſſimo obſequio, ac pietate, filium decente, perpetuo reſpexiſſe. Ideo ipſe teſtatus eſt, *Patrem oculis ſuis iugiter eſſe propoſitum*, *f)* ipſius *legem pectori ſuo inſcriptam*, *g)* illius voluntatem *cibi dulciſſimi*, quo animus paſcatur, inſtar haberi *h*), ad eamque implendam ſe *correctione renum nocturna* ad ſanctiſſimas animi commotiones excitari. *i)* Hanc promiſſionem cum Chriſtus in perpeſſionibus ſuis omni tempore agitaret animo; factum inde eſt, ut calicem iræ ac tremoris, a Patre oblatum, compoſita mente biberet, horrorem ingentem, qui ex conſpectis torrentibus belialis, ac funibus inferiorum, exoriebatur, ſenſim pedeten-

e) Confer. ad h. l. *Diſſertationes Io. Bapt. Ottii* ac *Theod. Haſæi*, quæ exſtant in *Biblioth. Bremenſ. Claſſ. II pag. 525 ſeq.* & *548 ſeq. Witſii* hac de re ſententiam quandam erudite expendit Summe Rever. *Tellerus* in *Diſſertt. ſacris pag. 204.*

f) Pſal. XVI, 8.

g) Pſal. XL, 9.

h) Ioann. IV, 34.

i) Pſal. XVI, 7.

tentationemque ſedaret, omnemque mortis metum, qui tum in monte olivifero, in triſtiſſimo ἀγωνίας intervallo, tum in cruce, ſubtracto auxilii divini ſolatio ac dulcedine, animum repleverat, feliciter ſuperaret. Hoc indicat Apoſtolus, ubi, Chriſtum in iis, quæ perpeſſus eſt, ὑπακοὴν didiciſſe, graviter ſcribit, k) cui adiungantur effati eiusdem verba præcedentia, quæ Chriſti, ſuffitum precum & ſupplicationum cum clamore valido multasque inter lacrymas in cruce offerentis, εὐλάβειαν prædicant, eaque re eundem Deo acceptiſſimum fuiſſe teſtantur. Hæc coronavit clauſula ſacrificii piacularis: Τετέλεσται.

IV.

IO. CAROLI HENR. DREYER

DE

FIDE MANVALI GERMANORVM

ET

TRADITIONE PER CHIROTHECAM

DISSERTATIO.

Quod de gentibus, ſi non omnibus, plerisque tamen, eſt teſtatiſſimum, *manum* ut haberent ſtatuerentque *fidei* r) ſignum; id ſane de

k) *Hebr. V, 8.*

r) Docentibus *Everh. Ottone* in *Iurisprud. ſymb. vet.*

de Germanis tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Nolo iam in re aperta & illis, qui omnia alia fere neſciunt, facile exploratu, cumulare ſcriptorum teſtimonia; nec animus eſt aliorum hanc in rem meditationibus chartam illi-

vet. Germ. Exercit. II *Cap.* 10, *Wildvogelio* & *Stryckio* Diſſertt. *de Dextra*, quibus accedit, qui non ita pridem, curante Ill. *Piſtorio*, lucem vidit, *Paulini* de *Dextra* labor, non contemnendus quidem, at commendabilior forte, ſi Auctori de micrologiis inſuper habendis, reſcindendisque allotriis, conſilium ſuppeditaſſent amici. Addam tamen Virorum Clar. meditationibus hanc obſervationem, tranſiiſſe ſine dubio vetuſtam de *manu, fidei miniſtra*, opinionem a Scythis, Germanorum majoribus, ad ipſos Germanos. Apud Perſas enim manus porrectionem maximæ fidei cenſeri, retulit *Plethon Gemiſtius de rebus Græcor. Lib. II* apud *Rhodiginum Lect. antiq. II*, 22, *pag.* 483. At quis eſt, qui neſciat, hunc populum unam eandemque originem, h. e. Scythicam, agnoſcere cum Germanis? Vid. *Piccartus Orat. de Perſis, German. fratribus.* Quin, cum Germania incolas dederit Latio, quique ab antiquiſſimis temporibus Italiam incoluerunt populi, Aborigines ſcil. ceterique, ab *Halicarnaſſeo Lib. I* in *f.* recenſiti, Teutonici fuerint ſanguinis, quis dubitat, quin vetuſtum hoc principium a Scythis acceptum Italiæ & Romæ intulerint noſtrates cum multis aliis, in legibus regiis paſſim ſuperſtitibus? Sane auget coniecturam teſtimonium *Livii* & *Servii* : "Numam Pompilium dextram fidei conſecraſſe, & ſignificaſſe ſymbolice, „fidem tutandam, eiusque ſedem in dexteris „eſſe ſacratam.

illinere, crambemque coctam cum nauſea recoquere; iuvat ſaltem conſectari, quæ ex vetuſtiſſimo inſtituto in Germania media & recentiori dimanarunt conſectaria, ſuperſuntque & hodie veſtigia in negotiis hominum publicis æque ac privatis; quamvis fere eo rerum deventum ſit, ut, ſi, cives noſtros, reiecto principio, & neglecta re ſignata, retinere concluſiones, ſignisque contentos eſſe, dicat, non paradoxon ſtatuerit.

Principio autem inde pateſcere autumo, non ſolum cur ab *manu cava (loſa, loſi llaw)* fidem vocarent *Gelove* 2), ſed & cur interpoſitam *fidem manualem iuramenti inſtar* ab antiquo haberent maiores, ut, quicquid dextra pactum, non minus firmum eſſet, quam ſi iuramento obſignatum, pactisque vix firmius præſidium roburque accedere ducerent, formula

2) Quæ eſt elegans obſervatio *I. G. Wachteri Gloſſ.* h. v. Inde habes *Læſte*, ſponſionem, *Læſtes mann*, ſponſorem, *Loſa geloben*, ſtipulari. Quin, cum apud Germanos & Septentrionales deſponſationes fierent ſtipulata manu, (vid. *LL. Weſtro - Gothorum Tit. II Cap. 2 pag. 16* ed. *Olai Radbeckii pag. 16*,) non ſolum id facile liquet, quare ſponſalia vocarent *Brautlæſt*, *Trolæſning*, *Verlæbniſs*, *Handmahl*, verum etiam unde ſolennis in nonnullis regionibus uſitata eveniat formula ſacerdotalis in hierologia: *Gebet euch die Hænde.* De ſenſu phraſeos, in formulis Holſatorum Loddingiois ſæpiuſcule occurrentis, *mit Laven & Staven*, dicam alibi.

iſta ſolenni: Quæ omnia & ſingula fide *manualiter* præſtita fideliter & firmiter me ſervaturum promiſi, &c. promitto, hæc *fide manuali*, *mit Handgegebener Treue an Eydes ſtat*, *mit erſamender Hant*, *iunctis manibus* & *data fide* 3), &

3) Quibus formulis inſtructa ſunt Diplomata an. 1339, 1340, 1185, 1313, 1339, 1383, 1471, apud Illuſtr. Holſatiæ Cancellarium *de Weſtphalen Tom. II Monument. ined. pag.* 141, 143, 2210, *Marq. Hergottium Geneal. diplom. Habsp. Tom. II pag.* 193, *Schræderum Megap. Papiſt. Tom. I pag.* 933, *Tom. II pag.* 1218, *Pezium Codic. Diplom. Epiſtol. Part. IV pag.* 401, Auctorem *Hiſtor. Meldenſ. Tom. II pag.* 242, *Ludewigium Reliq. Tom. V*, Auctorem *deducti Cœnobii Michaelſteinens. num.* 19. Elegantiſſimam vero, & quæ ſententiam noſtram de *fide manuali* eadem ac *iuratoria* confirmat ex aſſe, hanc in rem ex tabulario maioris monaſterii adduxit chartam *Carolus Cangius Gloſſar. med. & inſim. Latinit. Tom. III col.* 1618 noviſſ. emiſſionis, ubi: „Promiſit *Buterius* hoc ipſum concedere ſe facturum, unde & *manum ſuam* poſuit *in manu mea*, quod *loco iuramenti habetur*; & in alia charta Martisconenſi: Miſit autem *manum ſuper manum domini Hugonis* Dienſis Epiſcop. & Romani legati, quaſi in *loco ſacramenti*, *ne* quis filiorum, vel ſucceſſorum, ſuorum hanc Werpitionem præſumeret infringere.„ His non abſimilis eſt, quæ habetur forma in charta *Ioh. Lotharing.* d. a. 1364, apud *Guilielm. Kyriandrum Annal. Trevirenſ. Part. XVII pag.* 254: „Supra dicta omnia firma tenere Dux per honorem baronalem promiſit

& quæ ſunt huiusmodi. 4) Deinde ſponte enaſcitur ratio, quare patrio iure *data dextra (der Handſchlag) obliget*; quare negotium contrahentium, conſenſu quidem perfectum, dextræ datione partim confirmetur, partim probetur; quare manuum comploſionem tertius plerumque diſcindat, *daſs ein Drittmann durchſchlæget*; quare in *Salamannos* & perſonas, quarum fidelibus *manibus* aliquid committitur, haud poſtremum voluntatis firmamentum reponerent noſtrates; 5) quare in paroemiis fuerit

 habi-

„miſit recta bona fide ac per *fidem loco iura-„menti*.„ Et hoc eſt promiſſionis genus, quod ſacramento validius habuiſſe Germanos, iam legitur in *Crantzii Saxon. XI, 27, pag. 392*, & *Eccardi Corpore hiſtor. medii ævi Tom. II. pag. 1392*, utut ab antiqua fide adeo deſciverit ſeculum, ut hæc obligatio fere inſuper habeatur, niſi quod milites, qui ſub hac conditione ex captivitate ſunt dimiſſi, illi pretium aliquod ſtatuere ſolent.

4) Hinc & hodie a notariis plerumque hæc verba inſtrumentis inſeri ſolent: *Und haben es beyde Contrahenten einander mit Handgegebener Treue verſprochen und zugeſaget*. Quo ipſo tamen manuum coniunctionem conſenſum neutiquam producere, quilibet videt, ut falſa ſit argumentatio: Manus non dederunt, ergo non conſenſerunt, recta autem: Nondum conſenſerunt, ergo nec dederunt manus.

5) Inde habes *manum fiduciariam* in charta 1159, apud *Ioann. Spicil. tabular. pag. 448*, & formulas:

habitum: *Hand ſchall Hand wahren*; 6) quare ipſa inter mortales celebrata pacta, cuiuscunque ſint ſpeciei, nomen induerint *Handlungen*; 7) quare reſilientem a contractu, *manuum contactu*

las: in *manus rem* per *Wadium* tradere, in *manus fidelès* delegare, apud *Meichelbeck. Hiſtor. Friſing. Tom. I pag.* 164, & *Hundium Metrop. Tom. III pag.* 323. Sed, quæ hic de *Salmannis*, eorumque officiis, *fide manuali* ſubnixis, dici poſſent, tam eleganter ex fidis Germaniæ monumentis proſecutus eſt *Io. Heumannus* Tr. *de Salmannis*, Alt. A. 1740 edito, ut, quod Viri Clariſſ. meditationibus addi poſſit, vix habeam in præſenti, niſi id unicum, §. *XIII*, qui de *Salmannorum* munere in exequendis teſtamentis agit, ſpicilegii inſtar adiiciendum: Fidei Salmannici dandum ſcilicet, quod ipſi *Salmanni* executores ultimarum voluntatum *manu fideles* audiant in documentis 1275, 1277, ap. *Ioannem Script. rerum Mogunt. Tom. II pag.* 508, & *Martenium Tom. IV Anecd. pag.* 884.

6) Comprobata Iure Germ. ſigillatim Iure *Lub. III*, 2, *Hamb. II*, 7, nec non apud *Sueones*, teſte *Loccenio Synopſi Iur. Suet. Diſſ. XII Qu.* 5; ſed de ipſa paroemia curate diſpexerunt *Hertius Paroem. I, par.* 18, *Mevius IV, Dec.* 174, *VIII*, 24, & *Ioan. Amſelius* Diſp. qua hunc Iur. Lub. Canonem vindicavit ab iniquitate.

7) Obſervante *Eccardo* ad *L. Sal. pag.* 73. Cuius tamen coniectatio etymologica, quæ *Cambire, Roſskamm*, a Francico *Camm*, h. e. manu, deduxit, neſcio an paratiora habitura ſit ſuffragia, quam ſi quis *Mundii, Mundiburi, Mundovaldi*, origi-

tactu roborato gravius puniendum iuſſerint ſeptentrionalium inſtituta, quam qui pactum, nuda & ſimplici promiſſione abſolutum, revocaverit; quare denique pax privata & reconciliatio, ſive ſona, ut loquar ſtilo Teutonum, *manu data*, promiſſa, pacta, & inita, fuerit moribus vetuſtis & hodiernis 8), & q. ſ. h. m. In hunc enim ſenſum loquuntur *leges Scanicæ* an. 1163, a *Waldemaro* latæ, ab *Andrea Sunone* Latina veſte donatæ, editæque ab *Huitfeldio* Hafn. *1594, Lib. V Cap. 6:* Hæres occiſi „quando ad conſentiendum oblationi præſtandæ „ſatisfactionis inducitur, vel ad diem præfigen„dum, in quo iuxta conſilium conſanguineo„rum ſuorum ſuper hoc debeat reſpondere, de„bet

origines etymologicas repetere velit ex Anglo-Saxonico & Islandico *mund, manu*, docente *Hickeſio Theſ. Lingu. Septentr. Tom. I pag. 108*.

8) Slavos Luſatios pacem abraſo crine & cum gramine *datis dextris* affirmaſſe, retulit *Ditmar. Merſb. VI pag. 65*. Inde in charta apud *Schilterum Theſ. antiq. Teuton. Tom. III pag. 327: Fried macht man mit den Handſchlag, den einer den andern die Hand darreichet und Fried machet*, quem morem hodie ſupereſſe, ut redeuntes in gratiam, pactam conciliationem manu confirment porrecta, notiſſimum eſt. Capimus etiam exin, quare *Treugæ* ſub nomine *des Hand-Frieden* veniant in Iure *Weichb. art. 85, 114*, & Conſtitutionibus Imperii *Friderici II, Rudolphi I, Alberti I*, de pace ſervanda, a *Lehmanno, Schiltero, Goldaſto*, editis.

9)

„bet adverſariis ſuis *interim pacem promittere*, & „*eandem in ſignum indiſſolubilis firmitatis contingendo manu ſua manum alterius alicuius* „*roborare*. Et de altero argumento hæc exſtant ſcripta *Lib. IV Cap. 14*: Qui promiſſionem ſuper venditione alicuius terræ noluerit adimplere, *duas oras* ſecundum quosdam, „ſi *nudam & ſimplicem promiſſionem* fecerit, & „*ſex oras* communi iudicio, *ſi contactu manuum* „*roborata fuerit*.„ 9) Quin, ex eodem fonte dimanaſſe, dixeris, antiquiſſimum illud Iuris Sueo-Gothici principium in *Legum provincialium Codice*, a *Loccenio* edito, *Tit. XIV Cap. 1 pag. 193* relatum: *Taghar handon ar ſamman taſich wart ock wingat, tha ar laglika kopt*. i. e. Dextris invicem datis, & re æſtimata, legitime contracta eſt emtio; cum, obſervantibus *Verelio*, 10) *Scheffero*, 11) *Lundio*, 12) *Loccenio*,

9) Addo, quod ex eadem lege legitima *impedimenta* (*Ebahafften*) per *teſtium contactum manualem* alleganda probandaque ſint. Eo enim pertinet ſtatutum *Lib. VII Cap. 7 Leg. Scan.*: Citatus in ius licet iuſtam cauſam habeat reſidendi, debet tamen pro ſe transmittere, qui non *in tacto ſacro libro, ſed contactu manuum, utraque ſcilicet manu ſua manum alterius contingente, teſtificentur*, eum, ne veniret, cauſa legitima præpeditum.

10) In *Indice Scytho Scandic. pag. 108*.

11) In *Memorabil. Suetic. gent. Cap. 14*.

12) *Diſput. de Iuſtit.* & *iure Sueon. Cap. 3 pag. 162*,

qua

tenia, 13) vix tutiorem obligationum Sueones agnoverint formam, quam quæ ſiebat per *hand ſalam* (dextræ dationem), ut frequentiſſimæ inde in eorum monumentis occurrant locutiones: *Tako Hand ſal' ſin a medal Eiga their a theſſa band ſaul*, i. e. *data dextra* fidem inter ſe ſanciverunt, *datis dextris* inter ſe ſtipulati ſunt. Illius tandem ritus, quo, qui fideiuſſionem ſubiere, olim in Germania utebantur, rationem & luſcus videt ſine perſpicillo, cur tum demum interpoſitam ſponſionem omnis numeris abſolutam crederent, ſi *fideiuſſor* debitorem principalem in iudicium evocaret, *manuque illius apprehenſa, ſeu palam* capta, coram iudice & adſtantibus ſuſceptam profiteretur fideiuſſionem. Verum hoc eſt adeo, ut demum ipſa vox *manucaptio* apud medii ſeculi ſcriptores abiret in ſynonymum *fideiuſſionis*, & *manucapere* idem ac *fidem* pro aliquo dare & expromittere. 14) Hæc dum ſcribo, dumque *fideiuſſoriæ* cautionis iudi-

quæ, habetur in Diſputationibus *Lundianis ſelectioribus*, cura *Nettelblattii* ante aliquod tempus editis, *num. III*.

13) In *Antiquit. Sueo - Goth. Lib. II Cap. XVI pag.* 229.

14) Apud Anglo - Saxones præcipue, docentibus chart. an. 1306, 1369, apud *Rymerum Actis Anglic. Tom. II pag.* 1005, *Martenium Anecd. Theſ. Tom. I pag.* 1509, *Cheſneum Probation. Hiſtor. Vergeiac. pag.* 142. *Add. Fletam Lib. IV*, 48, & *Can-*

iudicialis quidem & *manu* præſtitæ recolo memoriam, aliud manualis ſponſionis mentem ſubit argumentum, *Guaranda* ſcilicet *Saxonum*, qua actori, præter alia, illud inprimis iniungitur, ne, ſi deinde ab alio quocunque ea res, qua de agitur, in controverſiam deducta fuerit, auctoritatem deſugiat, ſed totius eventum cauſæ in ſe recipiat, reumque contra alios, eandem rem petentes, tueatur defendatque. Illam, licet in Saxonia electorali abrogatam, 15) in ducali vero hodie a viris honeſtis *ſtipulata manu*, *mit einem Handſchlag*, quin, qui mos eſt metallicorum, *porrecto pollice*, *auf gut Bergmanniſch*, præſtari, docent Iuris Saxonici interpretes, *Martini*, 16) *Schutlzius*, 17) *Rivinus*, 18) *Hambergerus*, 19) cuius potiſſimum, quæ guarandam

Cangium Gloſſ. Tom. IV col. 954. Quin & apud Slavos, quos Germanorum inſtituta in multis adoptaſſe obſervat Illuſtr. *de Weſtphalen Præf. Tom. I Monum. ined. pag.* 120, obtinuit hic mos, ut hinc vocem Slavicam *ruciti*, fideiubere, ab *ruka*, manu *ſtipulata*, appoſite ſatis repetierit *Ioan. Heumannus Comm.* doctiſſ. *de Salmannis* §. 8 *pag.* 10.

15) Teſte *Bergero Oeconom. iur. Lib. IV Tit.* 19 §. L.

16) Ad *Ordinat. proceſſ. Sax. Tit.* 12 *num.* 4.

17) Tr. *de Guaranda Sect. I* §. 16.

18) Ad *Ordinat. proceſſ. Sax. Tit. XII Enunt.* 8.

19) Diſſ. eleganti de *non uſu ſtipulationum uſuque pactorum*

dam ab laciniis Laſii, ſtipulationumque incantamentis, vindicat, opera cordatiorum, quotquot ſunt, calculos meretur lapillosque. Hoc nec minus ex Teutonum *fide manuali* expliciverim repetierimque, quod apud Saxones rerum allodialium alienationes, traditiones, reſignationes, *) & inveſtituræ ſymbolicæ, a domino fundi, vel alienante, plerumque confirmatæ fuerint *digitorum extenſione*, ſive per *pollicem dextrum*. **) Cuius quidem moris cum clara ſe mihi obtulerint indicia probationesque ex Diplomatibus, non poſſum, quin ex his unum alterumque afferam. Et primo, quidem citabo chartam *Liemari*, Archiep. Hamb. *d. an.* 1086, a *Lindenbrogio* in *Script. rer. ſeptentr. pag.* 186 exhibitam,

pactorum in foris Germ. Cap. 3 §. 6 *pag.* 79 *ſeq.* Add. *Ordinat. our. prov. Ienenſ. Cap.* XXII §. *Da aber die Klage* &c. Hinc formula illa regiſtraturæ, quam vocant: *Actor hat N. N. die geforderte Gewehr der Klage durch einen Handſchlag würcklich angelobet, und iſt ſolches zur Nachricht hier regiſtriret worden. Schwendendorff. ad Fibig. pag.* 475.

*) Ut inde intelligatur formula: *Mit Hand, mit halm und Mund auflaſſen*, frequentiſſima in tabulis apud B. *Menckenium Script. Rer. Germ. Tom.* I *pag.* 560 *ſeq.* & *Koppium de Teſtament. German, Append.*

**) Teſte charta ex archivo Cartuſiæ Montis rivi, allata a *Freſneo l. c. Tom.* III *pag.* 1931, qua, nobilem virum *Burgundionem* dominum *de Tribir*,

tam, in qua hæc verba notatu digna maxime cenſeo: „Super reliquias noſtras cum *chirotheca*, ſi„cut mos eſt, *liberis Saxonibus* tradidit curtem. „Aderant Comes *Fridericus*, advocatus eccleſiæ, „qui *chirothecam traditionis*, ſacris reliquiis im„poſitam, ut mos eſt, *abſtulit*, & ab ipſo *Gerar„do* per *digitorum extenſionem promiſſionem con„firmationis* accepit. Iungam huic ex altero eiusdem *Liemari* codicillo, an. 1088, ſequentia: „ 20) Poſt idem *Gerardus* (qui ſcil. Eccle„ſiæ Bremenſi ſeptem manſos donaverat) deci„mo die ex condicto noſtro in *Sylva* apud *As„becke* matrem ſuam veriſſimam eius heredem „nobis præſentavit, quæ ex *lege Saxonum* 21) donatio-

Tribir, inveſtiiſſe per *pollicem dextrum Hugonem de Miramur*, perhibetur.

20) Qui habetur apud *Lindenbrogium l. c. pag. 147*, *Lambecium Orig. Hamburgenſ. Lib. I pag. 40 num. 149*, & *Staphorſtium Hiſtor. Eccleſ. Hamb. Tom. I pag. 448*.

21) Cuius quidem ritus licet nec vola, nec veſtigium, in legibus & capitularibus Saxonum, huc usque editis, exſtet, nollem tamen inde cum inæſtimabili *Heineccio Hiſtoria Iuris Lib. II Cap. 2 §. 35* ed. nov. de *fragmento legis Saxonicæ*, ad nos tantummodo delato, nectere argutias. Ut enim taceam, quod ab incunabulis gentis German. & per omnes epochas egregie in *Hiſtor. iur.* probatum ivit Ill. *Koppius*, detuliſſe moribus ſuis plus Teutones legibus ſcriptis; conclamatum id ſane eſt, ſic & ſucceſſu temporum

nationem eius ore laudavit, & *digito confirmavit*. Meminit porro eiusdem ritus charta *Eilhardi*

porum comparatam fuiſſe Germanorum Themidem, paucula ut ſcriptis mandaret, plura vero in animis civium cuſtodienda relinqueret, reponeretque in conſuetudines. Nec putandum eſt, innui ſtatim leges veterum Germanorum ſcriptas, ab *Heroldo*, *Lindenbrogio*, aliisque, emiſſas, quotiescunque in chartis & monumentis medii ævi ad *Leges* & *Ewan* Francorum, Allemannorum, Baiuwariorum, Saxonum, e. ſ. p. fit provocatio. Hoc enim argumento ſi uti liceret, omnes fere, quotquot ſuperſtites habemus, veterum Germanorum leges mancas eſſe dixerim, & quoad maximam partem deperditas. Et legem quidem Francorum ex chartis apud *Mabillonium Analect. Tom. II pag. 697*, *Eccardum Originibus Habsp. pag. 105*, *II Feud. 29*, *Form. Alſat. Cap. IV*, *Auguſt. de la Chieza Hiſtor. Eccleſ. Pedemont. pag. 220*, legem Allemannorum ex Dipl. an. 867, ap. *Hergott. Genealog. Dipl. Tom. II pag. 41*, Baiuwariorum argumento codicilli ap. *Meichelbeckium Hiſtor. Friſing. Tom. I pag. 251*, Saxonum denique ex *Adamo Bremenſ. Lib. V*, chartis ap. *Ditmarum Codic. Dipl. ad Annal. Techenmacheri pag. 29*, *Schatenium Annal. Paderborn. Part. I pag. 343*, & *Geleniam* in *Vita S. Engelberti pag 359*, aliisque monumentis, quæ iura *Albinagii*, matrimonii ad morganaticam, ius, quod dicitur, *Phaat*, connubium impar capite luendum, conſenſum hæredum in allodialium alienationibus, aliaque vetuſti iuris argumenta ex Legibus Francorum, Allemannorum, Saxonumque, diſerte ſtabiliunt derivata, licet de his in emiſſis Collectionibus

 altum

hardi & *Hildemari de Oberg* 1360, ab *Chriſt.* *Ulrico Grupio*, 22) Viro doctiſſimo, producta his verbis: „Honeſtati veſtræ dimidiam deci„mam ſitam in Embere prope civitatem Han„nover extra vallem *S. Ægidii*, quod a vobis in „feodo tenuimus cum ſuis pertinentiis unanimi „conſenſu & voluntate *linguis & digitis &* „*omni reſignationis modo conſueto reſignamus.* Quin & huc pertinet id, quod ex fidis documentis narrat eruditiſſimus Medicus, *Chriſt. Franciſc. Paulini*, his verbis: 23) "*Ello*, mini„ſterialis Gerendonenſis Eccleſiæ in clauſtro „Huyerburgenſi factus poſtea converſus duos

„man-

altum ſit ſilentium; manifeſto iterum indicio, reſediſſe hæc, aliaque innumera, extra Legum Codices vagantia, capita, in conſuetudinibus avitis, cum ipſa gente natis educatisve, quæ & ipſæ, maximam Iurisprudentiæ German. partem exhaurientes, tantam ſibi acquiſivere proedrian, ut, docentibus chartis ap. *Glafey Anecd. Tom. I pag. 414, Ludewigium Reliq. Tom. VII pag. 835, Butkenium* in *Trophæis Brabant. pag. 98, Miræum Dipl. Belg. Lib. I Cap. 85, Fritſchium Add. ad Ius publ. Limnæi Tom. III pag. 225, Struvium Archiv. Polit. Part. III pag. 283*, Leges provinciales & civitatenſes ſcriptæ dictæ demum fuerint conſuetudines *Landes-Gebræuche*, *Coutumen*, quo quidem nomine apud Gallos hodie & Batavos ſtatutorum codices venire, nemo ignorat. Vid. *Bouchelium Bibliotheque, ou Threſor, du Droit Francois Tom. I pag. 699.*

22) In *Orig. Hanoveranis pag. 29.*

23) *De Advocatis monaſticis §. 15.*

„manſos cœnobio adiecit. Accidit autem, ut „quidam *Erpo*, qui filiam eius in matrimonio „habuerat, exque ea filium ſuſceperat, hosce „manſos a iure quaſi hereditario repeteret 24). „Tandem res compoſita, quæ ut firmior habe„retur, in Abbatiſſæ conſpectu, præſentibus mul„tis aliis, id *ore digitoque confirmavit Erpo*, acce„ptis VII talentis.„ Nolo quidquam addere de *abnegatione*, immobiliumque *reſignatione*, quam a venditore *incurvatis digitis*, ſecundum morem Saxonum, *manu* vero & feſtuca more Francorum peractam me docuerunt vetuſtæ tabulæ de A. 1099, a Rev. Abb. *Schannatio* 25) exhibitæ, peren-

24) Veniam meretur ac excuſationem, non ſibilum, aut indignationem, *Paulini*, Medici & Hiſtorici, philoſophia, quæ egregie hic impingit, *Erponis*que conamen frivolum, nullo iuris colore ſuffultum, *Ellonem*que, *Eponis* ſocerum, dominum, pro lubitu, prout ei viſum fuerit, inſalutatisque conſanguineis, de rebus diſponere potuiſſe credit. Reſtrictam autem allodialia, & immobilia alienandi facultatem, conſenſuque conſanguineorum alligatam, ſciunt, qui omnia alia fere neſciunt, nec deſunt exempla, quæ alienationes allodialium, inſcio hærede factas, ex capite nullitatis impugnatas evincunt clariſſime, qualia invenies apud *Pontanum Hiſtor. Geld. pag. 72, Lunigium Spicileg. eccleſ. ſub Epiſc. Thoren. an. 1171, Schatenium, Ditmarum, Harenbergium Hiſtor. Gandersh. pag. 249, Gudenum* in *Codice Diplom.* ante paucos annos edito, *num. 248 pag. 600.*

25) In *Vindemiis liter. Tom. I pag. 41*, ubi: Fecit ob-

perennantem tamen & hodie ritum Holſatorum, ſigillatim Kilonienſium, veterum Saxonum, non poſſum non in vetuſti iuris Saxonici reliquiis reponere, quo ædes divenditæ a Conſule non ſolum *ſtipulata manu* emtori, vel mandatario, civi poſſeſſionato, adiudicantur, ſed & in ipſa traditione iudiciali pronuntiatam a Conſule dirigente formulam: *Der Verkauffer verlaſt das verkauffte Hauſs* (magiſtratui), *der Kæuffer nimmt es an, ſtehet 4 Wochen zu iedermanns Recht*, ſalvo iure civitatis *wegen der auf der Stadt hafftenden Capitalien und Zinſen*, venditor elevatis digitis acceptare tenetur. 26) Quæ cum ita ſint, cumque omne fidei & virtutis præſidium in manu ab omni ævo veluti reponerent maiores fideliſſimi, hoc non mirum videbitur, nec ratio e longinquo eſt petenda, quare inſtitutis Germanorum, qui fidem iuratam initio ignorabant, peierare idem ſit ac fallere ma-

„*abnegationem prædii* primo *incurvatis digitis*, „ſecundum *morem Saxonum*. Iſti ſunt Saxones, „qui hoc viderunt & audiverunt. *Bernardus* „Comes, *Sifridus* Comes, *Wedekind* Comes - - „& deinde abnegationem fecit cum *manu & „feſtuca* more Francorum. Iſti autem ſunt „orientales *Franci*, qui hoc viderunt & audi„verunt. *Otto* Comes, *Albertus* Comes.

26) Quo etiam retuleris uſitatiſſimum olim inveſtituræ ritum, quo in ſignum præſtitæ a vaſallo fidei nexusque feudalis dominus directus *utramque vaſalli manum* complectebatur. Solennitatem, tabula ænea expreſſam habes in *Actis*

manualem fidem. 27) Quare infamia ille nota-

Actis Eruditor. Latinis ad A. 1682, citante *Piſtorio Præf. Tom. V Amœnit. hiſtor. iurid.*

27) Obſervante *Colero Proc. exec. Part. I Cap. 10 num. 284, Hertio Paroemiis VIII §. 6 pag. 408,* & B. *Ludewigio,* quem Muſa vetat mori, *de Nexu ſcripturæ & ſubſcript. Cap. I §. 8 Art. 26.* Idem apud Sueo-Gothos obtinere principium, docet *Loccenius Antiq. Sueo-Gothor. l. c. pag. 229,* indeque natales paroemiæ deducit: *Hand skal Hand faa, eller Mund monred ſwæria,* h. e. manus manum ſequitur, vel os periuri convincetur. Quo ipſo non inconcinne dixeris feſelliſſe dogma doctorum de periurio, iuramentum legitimum & ſolenne ſupponente, in Germania veteri & media. Nam fidei *iniuratæ & manualis ruptorem* periurum ipſo iure habuerunt Germani, quo factum, ut *Warandæ,* quam manu ſtipulata tantum præſtitam ſupra diximus, violationem ipſa pœna periurii, & digitorum amputatione, (aere quidem redimenda,) vindicarent Leges Goslarienſes apud *Leibnitium S. R. Brunſ. Tom. III pag 522;* quin & *ſub periurii pœna ſe nonnunquam obligarent maiores,* inque acceſſoriarum & pœnalium obligationum clauſulis, obligationi principali additis, hanc reponerent formulam: Ut ſi promiſſis pactisque (nullo licet iuramento circumvallatis) non ſtarent, ipſo iure *eſſent periuri,* & infamiæ macula notati. Memini iam probationis cauſa ſententiæ arbitralis, an. 1244 inter *Ioannem I,* Epiſc. Lub. & *Henr. Godow.* dictæ, ab *Lunigio Spicilegii Eccleſ. Tom. II pag. 303* exhibitæ, hacque formula munitæ: „Ad huius rei certitudinem „dominus *Henricus* ſe adſtrinxit domino *Godeſchalco*

„*ſchalco* præfecto, *Hemingo, Volrado Lapidi, Ovoni* „*Luſco*, militibus, (quos ſponſores conſtituit *Henricus*) *in manibus ſingulorum fide præſtita* (*durch* „*einen Handſchlag*). Quodſi aliquid horum „violaverit, in pœnam additum eſt, ut ipſo iure „tanquam ad malum recidivus periurus habea- „tur, & ſicut ante ſit vinculo domini Epiſcopi „innodatus, quod *Metebàn* vulgariter (rectius „*Mezeban*, bannum minus,) nuncupatur. Illud quidem videbit luſcus, manifeſto hic de periurio, ſola fidei manualis & iniuratæ violatione orto, agi, ſicut etiam in alio Comitum *de Rieneck* Diplomate an. 1261, apud Ill. *Val. Ferd. de Gudenus Cod. dipl. num.* 302 *pag.* 686, ubi: „Etſi nos, vel poſteri, aut heredes noſtri, contra „aliquid de præmiſſis forſitan veniremus, quod „abſit, pro nobis & ipſis poſteris & heredibus „noſtris ſponte elegimus, quod ſimus & denun- „tiemur periuri & excommunicati & terræ no- „ſtræ, in cuiuscunque diœceſi fuerint, per diœ- „ceſanum ſubiiciantur eccleſiaſtico interdicto.„ Ceterum habes in binis chartis exempla quoque obligationis ſub pœna banni eccleſiaſtici conceptæ, quæ cum aliis, d. an. 1237, 1239, 1263, 1287, d. an. 1253, in eiusdem Viri Illuſtris *Diplomatico Codice pag.* 543, 561, 563, 706, nec non in *Hergotti Geneal. Aug. gent. Habsb. diplom. Tom. II pag.* 336, & *Iſelii Chron. Tſchudi pag.* 165, obviis, addes doctiſſimis meditationibus *Chriſt. Henr. Eckhardi*, Viri Clariſſ. & *Chriſt. Gottl. Riccii*, Viri ad ornandam Iurisprudentiam nati factique, huius quidem in Schediaſmate problematico: *an pactum commiſſorium in pignore Germ. rurſus ſit invehendum*, pag. 68 ſeq. illius vero in Diſp. *de Obligatione ſub pœna banni civilis & eccleſiaſtici* §. 19, 20.

tus, 28) nec admiſſus ad torneamentorum conſortia, 29) quem fallacis dextræ macula denotabat, quare cordato Germano obiecti criminis formula: *Er habe ſeine Handtreu gebrochen*, nil quidquam gravius, nil intolerabilius; quare manus, qui fidem hoſti in captivitate datam violaverat, depictas contumeliæ & ludibrio inſigni expoſuerint; 30) nec minus quare in dicendis iura-

 men-

28) Vid. *Leges Normannorum Cap. LXIV §. 3*, apud *de Ludewig Reliq. manuſcriptor. omnis ævi Tom. VII pag. 270.*

29) *Ludewig de Sociis ſtipendiariis hoſti §. 9 not. 66, Different. Iuris Rom. & German. in donat. Diſſ. I Cap. 4 §. 4.*

30) Talis fuit vetus pictura, Palæo-Brandenburgi olim exiſtens, ab *Angelo Annalium Brandenb. Lib. II pag. 180* deſcripta, in qua vir equeſtris, temeratæ fidei in perſolvendo lytro ab oppidanis accuſatus, cernebatur depictus, habitu carnificis indutus, *pileo albo* (qui itidem apud Germanos ignominiæ fuit ſymbolum, ut hodie in Holſatia proſtibula, & qui in ergaſtulo Neomonaſterienſi detinentur maleferiati, pileum album, vulgo *den weiſſen Hut*, geſtent,) tectus, choream ducens aliquot eius quoque criminis reorum militum, quorum *manus elatæ fuerunt cæruleæ*. Scotos infidas *deceptoris manus* (aut chirothecam) in tabula depictas, haſtæque oblongæ alligatas, per plateas in ſummæ infamiæ notam circumtuliſſe, refert ſcriptor domeſticus, *Buchananus, Rerum Scotic. Lib. IX pag. 320.*

mentis manus *digitorumque elevationem* requirant ſolennitates. 31) Quare denique in doloſos periuros, *fidem manu erecta* teſtatam eludentes, olim manus, hodie *digitorum*, *abſciſſionem* 32) infa-

31) Inde iurantes dicuntur *manus extuliſſe*, *elevaſſe*, *extendiſſe*, *porrexiſſe*, *iuraſſe in manus Comitis dextra data*. *Gregor. Turon. de Mirac. l.* 20, 23, 53, *Decret. Thuſſil.* §. 5, *L. Longob. Lib. II P.* 852 §. 5, & apud *Hund. Metrop. Salisbur. Tom. III pag.* 274. Quam rationem ſi perceperis, tuto potes carere frigidis, & quas nemo ſanus facile tolerabit, ratiunculis, a *Camillo Borello de Magiſtratuum Edictis Lib. I Cap.* 14 *num.* 33 *ad* 54 invita Minervâ ſubductis, inter quas, neſcio, an reliquis inſipientior ſit, quæ ad anchoram ſummi *Ariſtotelis* confugit, præſidiumque quærit in effato Stagiritæ: Manum totius corporis humani eſſe organon organorum. De coniectura autem *Cangii*, ab *Heineccio Elem. Iur. German. Lib. III Tit.* 86 §. 223 adoptata, quæ nobis ſedeat ſententia, alibi teſtabimur.

32) Manu enim videbatur amplius indignus, qui fidem dextra elata iuratoque datam fefellerat turpiter; quin, cum ita comparata eſſent Teutonicæ Nemeſeos principia, ut, per quæ quis peccaret membra, per eadem puniretur plerumque, ratio eſt in aprico, cur manus digitorumque præciſionem in periuros & falſarios ſtatuerint Germanicarum gentium leges antiquæ, mediæ, noviſſimæ, concentu ſtupendo & harmonia inſigni. Voco huc ſaltem per indicem *Leges Wiſigothorum Lib. VIII Tit.* 5 §. 1, *Leg. Longobard. II*, 58, 2, *Leg. Baiuw. IX*, 4, *Tit. II Cap.* 6, *Leg. Saxon. II*, 8, 9, *Capitul. de Part.* Saxon.

infamiamque ſtatuerint, qui ſunt vel Germani, vel Germanici ſanguinis, populi. 33) Eius demum

Saxon. Cap. 32, Leg. Burg. Tit. 6, §. 11, Tit. 26, §. 4, Leg. Friſion. X, Leg. Ripuar. Tit. 69 §. 3, Capitul. V Caroli M. an. 803 Cap. 9, 13, Capitul. 779 Cap. 16, Capitul. 11 an. 805 Cap. 6, 11, Capitul. 1 an. 809 Cap. 21, Leges Anglo Saxon. Cnuti Cap. 33, apud *Wilkinſ. Coll. Leg. Anglo-Saxon. pag. 133, Conſtit. Sicul. Rom. III Tit. 37 §. 3, Chartam Woldemari IV an. 1326,* apud *Pontanum Reb. Dan. Lib. VII pag. 445, Spec. Saxon. Leg. 1 Art. 65, Spec. Suev. Cap. 163, Diplom. an. 1219,* Goslarienſibus a *Friderico II* conceſſum, apud *Heineccium Antiq. Goslar. Lib. II pag. 219, Ius Nordſtrand. Part. VII Art. 59, Ius Huſumenſ. d. a. 1608, Part. IV Tit. 70, Ditmarſicum Art. 119, Ordinat. Palatinam Tit. 10, Conſtitut. Elector. Saxon. XLVIII p. 4, Ius Badenſe VII, 9, Statuta Mülhuſina V, 4, Tyrolenſia VIII, 20,* ut ex iure patrio derivatum intelligas, quod teſtes periuros abſciſſione digitorum puniendos ſtatuat, quæ alias miſere romanizat, *Conſt. Carolina Art. CVII: Und nachdem im heiligen Reich ein gemeiner Gebrauch iſt, ſolchen falſch Schwehrern die zwey Fingern, damit ſie geſchwohren, abzuhauen; dieſelbe gemeine gewœhnliche Leibſtraff wollen wir noch nicht ændern.* Plura in hanc rem apponit *Fichtnerus* de varia periurii pœna, *Matthæi de Criminibus XLVII, Claſenius, Kreſſius,* ceteri ad Nemeſin *Carolinam* Commentatores.

33) Vid. *Leges Alleman. Cap. XLII §. 1, Leges Norman. l. c. Leg. Henrici II, Reg. Angl.* apud *Wilkinſ. l. c. pag. 228, Conſtit. Canuti de Foreſta,* apud

mum vetuſti iuris Teutonici principii, contractus libellarios ad ſuperſtitionem usque commendantis, natales & origines vix aliunde, quam in manualis fide quæſiveris veſtigiis, ut, ſi patrio more datam dextram obligare ſtatuas, rationem certe utraque manu palpaveris, cur *ſcripturæ manuali partui*, ad poſteros duraturo, tantum detulerint Germani. Quo ipſo factum, ut non ſolum omnes in patria contractus, ſive civiles, ſive ſacri, evaderent literarii, 34) verum & obligatio ſan-

apud *Spelmann. Gloſſ. pag.* 241, *Codex Leg. Suetic.* noviſſ. ante biennium Latina veſte a *Chr. Kœnigio* donatus, *Tit. de Action. Cap. XVII* §. 18 *pag.* 365.

34) Docentibus Reverend. Abb. *Godofrido de Beſſel*, ocello Germaniæ, *Chron. Gottwicenſi Lib. II pag.* 78, *Fontanini* in *Vindiciis Diplomat. Lib.* 3, *Ludewigio Tom. I Reliq. Præfat.* §. 7, & *Diſſ. de Nexu ſcripturæ Cap. I* §. 8, *Heineccio Elem. Iur. Germ. II*, 335, *Georgio Kreckemeyero Diatr. de Inſtrumentorum definit. & diviſione pag.* 70, quin & nos, poſt virorum doctiſſimorum meſſem, huius inſtituti dedimus ſpicilegium ex Legibus vetuſtis & Diplomatibus in Obſervatione *de Chartis indentat.* inſerta *Bibliothecæ Hamburg. mixt. Tom. I Part. IV pag.* 559 *ſeq.* Ad legis autem Allemannicæ diſpoſitionem *Cap.* 1 & 19, quæ quidem contractum de re immobili initum non agnoſcit, niſi literarium, reſpexiſſe arbitror formulas traditionum Auſtriacarum, Sec. IX conſcriptas, a *Petzio* & *Huebero Codice Diplomat. epiſtolar. Part. I pag.* 37, 48, 49, 51, 52, 63, 64. *ſeq.* exhibitas, quarum pleræque ſic incipiunt:

ſanctior & arctior his ineſſe crederetur, 35) ſta-
tue-

cipiunt: *Latores Legum* (Allemannicarum) ſanxerunt, ut, qui de iure ſuo proprio alicui aliquid tradere voluerit, hoc coram plures teſtes *per ſcripturarum ſeriem firmiter faciat oblicare.* Auſtriam vero lege Allemannica vixiſſe, conſtat ex chartis an. 863 & 1156, apud *Marq. Herrgottium l. c. num. 62 pag. 38,* & *Guichenonium Biblioth. Sebuſiana Cent. I num. 99 pag. 170.*

35) Ut *manu ſemel data* literis res non amplius ſit integra, cognitaque manu porro nil ſuperſit, quam conventioni ſatisfaciendum. Inde habes locutiones ἐμφατικωτάτως: *er habe ſeine eigene Hand darüber, Brief und Siegel müſten die Sache entſcheiden; wer ſolte Hand und Siegel nicht trauen. an ſeinem Brief und Siegel zum Unmann werden; ob man ſeine Hand kenne;* quin & intelligis, cur ipſa inſtrumenta, ex quibus ad præſtandum aliquid obligamur, ab manu & manuali fide denominent. *Handfeſte, Handſal, Handgemæhle,* (a Gothico *melian,* ſcribere,) *Handſchrifft,* manufirmationes; cuius vocis ſignificatum ex medii ævi monumentis diligenter eruit inæſtimabilis *Cangius,* & qui eum egregiis acceſſionibus locupletarunt, *Monachi Bened. Congregat. S. Mauri Gloſſ. Tom. VI pag. 457.* Quæ omnia cum expendo, meam ſane vix fecerim opinionem *Franciſci Henr. Sparre,* qui in Obſerv. *de Handfeſta Bremenſi,* in *Bibliothec. Hamb. mixt. Tom. I Part. III pag. 425,* ingenio nimium indulgens, *Handfeſta* (quo nomine apud Bremenſes inſtrumenta publica de venditis reditibus inſigniuntur) rationem etymologicam repetit ex ritu ſymbolico apprehendendi
pos-

tuereturque in probationis negotio præ teſtibus prærogativa. Id enim diſerte innuit *Speculator Suevus Cap. CCCXIX* §. 2: *Wir ſprechen, daſs Brieff beſſer ſeyn, denn Zeugen, die Zeugen ſterben, ſo bleiben die Brieſe immer ſtæt, das heiſſen Handfeſten; da hilfft ein todter Zeug beſſer, als ein lebendiger;* quin & praxis Germaniæ tribunalium comprobat apertiſſime, ut adeo aſſertionis probationem dare diplomaticam ſit facillimum. In tanto vero, qui ſe mihi offert, chartarum apparatu 36) unicam, eandemque egre-

poſſeſſiones ædium per apprehenſionem cornicis, ſeu annuli, quo ædes pulſantur, (*des Kleppers Handfeſte*) quem morem, antequam Handfeſtæ per publicam ſcripturam conſtituerentur, apud Bremenſes viguiſſe, fidenter coniicit. Enimvero, uti ipſe ritus non ſatis appoſite ex mancipatione Romana explicatur, ita notio Handfeſtæ, in ſenſum cornicis allata, vel ignota prorſus apud Bremenſes, vel his ſaltem cognita, cui eam, ex *Ewichio*, inſigni Onomatopoeo, notatam, inſtar gemmæ repoſuerunt in ſcriniis literariis. Et quis demum a cornicis appellatione (ponamus enim, hanc vocari *Handfeſte,*) ad inſtrumenta publica ex communi voculæ ſono argumentabitur? Quem fugiunt traditionis & inveſtituræ iudicialis diverſa argumenta? Quis demum neſcit, quod plerumque ab antiquiſſimis temporibus immobilium alienationibus teſtimonia iudicialia ſcripta acceſſerint, *Handfeſte*?

36) E. g. apud *Gudenum l. c. pag.* 810, *Hergottium l. c. pag.* 221, *Lunigium Spicileg. Eccleſ. Tom.*

egregiam in rem meam citabo, quæ dubium, ſi quod ſupereſt, evellet fluctuanti. In charta enim compoſitionis, 37) inter Duces Bavariæ & Eccleſiam Eichſtadienſem ſuper bonis a Comite de Hirſchberg derelictis A. 1300, arbitris in laudo ferendo ab utraque parte hæc lex præſcripta legitur: *Alſo daſs die 7 über die vorgenannte Leut und Gut, die wir anſprechen wollen, Weiſe und Ubrkundten des vorgenandten Biſchoffs bæren ſollen, es ſey mit lebendigen Zeugen, oder mit Handfeſten, und an welcher Sache kein Gebreſt, an den Zeugen der Gebreſten mag man erfüllen mit den Handfeſten. Wer da kein Gebreſte bey den Handfeſten, den mag er erwehlen mit lebendigen Zeugen, und, ſo ihm an eine Gezeugen abginge, ſo mag er einen andern an deſſelben Statt ſtellen, derſelben Zeugen ſollen ihm ſagen nach des Kœnigsrecht*, 38) *alſo daſs man ſie mit andinge, als bey etlichen Leuten gewœhnlich iſt* &c. Utut vero hæc ita ſeſe habeant, illudque

Tom. II pag. 309, Ludewigium Reliq. MSt. Tom. II pag. 361, Meichelbeckium Hiſtor. Friſing. Tom. II pag. 9, Cangium l. c. Tom. II pag. 987.

37) Apud *Falckenſtein Cod. diplom. antiq. Nordgav. pag. 129 ſeq.*

38) Quod ius Cæſareum quid denotet, vide apud *Matthæi de iure gladii Cap. XXX num. 16, Io. Dan. Gruberum Orig. Livonicis pag. 46,* Illuſtr. *Senckenbergium* Præf. *Corpor. Iur. feud. German. præmiſſ. pag. 1 ſeq.*

que in *reliquiis fidei manualis, ex partu manuali* ſubortæ, merito reponendum ſit, quod hodie guarantigionatis inſtrumentis 39) ſcripturisque avthenticis, ex quibus omnia facti obligatorii puri capita apparent, paratam tribuamus executionem; tantum tamen abeſt, ut anxias Romanorum in ſcribendis inſtrumentis & contractibus literariis ſubtilitates obſervarent Germani, ut nec e. g. ſubſcriptionem debitoris in literis obligatoriis requirerent, & ſæpius nudam pollicis impreſſionem, 40) qua eiusdem figuram ceræ mol-

39) Sed ne hæc quidem a pigmentis Latii ſarta tecta ſervavit ſtudium Doctorum romanizantium, qui cum ex *l. 25 §. 5 ff. de Probat.* & *c. 14 de Fide inſtrum.* ſpeciales debendi cauſas cuivis inſtrumento eſſe inſerendas, didiciſſent; quo erant in Ius Romanum propenſiori animo, filum ſtatim conſecutionis duxerunt ad inſtrumenta guarentigionata, inconſulta quidem & invita patrii iuris ratione, quod ſolo conſenſu contentum, ut in literis cambialibus, ſic etiam in reliquis inſtrumentis guarentigionatis, ſpeciales debendi cauſas minime poſtulaſſe, eſt teſtatiſſimum.

40) Recte ergo *Hoffmannus* in *Lycurgo Germaniæ moribus informato pag. 328: Die alten Teutſchen haben ihren Daumen von der rechten Hand in Wachs gedruckt, ſolches hat mehrere Krafft gehabt, als heutiges Tages eine wohl clauſulirte, ausbündige, unterſchriebene, und verſiegelte, Obligation, in es hat ſo viel gegolten, als heutiges Tages ein* Inſtrumentum guarentigiatum executivum,

molliori infixerunt, ſigillo validiorem haberent & ſanctiorem. In tanta *fidei manualis* auctoritate, ſanctitate, & proedria, neſcio, an fallam, ſi & ipſam, quæ in Iurisprudentia Germanorum ſymbolica utramque facit paginam, traditionem & *inveſtituram per chirothecam,* 41) ſive per *Wantonem, Vuantonettonem,* 42) *Wantum, Quantum,*

vum, & eiusmodi fidei Teutonicæ manualis vividum exemplar inter plura alia memini me in apparatu *Weſtphaliano* videre, quo 12 pollices ceræ impreſſi loco ſigillorum appendent.

41) Simile quid obtinuit apud Iudæos, obſervavitque in *Iure Nat. & Gent. ſecund. diſcipl. Hebræor. VI, 5, Seldenus,* ſucceſſiſſe in locum traditionis & ceſſionis per calceos factæ *chirothecam e dextra oblatam,* ut inde in verſione Chaldaica chirothecas pro calceis ſubſtituerit *Onckelos Ruth. IV, 7, 10.* Conf. *Heineccius* in *Obſerv. von den Mantel-Griff,* quæ exſtat in *Diurnis Halenſ. 1733, num. 37, 39,* & in *vermiſchten Anmerckungen,* ſuperiori anno edit. *pag. 5.*

42) Ita ſcil. vocatur in Ch. *Mathildis* apud *Franciſc. Mariam* in *Memoriis Mathildis III pag. 105,* qua per vaſonem terræ & feſtucam nodatam, ſeu ramum arborum, atque per cultellum & *Vuantonettonem,* ſeu *Andilaginem, iuxta legem Saligam donat,* tradit, cedit, caſtellum Barardeſco Epiſcopatus *S. Martini.* Repetiit ex laudato Auctore idem Diploma in *Not. ad L. Salic. l. G. Eccardus pag. 191 ſeq.* Vides quoque ex eo, traditionem per chirothecam nonnunquam cum Andilago abiiſſe in ſynonymum.

tum, Gantum, 43) communi iſti vindicaverim fidei ſimulacro. Quamvis enim, per *Andelangum,* 44) & ſtipulata porrectaque manu, *vermittelſt Handſchlages,* rerum dominia tradidiſſe maiores, retulerint monumenta; hoc tamen non impedit, quo minus ſignato nonnunquam uterentur pro ſigno, & chirothecam, in reſignatione a venditore acceptam, in traditione & inveſtitura iudiciali emtori in ſignum tranſlati civilis dominii traderet iudex, ut eandem emtor aſſer-

43) *Du Freſne l. c. Tom. VI col.* 1743.

44) Quam vocem, quæ & *Andelago, Andolago, Andalagg, Andelanc,* quin & *Vandilago,* in Charta 993, apud *Martene Collect. ampliſſ. Tom. I pag.* 347, effertur, ipſum Germanicum *Handlangen* eſſe, nilque aliud, quam traditionem ſtipulata manu factam, denotare, res ipſa docet, pluribusque evincunt *Wendelinus* & *Eccardus,* ut fere pigeat, vel cum *Cangio Tom. I pag.* 427 *l. c.* fluctus movere in ſimpulo, vel cum *Malbranco de Morinis Lib. VI Cap.* 29 hic comminiſci crematram, andelam, & ſuſtentaculum focarium, vel denique cum *Spelmanno* & *Sommero* in rem citare Saxonicum *Andlang,* i. e. longitudinem. Cum vero nulla facile traditio & inveſtitura facta ſit, qua non ſymbolum aliquod, ſcil. feſtucam, ſive guaſonem, ſive chirothecam, alienans, vel iudex, acquirenti manu porrigeret, *Andelangum* in generale quarumvis traditionum ſymbolicarum abiiſſe nomen, conieeerim eo fidentius, quo notabilius eſt, Andelaginem traditionibus legitimis & uſitatioribus per feſtucam

ſervaret, 45) vel iudici in recognitionem dominii directi retraderet. Nolo iam prolixior eſſe in adſcribendis, quæ traditionis & inveſtituræ per chirothecam & wantum meminerunt, verbis Diplomatum, a *Calmeto*, 46) *Perardo*, 47) *Hemereo*, 48) *Iuſtello*, 49) *Martenio*, 50) *Sammar-*

eam *Waſonem*, vel *Wantonem*, ſemper iungi in formul. *Lindenbrog.* 18, 55, 57, 75, 127, 152, & chartis apud *Mabillon. Annal. Bened. Tom. III pag.* 403, *Perardum* in *Burgund. pag.* 25, *Catellum Hiſtor. Occitan. Tom. I pag.* 78 ed. nov. & *Franciſc. Mariam* in *Mathilde pag.* infra citanda.

45) Ut res permaneus & chirotheca (quod quidem ſimplici manus datione vix expediri potuit) traditionis ſolennis ſervaret memoriam. Nam traditionis ſymbola, veluti feſtucas, ligni fruſtula, nummos, baculos, corrigias, cultellos, adeoque wantones, in templis locisque publicis aſſervata, quin chartis nonnunquam & Diplomatibus adſuta & innexa, præclare demonſtrant *Sirmondus* ad *Goffred. Vindic. Lib. I Epiſ. VI*, *Cangius l. c. Tom. III pag.* 1523, &, qui ſtupendo eruditionis & patrii iuris ſcientiæ apparatu hanc ſcenam inſtruxit, Illuſtriſſ. Holſatiæ Cancellarius, Dn. *de Weſtphalen*, *Monum. ined. Tom. III Præf. pag.* 123.

46) *Hiſtor. Lotharing. Tom. I col.* 524.

47) In *Burgund. pag.* 189.

48) *Auguſto Viromar. pag.* 196, 263.

49) In *Probat. Hiſtor. Avern. pag.* 142.

50) *Collect. Ampliſſ. Anecd. Tom. I col.* 347, 472.

marthanis, 51) *Doſwerdio*, 52) *Chiffletio*, 53) *Ughello*, 54) aliisque, productorum; elegantiſſima tamen, & quæ ſententiam, quam de origine traditionis per chirothecam *a fide manuali* repetenda profeſſus ſum, comprobant ex aſſe, non poſſum reticere verba chartæ, a *Baluzio* 55) editæ, an. 1299 conceptæ: in qua cum alienans fidem ſuam & in illius *ſignum manum ſuam dextram & cyrothecam eiusdem* eidem *de Belbezio* (emtori) tradendo reddidiſſe dicatur, ſponte non poteſt non enaſci coniectura, ipſam per chirothecam traditionem eandem fere quoad effectum eſſe cum traditione manuali, 56) & *Andelango*, ſubſtituto tantum ad exſtantiorem probationem in loco propioris, remotiori ſymbolo quodam & perduraturo. Hæc utcunque demum ſe habeant; certum tamen eſt, non *Francorum* ſolum genti ritum per *Wantonem* inveſtiendi peculiarem fuiſſe ac proprium, quem & *Saxonibus* uſitatiſſimum, quin ab his ad *Anglo-Sa-*

51) *Galliæ Chriſtianæ Tom. III pag.* 330 ed. noviſſ.

52) *Monaſt. Angl. Tom. I pag.* 22. Add. *Odor. Vital. V pag.* 581.

53) *Luminib. Saliç. Cap.* 6.

54) *Italiæ ſacræ Tom. III pag.* 49, 61, 415.

55) *Hiſtoriæ Ævernienſ. Tom. II pag.* 464.

56) Quo tendunt, quæ in charta *Henrici V*, Reg. Angl. apud *Auctorem Hiſtor. Harcurienſ. Tom. IV pag.* 1440 leguntur: Faciendo & reddendo nobis unam *cerothecam de plate pro dextera manu*.

Saxones & *Longobardas* derivatum, ſive Britanniæ & Italiæ illatum, facili conficitur probationis negotio. Ut enim non repetam, quod, prælucente charta *Liemari*, Arch. Hamb. modo audivimus: tradidiſſe quendam eccleſiæ ſuper reliquias *cum chirotheca, ſicut mos eſt liberis Saxonibus, curtem chirothecamque traditionis abſtuliſſe* advocatum eccleſiæ, aliam iam ex alio Diplomate, æque apud *Lindenbrogium* 57) obvio, quoad morem Saxonicum depromam probationem, ex verbis, quæ ſequuntur, facile hauriendam: "*Ekibaldus* Comes ex promiſſo Comitis, „qui tunc erat advocatus, *chirothecam abſtulit, & „confirmationem digito, ut mos eſt Saxonibus, fecit.*„ Neque quemquam ignorare arbitror, iuris monetandi & mercatus habendi conceſſionem factam olim per *chirothecam* Cæſaream, patriisque moribus comprobatum dixiſſe teſtimonium *Repkovium*. *Nemat nemut nich eynen markit noch münce irhaben ane des richters wille binnen des Gerichte iz legit. Ouch ſol der Küning durch recht ſinen hantſchu dazu ſenden, zu bewiſene, daz iz ſin wille ſi.* 58) Et quid opus eſt hærere, & de avthentia relationis Speculatoris ſubdubitare amplius, ubi ipſa in præſſo eſt ſacratiſſima Imperatoris vox, quam hic integram ex Venerandi *Heumanni Hiſtoria Gottingenſi* re-

 peto.

57) *Script. rer. Septentr. pag. 169.*

58) *Spec. Saxon. Lib. II Art. LXXII; Cod. Quedlinb. pag. 111. edit. Gaertneri. Weichbild LX.*

peto. 59) "*Fridericus II*, Imp. Dei gratia Roma„norum Rex, &c. ſignificamus vobis, talem in „præſentia noſtra per principes & magnates im„perii latam eſſe ſententiam, quodſi alicui *per* „*chirothecam noſtram contulerimus forum annale*, „*aut ſeptimale*, in aliquo loco, quod comes alius „iudex aliquis illius provinciæ, aut non debeat illic „iurisdictionem, vel aliquam poteſtatem puni„endi maleficia, exercere, ſed, ſi forte latro, vel „fur, aut alius maleficus, ad mortem fuerit con„demnatus, evincti ſive iudici provinciali de illo „erit preſentandus ad ſententiæ in eum latæ exe„cutionem. Datum apud *Wimpinam XI Kal.* „*Aug. Ind. V.* 60)

Hæc dum refero, ſententiam viri cuiusdam docti non poſſum ſine obelo dimittere, cui chirothecæ tum in Speculatore, tum in codicillis auguſtalibus, facta mentio monſtri quid alere adeo videtur, ut dandum aliquid ingenio, intelligendumque Cæſareum monogramma (*Handzug*), exiſtimet novaturienti conatu. Quo quidem in labore ut quodam modo proficiat, Chirothecam vocem arguit hybridam ab imperito diplotopæo ex Græco χειρ, & Teutonico *Tecken*, conſarcinatam 61), &, ne quid ex Speculo Saxon. ſibi

59) *Zeit- und Geſchichts-Beſchreib. der Stadt Gœttingen Lib. IV Cap. 4 p. 281.*

60) S. 1218 Diploma in *Regeſtis Diplom.* indicare omiſit *Petr. Georgiſchius Tom. I.*

61) Quod idem eſt, ac ſi quis chirothecam eſſe diceret

ſibi obiiciatur, lectioni communi, vetuſtiſſimisque Codicibus & Manuſcriptis & impreſſis Quedlinburgenſi d. 1260, Berolinenſi d. 1269, Lipſienſi & Auguſtanis d. 1482, 1495, 1501, probatæ, aliam præfert *Zobelii*, pro *Handſcho*, *Standzug* reponentis in verſione Speculi Miſnica. Enimvero, uti hoc ipſum inter exempla merito enumeratur, quæ, bonum *Zobelium*, dialecti Saxonicæ parum peritum, nubem ſæpiuscule pro Junone arripuiſſe, demonſtrant; 62) uti quoque nemo ſagacior, neglecto originali, ſecundum translationem facile litem dabit; ita alteri, de chirotheca in ſenſum monogrammatis (*Handtecken*) explicatæ, ſententiæ ſi non obſtarent alia, hoc certe obſtaret maxime, quod factæ traditionis per *chirothecam ſiniſtram* non ſolum me-

 mine-

ceret ipſum regale ſcriptum Diploma. Conſtat enim, quod *Bullas* & Sigilla *thecas* vocaverit medium ævum. At, ab ſigillis integra inſtrumenta *ſigilla* (quidni adeo & *thecas*, *chirothecas*,) appellata fuiſſe, docent *Lex Allem. Tit.* 27, *Lindenbrogius*, *Cangius*, & *Heineccius de Sigillis pag.* 17.

62) Quidni enim ex *Handaſt* & *Handſcho* &c. exſculpere potuit *Handzeichen*? exemplo aliarum vocum Saxonicarum, quarum ſenſum in vertendo *Zobelium* plane non cepiſſe, utrasque editiones invicem conferenti in oculos incurret, & obſervatum iam eſt ab *Vogtio* noſtrate *Diſſ. de Solennit. pag.* 41, *Hoffmanno de Commun. bonor.* §. 2. *pag.* 6, *Heineccio Hiſtor. Iur.* II, 3) *pag.* 71, *Element. Iur. Germ. Tom.* I *pag.* 223.

minerint, 63) ſed in eius ſynonymis, factam per *Wantum*, ſeu *Quantonem*, *traditionem*, colloca- rint vetuſtæ tabulæ, ex quo quidem verbo nemo ne fidiculis quidem monogrammata exſculpſe- rit, nominumque characteres. Id enim non ſo- lum abunde ex inſigni loco *Notgeri* pateſcit, 64) verum evincunt idem tot chartæ & docu- menta, ex quibus unum alterumque afferre lu- bet. Et primo quidem in ch. 1109, apud *Chiffletium* 65) hæc eſt formula: Secundum „legem Saligam per cultellum, feſtucam noda- „tam, *Quantonem*, & *Quaſonem*, terræ atque ra- „mum arboris legitimum & corporalem veſtitu- ram facimus; nec non in alia an. 1207 apud *Placidum Puccinellum* 66) legitur: „Filii *Ado-* „*nis*

63) E. g. apud *du Freſne l. c. Tom. II pag. 576*, ubi ex fragmento chartæ Santonienſis, hæc referun- tur: „Hoc donum fecit *Gaufridus* Abbatiſſæ „Florentinæ cum quadam *chirotheca* ſiniſtra. At quis hæc ad characterem, ſingulas nominis li- teras vario ordine diſpoſitas exprimentem, re- tulerit, & quis in monogrammatum ſynonymis, a *Nicolao de Not. & ſigil. Cap. XLIII, Baudiſio ad Analyſ. monogrammat. Imp.* & *Mabillonio de Re di- plom. Lib. II Cap. X*, congeſtis, reperit *chiro- thecam*?

64) *Vita S. Hadelini Confeſſor. num. 13* verbis: „Cumque *Wantum manu*, ut moris eſt, legali- „ter tradendo teneret, locum prædictum *cum Wanto, quem tenebat, beato viro contradidit.*

65) *l. c. Cap. VI.*

66) *Iſtoria dell' Eroiche áttioni di Ugo il Grande, Duca*

„nis confirmaſſe donationem præſentem cum „Wantone de dextra tracta & Egenoldo (dona„tario) tradita, quin eisdem formulis fere inſtructa ſunt vetuſta monumenta, apud *Mabillonium,* 67) *Franciſcum Mariam* 68) *Ughellum,* 69) alios. Quæ licet ita comparata ſint, diſſentientium opinionem ut enervent penitus deiiciantque; ne ſingularis tamen videatur chirothecæ apud Germanos rerumque traditionibus ſolum adſtrictus uſus, unicum hoc ſuperpondii loco addam, ſcilicet quod olim in *iudiciis duellitiicis* provocato a provocante in *wadium* oblata ſit *chirotheca,* quam, coram iudice proiectam, appellatus dein, impetrata prius iudicis venia, ſuſtulit, eoque modo ſe conditionem accipere eſt profeſſus. Quod ipſum non ſolum probaveris ex graviſſimis *Matthæi Pariſienſis,* 70) & *Petri*

Duca della Toſcana, di Spoleta, pag. 39, ed. *Milani* 1664, 4.

67) *Annal. Bened. Tom. III pag.* 709.

68) *Memoria di Matilda, la grand Conteſſa d'Italia,* ed. *Luccæ* 1644, 4, *III, pag.* 105. Add. *Gattolam Hiſtor. Caſinenſ. Tom. I pag.* 36, *du Bois Hiſtor. Eccleſ. Pariſ. Tom. I pag.* 476.

69) *l. c. Tom. III pag,* 49, 61.

70) Sic enim ille ad annum 1245: "Quod licet „Comes inſtanter inficiaretur, ſtatim miles ſupra dictus more Francorum chirothecam ſuam „ei porrexit, ſe offerens in propatulo coram „curia id corporaliter ſecundum conſideratio„nem

Cluniacenſis 71) teſtimoniis, verum etiam ex inſigni loco elegantioris de vulpecula Poematis (vulgo *der Reinecke Voſs*), ſub *Ottone IV* Imp. confecti, 72) ſub finem Seculi XIV, auctore *Henrico Alcmarienſi* in Germanicum idioma verſi,

„nem curiæ regaliter probaturum, quam chiro„thecam quaſi duelli vadium oſtenſam Comes „recepit, ſpondens, ſe defendendo dimicaturum „contra ipſum.„

71) *Lib. I de Miracul. pag. 1261*: Iuſſus poſthæc a „iudicibus venire, & ea, quæ dixerat, compro„bare, propius acceſſit, & iterum, quæ dixerat, „cœpta temeritate ſevere dicere, confirmabat. „Cumque inſtaret rurſus, ei iudices præcepe„runt, ut ſecundum morem regionis Gadium, „rei videlicet ab eo probandæ argumentum, „manu propria in eiusdem *Gerardi* prioris po„neret, qui, velut ex bona conſcientia Guantum „in eius manu ponens, ait: Huius, ut dixi, rei „ego teſtis ſum, aliis quoque teſtibus, vel duel„lo, probaturus.„ Plura huius argumenti habes teſtimonia apud *Muratorium S. R. Ital. Tom. II pag.* 74, *XII*, 647, *Cangium*, *Maderum*, *Uptonium*, *Ditmarum*, *Alkemade*, aliosque, qui de duellis & monomachia vet. Germ. ſcripſerunt ex inſtituto. Præſertim vero huc ſpectat formula duelli *D. Hermanni de Bare*, ab *Ephr. Gerhardo de Iudicio duellitico Cap. I §. 5 not. a* exhibita.

72) Meam enim facio doctiſſimam & hiſtoriarum fide ſubnixam ſententiam *Io. Georgii Eccardi*, *Praef. Collect. Leibnitii etymologicis præmiſſa pag. 46 ſeq.* prolixe expoſitam.

verſi, & non ita pridem cura *Hackmanni* typis recuſi, eviceris, quem ex *Lib. IV Cap. 5*, ubi de ſingulari lupi accuſatoris & vulpeculæ certamine agitur, omnesque ritus, qui in his forenſibus certaminibus obſervabantur, eleganter deſcribuntur, hic refero:

Ick eſſche yw to kampe to deſſer tyd
Ick ſpreke, dat gy eyn Vorreder un Mærder ſyd.
Ick wyl mit yw kempen lyff umme lyff
Sus mach eyns endygen unſe kyff,
De uthbüth den Kamp, dat is dat recht,
Eynen Handſchen, deme andern to donde plecht,
Den hebbe gy hyr, nemet to yw
Draden ſchall ſiek dat vinden nu.

Quæ iam reſtant dicenda *de ritu ſuſpendendi chirothecas in ſignum iudicii & iurisdictionis*, de more admallandi per wantum, aliisque negotiis publicis æque ac privatis, per chirothecam apud Germanos explicitis, ſervamus meditationi peculiari, in qua argumentum hoc ulterius perſequemur.

V.

ELEMENTVM EARVM QVANTITATVM, QVÆ IMAGINARIÆ, ITEMQVE IMPOSSIBILES, VOCANTVR.

E TENEBRIS SVIS ERVERE ET TRACTATV FACILIVS REDDERE CONATVS EST

NIC. BVTTNERVS,
SCHOL. STADH. INSP.

Ad Virum Excellentiſſimum, Ampliſſimum, Experientiſſimum,

IO. ANDREAM SEGNERVM,

Philoſophiæ ac Medicinæ Doctorem, Medicinæ, Philoſophiæ Naturalis, & Mathematum, in ſplendidiſſima Georgia Auguſta Profeſſorem Publicum Ordinarium, Societatibus Regiis Londinenſi & Berolinenſi adſcriptum,

Patronum atque Fautorem ſumme colendum, Epiſtola.

Quod diu optavi, ut mihi ad celebritatem Tuam adeundi facultas daretur, nunc eius

eius interventu amici atque opera, qui non minus & ſua vitæ probitate, & Tua potiſſimum acroaſi, eſt ornatiſſimus, quam ex ſobolis Tuæ præſtantiſſimæ inſtitutione Tibi commendatiſſimus, mihique e priſtina diſciplina inter paucos cariſſimus, mirifice lætor contigiſſe, ut & his ad Te literis aditus pateret; & huic, quod ſe Tuo patrocinio tuendum offert, munuſculo non minus a Te benevolentiæ, quam ex Tua benevolentia ornamenti commendationisque, (cuius quantum in luce Tua poſitum ſit, intelligo,) conciliari poſſe ſperarem.

Atque eam ſpem, cum omnem in Tua ſumma humanitate poſitam habeam, tamen illud mirifice auget, quod exiſtimem, quicquid gratiæ atque favoris a Te iniero, id iis Te literis libenter tributurum, quarum & ſcientiam in Te admiror ſummam, & ſtudium atque augmentum quoquo modo Te adiutum velle iudico; cuius etiam me fateor per omnem vitam & amantiſſimum fuiſſe, &, quoad meæ rationes tulere, non indiligentem. Quo in ſtudio tamen non magis amorem illum, quem dixi, quam rationem ipſam, ac pæne dicam neceſſitatem, ſum ſecutus. De mathematica me dicere diſciplina, intelligis. In hac ut parum ſim aſſecutus, tamen adeo me non pœnitet ab optima iſta concinna methodi magiſtra nonnihil eius, quod ad reliquas muneris mei partes redundaret, lucri feciſſe, ut doleam, non ubique noſtris in ſcholis illud antiquum teneri, pro-

letarieque in iis utplurimum omnia tractari, magno quidem literarum detrimento.

Illud mihi videtur, ſecundum ſacroſanctæ religionis pietatiſque præcepta nullius rei maiorem eſſe in omni ludo literario rationem habendam, quam illius, quam commemoravi, diſciplinæ. De qua re cur deſperandum ſit, non video, ſi illa quidem patronos nacta ſit ſatis multos & idoneos. Quo in numero cum Te Tuique ſimiles non poſſim non habere; quid eſt, cur dubitem, quin meo me iure quodam ad Te accedendi non invitus uti patiare? Niſi forte in argumenti mei vel ſumendi, vel tractandi, tenuitate, quod me ab hoc incepto deterrere poſſit, inveniatur. Sed alterum, ni fallor, eſt eiusmodi, ut nihil ſit fere, quod ſciam, in univerſo analyticæ materiæ orbe, quod minus huc usque elaboratum, a ſummis illis ingeniis, quæ hoc in genere ſtudiorum perpoliendo eluxerunt, neſcio quomodo relinquatur. Alterum vero a me, homine non in ſumma aliqua cathedra conſtituto, ultra mediocritatem non magnopere deſideratum iri, arbitror. Non igitur faciendum putavi, ut iſta mea tenuitas meum Tui adeundi conſilium plane inhiberet. Quotusquisque enim non intelligit, quanto maioris res ſit negotii, vel minimam alicuius ſcientiæ particulam, quæ antehac continuis hallucinationibus dubitationibusque obnoxia fuerit, vel penitus illuſtrare, vel id ſaltem mediocriter præſtare, quam integris de iis, quæ iam dudum decocta ſunt,

volu-

voluminibus confectis & prela fatigare, & premere tabernas. Quid? Etiam illud accedit, quod inter eos, quorum opera evolvere per muneris mei laborioſiſſimi occupationes licuit, mathematicos non minus, quam arithmeticos, eosque non vulgares, qui huic materiæ, ut parum attingeret, tantum non vim attulerit, eſſe videtur nemo: a quibus appellandis cum pro argumenti ratione non plane abſtinere poſſe mihi viſus ſum, conſultiſſimum eſſe arbitratus ſum, hanc meam tractationem ut alicui inter eos inſigni, quem mihi occaſio proximum offerret, dedicarem. Atque hoc eo pertinet, ut omnes, hanc περὶ τῶν ἀδυνάτων διάσκεψιν lecturi, intelligant, non me tam præſtantiſſimorum Auctorum, quibus legendis fructum ipſe & maximum ceperim & multo iucundiſſimum, indiligentiam accuſare, quam eorum potius eſſe iudicium velle, quantum lucis huic materiæ iſte meus labor qualiscunque attulerit. Quæ cauſa eſt, quare nec mei argumenti rationem ei, quam Tua mihi humanitas ſpem fecerat, obfuturam eſſe putarem.

Vides, Vir ſumme colende, quibus rationibus adductus non verear, ne ſis vel hoc qualiscunque munuſculum, tanquam ſummæ meæ erga Te obſervantiæ teſſeram, aſpernaturus, vel de grato meo in Te Tuamque benevolentiam mihi tantopere exoptatam animo dubitaturus. Relinquitur, ut is, unde omnia Tua habes & ornamenta & emolumenta, ſummus omnium re-

rum

rum arbiter, noſtræque ſtator ſalutis, eadem illa & Tibi & reipublicæ, una cum vita familiaque Tua præſtantiſſima, ſarta tecta, aucta etiam atque omnibus numeris abſoluta, eſſe velit, mihique Tuo, etiam cum favore Tuo, eſſe liceat, qui pridem cum fama, tum celebritate Tua, ſui

Vir Excellentiſſime,

Tui nominis celeberrimi

D. Hagæ Schaumb.
d. 24 Iul. 1747.

cultor obſervantiſſimus,

Nic. Büttner.

IMPOSSIBIVM ELEMENTVM.

Sectio I. iſagogica.

§. I.

Quævis potentia (1) quantitatis poſitivæ cuiuſcunque poſitiva eſt; (2) negativæ vero (α), quam numerus par exponit, poſitiva, (β) quam impar, negativa.

Demonſtratio 1. Prima propoſitionis pars per ſe, i. e. per definitionem potentiarum ipſam, patet. Quid enim clarius ſit, quam $(a)^n$ vel $(+a)^n$, h. e. a toties combinatum, quot unitates in exponente n continentur, per a^n vel $+a^n$ exhiberi, vel a ad dignitatem n elevatam eſſe a^n. Ita

e. g. $a \times a = a^2 \times a = a^3$; item $a\,a\,a = a^3$ &c.

2. Altera

2. Altera vero æque facile liquet numerum exponentem parem imparemve ad elevationis legem referenti. Ita

α. e. g. $-a \times -a = - - aa = + aa$ vel a^2:
it. $(-a)^{2n}$ * $= (-a \times -a)^n = (-a \times -a)^n = (+a^2)^n = a^{2n}$.

*n hoc loco quemvis numerum integrum, adeoque $2n$ quemvis parem, compendii cauſa, refert.

β. Cum $2n$ par ſit, erit $2n+1$ impar. Eſt vero $(-a)^{2n+1} = (-a)^{2n} \times (-a)^1 = + a^{2n} \times -a^1$ (per α) $= -a^{2n+1}$. ita $-a \times -a \times -a = + a^2 \times -a^1 = + - a^{2+1} = -a$: &c.

Coroll. I. §. 2. (1) Nihil refert, quo exponente quantitas elevanda ſit affecta. Eadem enim ratione, ut ante (§. præc.) erit e. g. $(a^{\frac{r}{s}})^n = a^{\frac{r}{s}n} = a^{\frac{rn}{s}}$; item $(-a^{\frac{r}{s}})^{2n} = + a^{\frac{r \cdot 2n}{s}} = + a^{\frac{2nr}{s}}$; nec non $(-a^{\frac{r}{s}})^{2n+1} = - a^{\frac{r(2n+1)}{s}}$ vel $-a^{\frac{2nr+r}{s}}$.

(2) Quodſi vero exponens elevationis fractus, e. g. $\frac{m}{n}$ vel $m : n$ fuerit, complicata eſt quæſtio *elevationis*, quam numerator, & *extractionis*, quam denominator exponit. Ut neceſſe mihi hoc loco non ſit, hac de conditione pluribus agere: cum (*a*) de numeratore idem valere iudicium debeat, quod iam ſupra (§. I) oſten-

ſum

ſum de numeris integris; (*b*) de denominatore autem quid ſtatuendum ſit, paulo inferius (§. 6 &c.) ſit conſtaturum. Ita e. g.

$$(a)^{\frac{m}{n}} = \sqrt[\frac{n}{m}]{(a)} = \sqrt[n]{(a)^m} \text{: item} -$$

$$a^{\frac{m}{n}} = \sqrt[\frac{n}{m}]{(-a)} = \sqrt[n]{-a^m}.$$

(3) Ceterum, id quod res ipſa loquitur, de fractionibus non æque iis, quæ ad integros numeros reducuntur, atque veris agitur, h. e. de iis quarum reductio ad integros fieri nequit, iisque maxime ad minimos terminos, ſeu ad numeros inter ſe primos, reductis, cum eæ, quæ ad numeros integros redeunt, ex his integris (ſec. §. 1) ſint diiudicandæ,

E. g. $(-a)^{\frac{4}{2}} = (-a)^2 = + a^2$. (§. pr. n. 2. *a*)

Coroll. II. §. 3. (*1*) Quantitatibus itaque omnibus, ſive poſitivis, ſive negativis, commune eſt, ut earum poteſtates numero pari expoſitæ evadant poſitivæ. (§. 1. *Coll. n. 1* & *2*, *a*.)

(*2*) Quantitas autem neque poſitiva, neque negativa, h. e. prorſus nulla, datur, cuius aliqua potentia pari numero expoſita negativa eſſe poſſit.

E. g. $-a^{2n}$ neque ex a, neque ex $-a$, ſervata elevandi lege, prodire poteſt. (per §. 1.)

Coroll.

§. 4. *Coroll. III.* Omnis itaque potentia negativa, per numerum parem expoſita $-a^{2n}$, aliunde, quam per elevationem, negativa evaſerit oportet. Nimirum vel per ſubtractionem, vel per aliquam multiplicationem, aut diviſionem, &c.

E. g. ſi in æquatione $a^2 + x^2 = b$, transponendo feceris $a^2 - b = - x^2$, ex x^2 fit $- x^2$, it. ſi $-a^3$ per a multiplicaveris, habebis $-a^3 \times a = - a^4$; aut, ſi diviſeris, $-a^3 : a = - a^2$.

§. 5. *Coroll. IV.* Quodſi tamen exponens numerus par alicuius quantitatis mixtus, $v \times 2^n$ (ita ut v omnes impares eius aliquotas involvat, h. e. $v = 1, 3, 4, 5$, &c.) exſtiterit (quales ſunt numeri $6 = 3.2$, h. e. 3.2^1 it. $60 = 15.2^2$ &c.): Quantitas eo exponente affecta negativa $- a^{v.2^n}$ ex elevatione $(-a^{2n})^v$, h. e. ipſius $-a^{2n}$ ad dignitatem v oriri potuit. (per §. 1, *num.* 2, β.)

§. 6. *Coroll. V.* Radix exponente, qui par ſit numerus (α) ex quantitate poſitiva indicata vel extrahenda eſt indifferens (per §. 3, *num.* 1,) h. e. vel poſitiva vel negativa, pro poſitiva tamen & potius & ſemper habenda, donec in peculiari caſu ceteræ rationes negativam eſſe dictaverint. (β) ex quantitate negativa, quæ numero pari indicatur, neutrius eſt generis, vel habet contradictionem.

Ut $\sqrt[2n]{a} = \pm a^{\frac{1}{2n}}$ vel etiam $\pm \sqrt[2n]{a}$. $\sqrt[2n]{}$ ante $-a$ notat radicem, quæ haberi nequit.

(2) Radix vero exponente impari indicata ex quantitate poſitiva mere poſitiva, ex negativa mere negativa eſt (per *§. 1, num. 1 & 2, β*)

E. g. $\sqrt[2n+1]{a} = +a^{\frac{1}{2n+1}}$; it. $\sqrt[2n+1]{(-a)} = -a^{\frac{1}{2n+1}}$.

(3) Si quis autem exponens extractionis fuerit fractus, iudicium ex utroque fractionis termino ferendum erit, ut iam ſupra innuimus (*§. 2, num. 2*).

(4) Si denique exponens $V.2^n$ h. e. par mixtus detur radicis ex quantitate negativa educendæ; in anteceſſum iam patet $\sqrt[v.2^n]{(-a)}$ in $\sqrt[2^n]{}\ \sqrt[v]{(-a)}$ reſolvi poſſe.

§. 7. Coroll. VI. Neque adeo ex unitate negativa radix vel poſitiva, vel negativa, datur numero pari expoſita vel indicata. (per *§. 3, num. 1 & §. præc. num. 1, β*).

Ita $\sqrt[2^n]{}$ æque ante -1 atque ante aliam quamcunque negativam $-a$ radicem quantitatemve contradictione laborantem arguit.

Coroll.

§. 8. *Coroll. VII.* Conſultum eſt igitur, ad analogiam conſecutionis tuendam omnem quantitatem ſub ſignum cuiusvis exponentis radicale mittendam (1) expreſſo ſuo vel poſitionis (+) vel negationis (—) ſigno collocare, aut collocatam cogitare, (2) eique ſigno ita præmittere ſignum radicale, ut illud (+ vel —) inter hoc ($\sqrt[n]{}$) & quantitatem ipſam (e. g. a) intercedat, (3) tandemque, quid ex iſto poſitu conficiatur, diſpicere.

Ita ex a radicem $\sqrt[n]{}$ extracturus, primum pone, vel concipe, eandem $\sqrt[n]{+a}$, ex $-a$ vero $\sqrt[n]{-a}$. Reliqua peragentur §. 10.

Sectio II
THEORETICA.
DEFINITIONES.

§. 9. (1) Radix, quæ haberi poteſt, *realis* *, aut

* Primus vocibus, *realis* & *imaginariæ* radicis, ſeu quantitatis, uſus eſt *Ren. Carteſius* in *Geom. Lib. III Sect. II Art. X.* Et, quo ſenſu, ut appareat, e re erit integrum hic locum apponere. Cum enim in præcedentibus de numero & genere radicum ex ſignorum in æquationibus conſecutione determinando atque divinando egerit, ita *l. c.* ſubiicit: *Au reſte tant les vraies racines,* (quas nonnulli & poſitivas ſupra appellant; vid. eiusd.

aut *poſſibilis*, appellatur, quæ non poteſt, *impoſſibilis*, aut *imaginaria*.

Ita ut hæ voces, *impoſſibilis*, *imaginaria*, iſta in tractatione eodem ſemper loco ſint habendæ.

(2) Signum radicale $\sqrt[2n]{\ }$, (h. e. cuius exponens indicativus $2n$ numerus par ſit, cuiusque in locum iſta in tractatione conſtanter $\sqrt[m]{\ }$ ſubſtituetur,) indicans radicem, quæ haberi nequeat, h. e. imaginariam, & ipſum *impoſſibile*, vel *imaginarium*, exponens vero eius $2n$, vel m, tum *exponens impoſſibilis*, vel *imaginarius*, appellatur.

Ita $\sqrt[m]{-a}$ aliquam notat imaginariam.

(3) Et unitas ſigno imaginario ſubiecta *impoſſibilis*, vel *imaginaria* dicatur.

E. g. $\sqrt[m]{-1}$, quam & $\sqrt[m]{-a}$ referet, ſi a per 1 determinetur.

(4) Denique imaginariæ, vel *poſitivæ*, ſunt

ut

eiusd. *Epp.* ed. novæ *Tom. IV*, 18,) *que les fauſſes*, (quas & poſitivas infra) *ne ſont pas toujours réelles; mais quelque foi imaginaires: c'eſt à dire qu'on peut bien toujours imaginer autant que j'ai dit, en chaque équation: mais qu'il n'y a quelque fois aucune quantité, qui correſponde à celle qu'on imagine.*

Poſſibiles impoſſibilesque easdem vocat, inter alios *Newtonus* in Arith. univerſ. paſſim.

ut $\sqrt[m]{-a} = +\sqrt[m]{-a}$, vel negativæ, ut $-\sqrt[m]{-a}$ (Conf. §. 3, *num.* 2,).

§. 10. *Coroll.* I. Apparet itaque:

(1) Iſtos ſignandi modos $\sqrt[m]{a}$, $\sqrt[m]{+a}$, $\pm\sqrt[m]{a}$, vel $\pm a^{\frac{1}{m}}$ ut poſſibilis quantitatis, eſſe eiusdem inter ſe valoris. (§. 6, *num.* 1, *a*).

(2) Iſtos vero $\sqrt[m]{-a}$, & $-\sqrt[m]{a}$ vel $-a^{\frac{1}{m}}$, omnino inter ſe differre, cum $-\sqrt[m]{a} = -a^{\frac{1}{m}}$ poſſibilem negativam, $\sqrt[m]{-a}$ vero impoſſibilem poſitivam (§. *præc.*) repræſentet.

(3) Denique $\sqrt[n]{-a}$ (*n* hoc loco pro impari numero aut pro $2n+1$, §. 1 ſumta), & $-\sqrt[n]{a}$, itemque $-a^{\frac{1}{n}}$; nec non illos $\sqrt[n]{a}$, $\sqrt[n]{+a}$, $a^{\frac{1}{n}}$ denuo coincidere. (§. *cit.*)

§. 11. *Coroll. II.* Solæ itaque $\sqrt[m]{-a}$ ſunt imaginariæ, & $\sqrt[m]{-}$ ſignum imaginarium, *m* vero exponens imaginarius, ſi $\sqrt[m]{}$ ante negationis — ſignum poſitum fuerit. (§. 9, *num.* 1, & §. *præc.*)

§. 12. *Coroll. III.* Imaginariæ certa ratione irrationalium ordini accenſendæ, vel *plus quam irrationales* *, ſunt. Ut ferenda ſit irrationalium in *poſſibiles* & *impoſſibiles* diviſio. Eodem prorſus modo, ut irrationales poſſibiles pro altera poſſibilium quantitatum ſpecie ſunt habendæ.

Scholium. §. 13. Iis, qui in imaginariis verſantur, aliunde iam de poſitivitatis atque negativitatis, itemque de elevationis atque extractionis, theoria, ac proinde de iis omnibus, quæ hactenus in ſequentem uſum ex illa theoria nominatim repetivimus, conſtare debet. (2) Itemque illud recordari meos Lectores velim, (*a*) ſignum radicale exponente affectum unitatem referente, e. g. $\sqrt[1]{}$, $\sqrt[\frac{m}{m}]{}$, cuicunque quantitati præponatur, eius valorem nihil immutare, & e. g. $\sqrt[1]{a}$, $\sqrt[\frac{m}{m}]{a}$, a inter ſe pro lubitu atque uſu ſubſtitui poſſe; (*b*) nec non illud, quod iam ſupra (§. 2.) uſurpavimus, eſſe $\sqrt[\frac{m}{n}]{a}$ & $a^{\frac{n}{m}}$ eiusdem ſigni-

* Non enim verendum puto, ne æque incommode imaginariæ dicantur *plus quam irrationales*, atque *Walliſius* in *Ar. infin. Prop.* 101 & 104 *plus quam infinitas* eas appellavit quantitates, quæ rationem, quæ eſt inter poſitivas & negativas, exponunt, quem errorem emendatum a ſummo *Varinione* vid. *dans les Mem. de l'Acad. R. des Sc. à Paris, l'an* 1706, *pag.* 69 *ſeq.*

ſignificationis. Sicut enim $m = \frac{m}{1}$, adeoque $\sqrt[m]{a} = \sqrt[\frac{m}{1}]{a} = a^{\frac{1}{m}}$; ità neceſſario ſequetur & $a^{n} = a^{\frac{n}{1}} = \sqrt[\frac{1}{n}]{a}$, & omnino $a^{\frac{m}{n}} = \sqrt[\frac{n}{m}]{a}$ eſſe. &c. (c) Denique & perinde eſſe, ſive $\sqrt[m]{-a} = +\sqrt[m]{-a}$, ſive $+1 \times \sqrt[m]{-a}$, &c. poſueris; nec non $-\sqrt[m]{-a} = -1 \times \sqrt[m]{-a}$ vel $-1\sqrt[m]{-a}$ eſſe. (3) Quare & nos in ſequentibus ſemper ad quantitatem, quæ ſub ſigno eſt radicali, ſive poſſibili, ſive impoſſibili, reſpicientes, eius exponentis ſigno radicali impoſiti eum terminum, qui alioqui *numerator* dicitur, *denominatorem* & *v. v.* appellabimus, ſive, quod perinde eſt, $\sqrt[m]{-a}$, ſemper ut $(-a)^{\frac{1}{m}}$, vel $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a}$ ut $(-a)^{\frac{n}{m}}$ conſiderabo, atque in utrolibet poſitu *n* mihi numerator, *m* vero denominator, & erit, & dicetur. (4) Denique, id quod exinde conſequitur, ſigna $\sqrt[\frac{m}{n}]{}$, $\sqrt[\frac{n}{t}]{}$, ad eandem denominationem reducta erunt $\sqrt[\frac{mu}{nu}]{}$, $\sqrt[\frac{mu}{mt}]{}$. &c. Nos harum rerum in iis, quæ adduximus, perſpicuitatem,

in iis, quæ prætermiſimus, brevitatem ſecuti, nunc ad reliqua, quæ nobis potiſſimum propoſuimus, pergendum eſſe cenſemus.

§. 14. *Axioma.* $(\sqrt[m]{-a})^{m} = \sqrt[\frac{m}{m}]{-a} = -a$. Hoc eſt: Quantitas $-a$, quæ ſub ſigno imaginario $\sqrt[m]{\;\;}$ eſt, ab eodem liberatur, & in integrum reſtituitur, elevando $\sqrt[m]{-a}$ ad dignitatem, quam m (exponens impoſſibilis ipſius $\sqrt[m]{-a}$) exponit.

E. g. $(\sqrt[2]{-a})^{2} = \sqrt[\frac{2}{2}]{-a} = \sqrt[1]{-a} = -a$. (vid. *§. pr. num. 2.*)

it. $(\sqrt[4]{-a})^{4} = \sqrt[\frac{4}{4}]{-a} = \sqrt[1]{-a} = -a$.

§. 15. *Coroll. I.* Erit & $(-\sqrt[m]{-a})^{m} = + \sqrt[\frac{m}{m}]{-a}$ (*§. 9, num. 5, coll. §. 1, num. 2, β*) erit $= + \sqrt[1]{-a} = + -a = -a$.

Non ſecus ac $(a)^{m} = (-a)^{m} = a^{m}$, m pro numero pari ſumta *§. 9, num. 2.*

§. 16. *Coroll. II.* Ergo v. v. poſito m & v utroque numero pari, $\sqrt[v]{\;}\sqrt[m]{-a}$, h. e. $\sqrt[v]{\;}$

$\sqrt[v]{(\sqrt[m]{-a})} = \pm\sqrt[vm]{-a}$. (per §. 14, 15, coll. §. 6 & §. 9, num. 4.)

Nam non ſecus atque $\sqrt[v]{}$ ante x poſitivam collocatum efficiet $\pm\sqrt[v]{x}$ vel $\pm x^{\frac{1}{v}}$ (per hypoth.), etiam $\sqrt[v]{}$ impoſſibili poſitivæ præpoſitum faciet $\pm\sqrt[vm]{-a}$.

§. 17. *Coroll. III.* Nec non $\sqrt[v]{(-\sqrt[m]{-a})}$ vel $\sqrt[v]{-\sqrt[m]{-a}} = \sqrt[v]{(-1\times\sqrt[v]{-a})}$ (§. 13, num. 3.) $= \sqrt[v]{-1}\times\sqrt[v]{\sqrt[m]{-a}} = \sqrt[\frac{mv}{v}]{-1}\times\sqrt[\frac{vm}{1}]{-a}$.

Cuius ulterior reductio dabitur inferius (§. 42).

§. 18. *Coroll. IV.* Tandem æquivalentes erunt, quæ ſub ſingulis numeris 1, 2, 3 ſequentur expreſſiones.

1. $+a = -a\times\sqrt[\frac{m}{m}]{-1} = a\times-\sqrt[\frac{m}{m}]{-1}$

vel $a\times-1\times\sqrt[\frac{m}{m}]{-1}$.

2. $-a = +a\times\sqrt[\frac{m}{m}]{-1} = -a\times-\sqrt[\frac{m}{m}]{-1}$

vel $-a\times-1\times\sqrt[\frac{m}{m}]{-1}$

3. $+a = -1 \times \sqrt[\frac{m}{m}]{-a} = -\sqrt[\frac{m}{m}]{a}$ pertinet adhuc ad *num.* 1.

§. 19. *Theorema* I. $(\sqrt[m]{-a})^{mn} = \sqrt[\frac{m}{mn}]{-a} = \sqrt[\frac{1}{r}]{-a} = \pm a^{\frac{1}{n}}$. h. e. Si qua imaginaria $\sqrt[m]{-a}$ ad dignitatem elevetur, cuius exponens *mn*, i. e. aliquis multiplex imaginarii exponentis *m* ſit: imaginaria per aliquotam *m* ad $-a$ reſtituitur, & adhuc per alteram *n* ad dignitatem $\pm a^n$ elevatur, quæ $+$ i. e. poſitiva eſt, ſi *n* numerus par ſit, vel $-$ i. e. negativa, ſin impar.

Demonſtratio. 1. Patet eſſe $(\sqrt[m]{-a})^{mn} = ((\sqrt[m]{-a})^m)^n$ (§. 5) $= (\sqrt[\frac{m}{m}]{-a})^n$ (§. 14) $= (\pm a)^n = \pm a^{\frac{1}{n}}$. (§. 1 *num.* 2), vel, quod eodem recidit, $(\sqrt[m]{-a})^{mn} = \sqrt[\frac{1}{mn}]{\sqrt[m]{-a}}$ (ut §. 16) $= \sqrt[m.\frac{1}{mn}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{mn}]{-a} = \sqrt[\frac{1}{n}]{-a}$. &c.

2. Vel ita: Cum ex analogia §. 14 ſit $(\sqrt[m]{-a})^{mn} = \sqrt[\frac{m}{mn}]{-a} = \sqrt[\frac{1}{n}]{-a}$: apparet, cum

cum exponens impoſſibilis exſpiraverit, $\sqrt[\frac{1}{n}]{-a}$ non amplius eſſe imaginariam, adeoque $\pm\sqrt[\frac{1}{n}]{a}$ vel $\pm a^{n}$. (*§. 1, num. 2,* it. *§. 10, num. 3.*)

$$\text{E. g. } (\sqrt[2]{-a})^{4} = \sqrt[\frac{2}{4}]{-a} = \sqrt[\frac{1}{2}]{-a} = +a^{2},$$

$$\text{i. e. } \sqrt[\frac{2}{2}]{-a} \times \sqrt[\frac{2}{2}]{-a} = -a \times -a = +a^{2}.$$

$$\text{it. } (\sqrt[2]{-a})^{6} = \sqrt[\frac{2}{6}]{-a} = \sqrt[\frac{1}{3}]{-a} = -a^{3}.$$

$$\text{i. e. } \sqrt[\frac{2}{2}]{-a} \times \sqrt[\frac{2}{2}]{-a} \times \sqrt[\frac{2}{2}]{-a} = -a^{3}. \text{ \&c.}$$

Coroll. I. §. 20. Licebit itaque imaginariam quamlibet ad quamcunque evehere dignitatem, eamque dignitatem ita exprimere, ut eius exponens impoſſibilis ſit quotiens exponentis impoſſibilis quantitatis datæ per exponentem elevationis diviſi. (per *§. præc.*)

Coroll. II. §. 21. Habebis itaque ſeries dignitatum impoſſibilis radicis, ſeu quantitatis, $\sqrt[m]{-a}$, literis A, B, & ipſius $-\sqrt[m]{-a}$ per C indigitatas.

A. &c. $\sqrt[\frac{m}{-2}]{-a} . \sqrt[\frac{m}{-1}]{-a} . \sqrt[\frac{m}{0}]{-a} . \sqrt[\frac{m}{1}]{-a} .$
$\sqrt[\frac{m}{2}]{-a} .$ &c. $= B.$

B. &c. $\sqrt[\frac{-m}{+2}]{-a} . + \sqrt[\frac{-m}{+1}]{-a} . , . \sqrt[\frac{-m}{-1}]{-a} . -$
$\sqrt[\frac{-m}{-2}]{-a}$ &c.

C. &c. $+ \sqrt[\frac{m}{-2}]{-a} . - \sqrt[\frac{m}{-1}]{-a} . - \sqrt[\frac{m}{-1}]{-a} .$
$+ \sqrt[\frac{m}{-2}]{-a}$ &c.

Coroll. III. §. 22. Cum ſit $(\sqrt[m]{-a})^{n}$
$= \sqrt[\frac{m}{n}]{-a}$. (§. 20): ſi $\frac{m}{n}$ ſit numerus integer q,
quantitas $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a} = \sqrt[q]{-a}$ vel impoſſibilis erit, vel poſſibilis, pro numeri q vel paritate, vel imparitate. (per §. 6 & 10.)

E. g. 1. $\sqrt[\frac{4}{2}]{-a} = \sqrt[2]{-a}$, impoſſibilis,

2. $\sqrt[\frac{6}{2}]{-a} = \sqrt[3]{-a}$ poſſibilis $= -a^{\frac{1}{3}}$.

Coroll. IV. §. 23. Si $\frac{m}{n}$ vera fractio fuerit,

rit, eaque in numeris inter ſe primis (§. 2, num. 3), quo in caſu per hypotheſin ipſius m, numeri paris (§. 9, num. 2,) n neceſſario impar eſt. $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a}$ plane erit imaginaria, (ac poterit tandem, ſi $m < n$, eius aliqua reductio ulterior, fieri inferius §. 39 docenda.)

E. g. $\sqrt[\frac{4}{3}]{-a}$, $\sqrt[\frac{2}{3}]{-a}$ ſunt imaginariæ (§. 10), & quidem utraque tertia potentia, illa ipſius $\sqrt[4]{-a}$, hæc ipſius $\sqrt[2]{-a}$ (§. 20).

§. 24. *Coroll. V.* Quodſi $\frac{m}{n}$ (§. 22), ſit $=\frac{nt}{nr}=\frac{t}{r}$, ita ut t & r numeri ſint inter ſe primi: ſi (α) t numerus par fuerit, e. g. in $\sqrt[\frac{8}{6}]{-a}=\sqrt[\frac{4}{3}]{-a}$; tum quidem $\sqrt[\frac{t}{r}]{-a}$ (pro $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a}$ capienda) nihil differt ab eo caſu, qui erat §. præc. Sin (β) t ſit impar e. g. in $\sqrt[\frac{6}{8}]{-a}=\sqrt[\frac{3}{4}]{-a}$; tum vero $\sqrt[\frac{t}{r}]{-a}$ $(=\sqrt[\frac{m}{n}]{-a})$ ad $-\sqrt[\frac{t}{r}]{a}$ vel $-a^{\frac{r}{t}}$ (§. 13,) tranſit. (§. 10.)

§. 25. *Coroll. VI.* Denique, ſi $\frac{m}{n}=\frac{s}{r}$

fuerit,

fuerit, $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a} = \sqrt[\frac{1}{r}]{-a}$ ad $\pm \sqrt[\frac{1}{r}]{a} = \pm a^{\frac{1}{r}}$ redit (§. 19), adeoque $\sqrt[\frac{m}{n}]{-1} = \sqrt[\frac{1}{r}]{-1} = \pm 1^{\frac{1}{r}} = \pm 1$.

Id quod bene notandum. Eſt enim aeque

$$\sqrt[r]{1} \text{ atque } 1^{r} = 1, \text{ atque omnino } 1^{\frac{r}{r}} = 1.$$

§. 26. *Theorema II.* $\sqrt[\frac{m}{f}]{-a} \times \sqrt[\frac{m}{g}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{f+g}]{-a}$. h. e. Exponens producti binarum impoſſibilium, quarum exponentes ſint eiusdem denominationis (eo ſenſu quem ſupra §. 13, *num.* 4, ſuppoſuimus) habet denominatorem m cum factoribus communem, numeratorem vero $f+g$ ex numeratoribus factorum f & g collectum, vel compoſitum.

Demonſtratio. Eſt enim $\sqrt[\frac{m}{f}]{-a} \times \sqrt[\frac{m}{g}]{-a} = (\sqrt[m]{-a})^{f} \times (\sqrt[m]{-a})^{g}$ (§. 20) $= (\sqrt[m]{-a})^{f+g}$ (per §. 1) $= \sqrt[\frac{m}{f+g}]{-a}$ (§. 19). *Q. E. D.*

Ita

Ita e.g. $\sqrt[2]{-a} \times \sqrt[\frac{2}{3}]{-a} = \sqrt[\frac{2}{1}]{-a} \times \sqrt[\frac{2}{3}]{-a}$

$= \sqrt[\frac{2}{1+3}]{-a} = \sqrt[\frac{2}{4}]{-a} = \sqrt[\frac{1}{2}]{-a}$, ac denique per §. 19 $= +a^2$.

it. $\sqrt[4]{-a} \times \sqrt[2]{-a} = \sqrt[\frac{4}{1}]{-a} \times \sqrt[\frac{4}{2}]{-a}$

(§. 13, *num.* 4.) $= \sqrt[\frac{4}{3}]{-a}$. Conf. & §. 18.

it. $(\sqrt[2]{-a}) \times a = +1 \sqrt[\frac{2}{1}]{-a} \times - \sqrt[\frac{2}{2}]{-a}$

(§. *cit.*) $= - \sqrt[\frac{2}{3}]{-a}$.

§. 27. *Coroll. I.* Si $f + g = m$, adeoque $m - f = g$, & *v. v.* $m - g = f$; erit

1. $\sqrt[\frac{m}{f}]{-a} \times \sqrt[\frac{m}{g}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{m}]{-a} = -a$ (§. 14.)

2. $\sqrt[\frac{m}{m-f}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{g}]{-a}$ complementum ad $\sqrt[\frac{m}{f}]{-a}$ ipſius $-a$ reſtituendæ; cum ſit

$\sqrt[\frac{m}{f}]{-a} \times \sqrt[\frac{m}{m-f}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{f+m-f}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{m}]{-a} = -a$.

3. $\sqrt[\frac{m}{mn+f}]{-a} \times \sqrt[\frac{m}{g}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{mn+f+g}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{mn+m}]{-a} =$

$\sqrt[\frac{1}{n+1}]{-a} = +a^{n+1}$.

Coroll.

§. 28. *Coroll. II.* Ponatur $\frac{n}{m} = q + \frac{r}{m}$, ita ut q ſit numerus integer & $r < m$, adeoque $n > m$, & $n = mq + r$. Sequitur $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{mq+r}]{-a}$ $= (\sqrt[m]{-a})^{mq+r}$ (§. 19.) $= (\sqrt[m]{-a})^{mq} \times (\sqrt[m]{-a})^{r}$ (§. 26) $= \pm a^{q} \times \sqrt[\frac{m}{r}]{-a}$ (§. 19) h. e. $+ a^{q} \sqrt[\frac{m}{r}]{-a}$, ſi q numerus par ſit, $- a^{q} \sqrt[\frac{m}{r}]{-a}$, ſin impar fuerit. Ex quo conſequitur illud (quod tamen integro theoremate demonſtrandum §. 35 reſervamus, & h. l. inſtar præiudicii habemus,) $\sqrt[m]{-a} = a^{\frac{1}{m}} \sqrt[m]{-1}$ eſſe.

Ita e. g. $\sqrt[\frac{2}{3}]{-a} = -a \sqrt[2]{-a}$. item $\sqrt[\frac{2}{9}]{-a}$ $= + a^{2} \sqrt[2]{-a}$.

§. 29. *Coroll. III.* Hoc in caſu (§. *præc.* poſito) itaque $\sqrt[\frac{m}{m-r}]{-a}$ erit complementum ad $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a}$ ſive $\sqrt[\frac{m}{r}]{-a}$ ipſius $\pm a^{q+r}$ vel $-a$ reſtituendæ. Nimirum

$$1.\ \sqrt[\frac{m}{n}]{-a} \times \sqrt[\frac{m}{m-r}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{m-r+n}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{mq+m}]{-a} =$$

$$\sqrt[\frac{1}{q+1}]{-a} = \pm a^{q+1} \quad (\text{§. } 19)$$

$$2.\ \text{Et } \sqrt[\frac{m}{r}]{-a} \times \sqrt[\frac{m}{m-r}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{r+m-r}]{-a} = \sqrt[\frac{m}{m}]{-a}$$

$$= -a \quad (\text{§. } 14.)$$

§. 30. Coroll. IV. Liquebit adeo, non dari proprie imaginarias, quarum denominatio (eo ſenſu, quem ſupra §. 13 condiximus,) excedatur a numeratore, cum $\frac{m}{n}$ in caſu $m < n$ ſemper ad $\frac{m}{r}$ reducatur (*§. 28, 29.*).

§. 31. Theorema III. Sit t numerus impar $= 1, 3, 5, 7$ &c. erit $\sqrt[m]{-a} = \sqrt[m]{-a^{\frac{1}{t}}}$.

Demonſtratio. Eſt $\sqrt[mt]{-a} = \sqrt[m]{\sqrt[t]{-a}}$ (*§. 16*) $= \sqrt[m]{(\sqrt[t]{-a})}$ & pro hypotheſi noſtra $\sqrt[t]{-a} = -a^{\frac{1}{t}}$: (*§. 19*) : ergo $\sqrt[mt]{-a} = \sqrt[m]{-a^{\frac{1}{t}}}$ &c. (Conf. etiam *§. 5.*). Q. E. D.

§. 32. Coroll. V. cum defin. Accipiatur v. 2^n eodem ſenſu, quo ſupra (*§. 5*), ut ſit $v = 1, 3, 5, 7$, &c. $2^n = 2, 4, 8$, &c. erit

$\sqrt[v.2^n]{-a}$ expreſſio omnis generis vel gradus imaginariarum (ſc. quod ad exponentis impoſſibilis denominationem attinet), quas *puras* appellabimus, ſi $v = 1$, adeoque tum $\sqrt[v.2^n]{-a} = \sqrt[2^n]{-a}$, *impuras* ſi $v = 3, 5, 7$ &c. & hoc in caſu pro $\sqrt[v.2^n]{-a}$ (i. e. ipſa quantitas iſta expreſſione repræſentata) ſemper $\sqrt[2^n]{-a}^{\frac{1}{v}}$ (*§. præc.*) ſubſtituetur. Id quod ex analogia §. 5 patet.

§. 33. *Coroll. II.* Erit itaque $\sqrt[v.2^n]{-1}$ $(= \sqrt[v.2^n]{-1}^{\frac{1}{v}}$ *§. pr.*$) = \sqrt[2^n]{-1}$ (§. 25.)

E. g. $\sqrt[6]{-1} = \sqrt[3.2]{-1} = \sqrt[2]{-1^{\frac{1}{3}}}) = \sqrt[2]{-1}$.
ubi $v = 3$, $2^n = 2^1$.

§. 34. *Coroll. III.* Poſito t denuo numero impari; ab illo v tamen diverſo; erit $\sqrt[\frac{v.2^n}{t}]{-1}$ $= \sqrt[\frac{2^n}{t}]{-1} = \sqrt[\frac{2^n}{1}]{-1^t} = \sqrt[2^n]{-1}$. (Conf. §. 25.)

Sic e. g. $\sqrt[\frac{6}{5}]{-1} = \sqrt[\frac{2.3}{5}]{-1} = \sqrt[\frac{2}{5}]{-1} = +\sqrt[2]{-1}$.

it.

it. $\sqrt[-\frac{12}{5}]{-1} = \sqrt[\frac{4\cdot 3}{5}]{-1} = \sqrt[\frac{4}{5}]{-1} = -\sqrt[4]{-1}$.

§. 35. Theor. IV, cum defin. $\sqrt[m]{-a}$ $[= \sqrt[m]{(+a \times -1)}] = \sqrt[m]{+a} \times \sqrt[m]{-1}$ $= a^{\frac{1}{m}} \sqrt[m]{-1}$.

Hoc eſt:

1. Quælibet quantitas *a*, quæ eſt ſub ſigno imaginario $\sqrt[m]{-1}$ ſuam habet unitatem imaginariam $\sqrt[m]{-1}$, a qua liberari, & ſuo exponente (qui hoc loco *1* eſt) per exponentem impoſſibilem *(m)* diviſo (h. e. ſub exponente *1 : m*, vel ſi a^r detur, ſub *r : m*) ante ſignum vel unitatem impoſſibilem $\sqrt[m]{-1}$ ſuam ſeorſum poni poteſt.

2. *V.* v. $\frac{1}{m}$ ipſius $a^{\frac{1}{m}}$ ante $\sqrt[m]{-1}$ poſitæ exponente per exponentem impoſſibilem *m* multiplicato, quæ ante $\sqrt[m]{-1}$ erat quantitas $a^{\frac{1}{m}}$, rurſum ſub ſignum ſuum retroducitur & revocatur. *§. 13.* Conf. etiam, quæ hunc in caſum *§. 28* præmonuimus.)

Def. 1. Prius illud, cum $\sqrt[m]{-a}$ ad $a^{\frac{1}{m}}\sqrt[m]{-1}$ reducitur, dicemus in poſterum, *impoſſibilem explicari.*

2. Poſterius, cum $a^{\frac{1}{m}}\sqrt[m]{-1}$ ad $\sqrt[m]{-1}$ reducitur, *eandem implicari.*

Ita e. g. $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a^{\frac{k}{l}}} = a^{\frac{ka}{lm}}\sqrt[\frac{m}{n}]{-1}$. generatim

$\sqrt[m]{-a^{r}} = a^{\frac{r}{m}}\sqrt[m]{-1}$. ſpecialius

$\sqrt[2]{-a^{2}} = a^{\frac{2}{2}}\sqrt[2]{-1} = a\sqrt{-1}$. ſingulariter.

Demonſtratio. Medium demonſtrandi terminum parentheſi incluſum nemo oculatus non videt. Nimirum $\sqrt[m]{+a} = a^{\frac{1}{m}}$, & $-a = +a \times -1$, ergo $\sqrt[m]{-a} = a^{\frac{1}{m}}\sqrt[m]{-1}$. Q. E. oſtend.

§. 36. *Coroll. I.* Ergo $\sqrt[v.2^{n}]{-a} = a^{\frac{1}{v.2^{n}}}\sqrt[v.2^{n}]{-1} = a^{\frac{1}{v.2^{n}}}\sqrt[2^{n}]{-1}$ (§. 33.) $= \sqrt[2^{n}]{-a^{\frac{1}{v}}}$.

Quod cum ex parte ipſius $\sqrt[2^{n}]{-a^{\frac{1}{v}}}$ iam ſuperius (§. 24.) ſit oſtenſum, tanto magis ad confirmandam proximi theorematis cum ſuperioribus analogiam & convenientiam pertinet.

§. 7. *Coroll. II.* Patet ſimul $\sqrt[2]{(-a\times -1)}$ =

$= \sqrt[m]{+a} = \pm \sqrt[m]{a}$ vel $\pm a^{\frac{1}{m}}$; altero vero reductionis caſu, eoque ſequiore, $\sqrt[m]{(-a \times -1)} = \sqrt[m]{-a} \times \sqrt[m]{-1} = a^{\frac{1}{m}} \sqrt[m]{-1} \times \sqrt[m]{-1}$ (per §. 25.) $= a^{\frac{1}{m}} \sqrt[\frac{m}{2}]{-1}$ (§. 26.) $= \sqrt[\frac{m}{2}]{-a^{\frac{1}{2}}}$, & in caſu $m = 2$, $\sqrt[2]{(-a \times -1)} = \sqrt[\frac{2}{2}]{-a^{\frac{1}{2}}} = -a^{\frac{1}{2}}$. (§. 14).

§. 38. Scholium. Hoc (*§. præc.*) mirari * deſinent, qui iam concoxerint confinem in poſſibilibus caſum, $\sqrt[m]{a}$ æque $+a^{\frac{1}{m}}$ eſſe atque $-a^{\frac{1}{m}}$ (*§. 6, num. 1*). Itemque $\sqrt[\frac{4}{3}]{-a} = (-a)^{\frac{3}{4}}$ (*§. 2, num. 2.*) $= \sqrt[\frac{8}{6}]{-a}$. Enim-

* Solent omnino negativæ quantitates menti noſtræ, priusquam uſu earum ſatis aſſuefacti ſimus, negotium faceſſere. Ita *le R. P. Preſtet dans ſes Nouveaux El. des Mathem. 2d Vol. pag. 636*, (edit. 3æ) *J'ay*, inquit, *ſouvent obſervé, que des perſonnes même d'un eſprit vif et fort éclairé ne pouvoient ſe former qu' avec peine une idée diſtincte de la nature des racines ou des grandeurs negatives, & que les imaginaires les eclairceſſoient beaucoup d'avantage* - - - Qui locus, usque ad *pag. 372* pertinens, lectu non minus utilis, quam iucundus, eſt.

vero $\sqrt[\frac{4}{3}]{-a}$ certo reſpectu etiam eſt $\sqrt[4]{(-a)^3}$ $=\sqrt[4]{-a^3}$, itemque $\sqrt[\frac{8}{6}]{-a} = \sqrt[8]{(-a)^6} =$ $\sqrt[8]{+a^6} = a^{\frac{3}{4}}$, nimirum reductione ſequiore, ſumta $\sqrt[4]{(-a)^3}$ pro $\sqrt[\frac{4}{3}]{-a}$ ad analogiam $\sqrt[\frac{4}{3}]{+a}$ $= \sqrt[4]{+a^3}$ vel $\sqrt[4]{a^3}$; cum potius $\sqrt[\frac{4}{3}]{-a}$ ſit mere imaginaria. (§. 24.) Tantum abſit, ut pugna illa, quæ in §. *præc.* videtur, quempiam ab certitudine eorum, quæ iam ſunt, ni fallor, demonſtrata, abſterrere debeat. Dubito, an aliquid eius ſimile ſit in diverſitate radicum peculiaribus in caſibus ex circumſtantiis diſtinguenda. E. g. ſi propoſita ſit proportio $a : \overline{x - b} = x : -c$, habetur æquatio $-ac = x^2 - bx$; ſin $a : \overline{b - x} = x : c$, altera illa hrbetur $bx - x^2 = ac$. Adeoque & hic $x^2 - bc = -ac$. Erunt igitur utriusque æquationis radices communes (1°) $x = \frac{1}{2}b + \sqrt{\frac{1}{2}bb - ac}$, & $x = \frac{1}{2}b - \sqrt{\frac{1}{4}bb - ac}$. At illa priore, iſta in poſteriore potius valebit; ut iis, quorum ſtudium in æquationibus reſolvendis eſt verſatum, non poteſt non conſtare.

§. 39. *Coroll. III.* Sit (ut ſupra §. 27,) $\frac{n}{m} = q + \frac{r}{m}$; conſequens eſt, eſſe $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a}$

$$= \pm a^q \times \sqrt[m]{-a} = \pm \sqrt[\frac{m}{r}]{-a^{\frac{mq}{r}} \times a}$$

$$= \sqrt[\frac{m}{r}]{-a^{\frac{mq+r}{r}}}, \text{ vel } \sqrt[\frac{m}{r}]{-a^{\frac{n}{r}}}.$$

$$\text{E. g. } \sqrt[\frac{2}{5}]{-a} = a^{\frac{5}{2}} \sqrt{-1} \ (\text{§. 25,}) = \sqrt[2]{-a^5}.$$

$$\text{it. } \sqrt[\frac{4}{7}]{-a} = a^{\frac{7}{4}} \sqrt[\frac{4}{3}]{-1} = \sqrt[\frac{4}{3}]{-a^{\frac{7}{3}}}.$$

§. 40. *Coroll. IV.* Ergo porro $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a} \times \sqrt[\frac{m}{m-r}]{-a} = \pm a^{q+1}$. Quod ipſum cum iam ſupra (§. 29) claruerit, h. l. ad probandam analogiam facit.

§. 41. *Coroll. V. cum defin.* Cum igitur imaginariae quaecunque a ſuis pendeant unitatibus (§. 35 ſq.), quarum expreſſio, qua denominationem, univerſalis eſt $\sqrt[\frac{n}{2}]{-1}$ (§. 23,) quas liceat *reductas*, vel etiam *explicitas*, (§. 35,) aut *abſolutas*, appellare: ſequitur hoc καθολικόν, in gradus imaginarias recte dividi, quorum exponentes ſeu characteres diſtinctivi ſunt binarii

numeri potentiæ, $2^n = 2^{1,2,3,\&c.}$ vel 2, 4, 8, &c. (Conf. §. 32.) *

§. 42. *Theorema V.* $\sqrt[v]{-\sqrt[m]{-a}} = \sqrt[\frac{vm}{m}]{-1} \times \sqrt[\frac{mv}{1}]{-a}$ (§. 17.) porro $= \sqrt[\frac{mv}{v}]{-1} \times a^{\frac{1}{vm}} \sqrt[\frac{mv}{1}]{-1}$ (§. 13 & 35.) $= a^{\frac{1}{v.m}} \sqrt[\frac{m+1}{1}]{-1}$ (§. 26.) $= \sqrt[\frac{vm}{m+1}]{-a^{\frac{1}{m+1}}}$ §. 35, *num.* 2.)

Demonſtratio. Ipſe deducendi modus pro demonſtratione eſt. Operæ tamen fuerit pretium h. l. in modum examinis inſuper oſtendere $(\sqrt[v]{-\sqrt[m]{-a}})^v = (\sqrt[\frac{mv}{m+1}]{-a^{\frac{1}{m1}}})^v$ eſſe, quod facile pateat. Nam, cum (1) $(\sqrt[v]{-\sqrt[m]{-a}})^v = -\sqrt[m]{-a}$ (§. 14); (2) $(\sqrt[\frac{mv}{m+1}]{-1^{\frac{1}{m+1}}})^v = \sqrt[\frac{mv}{v(m+1)}]{-a^{\frac{1}{m+1}}} = \sqrt[\frac{m}{m+1}]{-a^{\frac{1}{m+1}}} = -a^{\frac{1}{m}} \sqrt[m]{-1}$ (§. 35 & 33.) $= \sqrt[m]{-a}$ (§. 35, *num.* 2.) ſequitur,

* Hæc quodammodo odoratus eſt item ille *Preſtetus*, homo ſagaciſſimus, l. ſuperius c. ſed magis inductive & indirecte, minusque univerſaliter, & ſine ... demonſtratione, quam a priori, ſi voluiſſet, iam priore volumine dare debuerat.

tur, ut $(\sqrt[v]{-\sqrt[m]{-a}})^v = (\sqrt[\frac{mv}{m+1}]{-a^{\frac{1}{m+1}}})^v$ ſit; id quod oſtendendum erat. Relinquitur ergo

$$\sqrt[v]{-\sqrt[m]{-a}} = \sqrt[\frac{mv}{m+1}]{-a^{\frac{1}{m+1}}}.$$

§. 43. *Corollarium.* In hoc caſu (§. *praec.*) ſemper alteruter exponens impoſſibilis alterius multiplex ſubmultiplexve ſit, neceſſe eſt (per §. 34 & 39). Ponatur itaque $m = rv$; erit $\frac{rv}{r} = v = \frac{m}{r}$, adeoque $\sqrt[v]{-\sqrt[m]{-a}} = \sqrt[\frac{mv}{m+1}]{-a^{\frac{1}{m+1}}} = \sqrt[\frac{v^2r}{vr+1}]{-a^{\frac{1}{vr+1}}}$. Et $\sqrt[m]{-\sqrt[v]{-a}} = a^{\frac{1}{mv}} \times \sqrt[\frac{mv}{v+1}]{-1} = \sqrt[\frac{mv}{v+1}]{-a^{\frac{1}{v+1}}} = \sqrt[\frac{v^2r}{v+1}]{-a^{\frac{r}{v+1}}}$.

Sectio III.

P R A C T I C A.

§. 44. *Problema I.* Determinare, quibus in caſibus diverſæ imaginariæ eandem habeant unitatem imaginariam, aut earum unitates diverſæ viſæ ad eandem reducantur.

Reſolutio. Senſus eſt problematis: (1) Si aliquot, e. g. binæ imaginariæ ſive principio datæ, ſive factis reductionibus (ſec. §. 22 & 33) fuerint $\sqrt[\frac{m}{n}]{-a^{\frac{r}{v}}} = a^{\frac{n}{v.m}}\sqrt[m]{-1}$, & $\sqrt[\frac{u}{t}]{-b^{\frac{1}{2}}} = b\,\xi^{\frac{t}{u}}\sqrt[u]{-1}$ (§. 35), tales, ut m & u ſint

numeris paribus puris 2^n (§. 36, 37), conſequenterque m & n, nec non u & t inter ſe primi, & n, t, impares (conf. §. 24 & 34). (2) Sique porro $\sqrt[\frac{m}{n}]{-1} = \sqrt[\frac{m}{mq+r}]{-1} = \sqrt[\frac{m}{r}]{-1}$, & $\sqrt[\frac{u}{t}]{-1} = \sqrt[\frac{u}{su+p}]{-1} = \sqrt[\frac{u}{p}]{-1}$ (§. 27 & 39): determinare, quibus conditionibus $\sqrt[\frac{m}{n}]{-1} = \sqrt[\frac{u}{p}]{-1}$, adeoque $\frac{m}{r} = \frac{u}{p}$ contingere poſſit. His explicatis, aio, id & ſolo eo caſu & ſemper contingere, ſi & $u = m$, & $p = r$ acciderit, $ſ$ & q vero quoscunque e numeris $0, 1, 2, 3, 4$ &c. ſumi poſſe ad numeros n & t eiusmodi, qui hanc conditionem ferant, efficiendos.

Demonſtratio. Cum æque m & r, atque u & p, ſint numeri inter ſe primi (per hypotheſin ipſorum m & n, item u & t inter ſe primorum): ex natura numerorum parium u, m, imparium r, p, fieri non poteſt, ut ſit $\frac{m}{r} = \frac{u}{p}$, niſi prorſus & $m = u$, conſequenterque $r = p$ fuerint. Nam, ne longis citationibus theorematum Eucl. opus ſit, patet, cum m & u de numeris 2^n ſint, ſi inter ſe differant, alterutrum alterius multiplicem ſubmultiplicemve eſſe. Sit igitur $m = ux$; erit neceſſario & $\frac{m}{r} = \frac{ux}{px}$. Iam vero, cum m aliquotas, præter $1, 2, 4$, &c. numerorum 2_n non

ad-

admittat; erit & x de his numeris, eoque vel 1, vel 2, 4, 8, &c. Atqui, ſi $x = 2, 4, 8$ &c. px numerus & par & cum $m = ux$ compoſitus erit, utrumque quidem contra hypotheſin. Reliquum eſt ergo, ut ſit $x = 1$, ac proinde $u = m$, & $p = r$. Cetera de q & $ſ$ per ſe liquent, atque adeo nihil eius, quod demonſtrandum erat, ſupereſt.

Huiusmodi exempla ſunt:

$$\text{I. } \sqrt[\frac{2}{5}]{-a},\ \sqrt[\frac{2}{1}]{-b} = a^{\frac{5}{2}}\sqrt[2]{-1},\ b^{\frac{1}{2}}\sqrt[2]{-1}.$$

$$\text{II. } \sqrt[\frac{4}{3}]{-a},\ \sqrt[\frac{4}{7}]{-b} = a^{\frac{3}{4}}\sqrt[\frac{4}{3}]{-1},\ -b^{\frac{1}{2}}\sqrt[\frac{4}{3}]{-1}.$$

$$\text{III. } \sqrt[6]{-a},\ \sqrt[10]{-b} = a^{\frac{1}{6}}\sqrt{-1},\ b^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1},$$

$$\text{IV. } \sqrt[\frac{6}{5}]{-a},\ \sqrt[\frac{10}{3}]{-b} = a^{\frac{1}{6}}\sqrt[\frac{2}{5}]{-1},\ b^{\frac{1}{10}}\sqrt[\frac{2}{3}]{-1}$$

$$= a^{\frac{5}{6}}\sqrt{-1},\ b^{\frac{3}{10}}\sqrt{-2}.$$

§. 45. *Coroll.* Ex problemate præc. non minus facile eſt determinare, quibus in caſibus diverſæ imaginariæ eum in ſtatum redigi poſſint, ut eandem aliquotam ſub ſigno habeant imaginario. Nimirum hoc non niſi iis fiet caſibus, quibus ea, quæ proximo §. oſtenſa eſt, reductio locum habeat, ſi inſuper inter explicitas aliquotas, quantitatum explicitarum una aliquotve communes ſint quocunque exponente affectæ. Hoc

Hoc pacto enim ea, quæ exponentem habet altiorem, per alteram diviſa, atque in duas aliquotas diſtributa, diviſor ille tanquam aliqua communis menſura, aut aliquota, ſi implicetur, explebit eam, quæ poſtulabatur, conditionem.

E. g. $\sqrt[\frac{2}{5}]{-a}$ & $\sqrt[2]{-a^3 b}$ reducentur primum ad $a^{\frac{5}{2}} \sqrt{-1}$, $a^{\frac{3}{2}} \sqrt{-1}$. Deinde, quia $a^{\frac{5}{2}} : a^{\frac{3}{2}} = a$, conſequenterque $a^{\frac{5}{2}} = a^{\frac{3}{2}} \times a$; $a^{\frac{5}{2}} \sqrt[2]{-1} = a \times a^{\frac{3}{2}} \sqrt{-1} = a \sqrt[2]{-a)^3}$, itemque $a^{\frac{5}{2}} b^{\frac{1}{2}} \sqrt{-1} = b^{\frac{1}{2}} \sqrt[2]{-a^3}$.

Ac proinde datæ $\sqrt[\frac{2}{5}]{-a}$, & $\sqrt{-a^3 b}$ in ſtatum requiſitum reductæ erunt $a \sqrt{-a}$, & $b^{\frac{1}{2}} \sqrt{-a^3}$.

§. 46. *Problema II. Additionem & ſubtractionem* impoſſibilium facere.

Reſolutio. Caſus I. Si vel una imaginaria interfuerit, vel plures eadem dentur, vel ſingulæ datæ eandem aliquotam ſub ſigno imaginario habeant: tum quidem nullius res eſt negotii. Quid enim planius ſit, quam ſi e. g. c & $a \sqrt{-b}$ in ſummam cogere, aut inter ſe ſubtrahere, velis, ſcribendum eſſe pro ſumma c, $+ a$

$\sqrt{}$

$\sqrt{-b}$, pro reſiduo c, $-a\sqrt{-b}$, vel $a\sqrt{-b}, -c$. Ita, ſi velis easdem operationes in $\sqrt{-a}$ & $b\sqrt{-a}$ facere, ſumma erit $(b+1)\sqrt{-a}$; differentia $(b-1)\sqrt{-a}$ vel $(1-b)\sqrt{-a}$. Item ſumma ipſarum $a\sqrt{-b}$ & $c\sqrt{-b}$ erit $(a+c)\sqrt{-b}$; differentia $(a-c)\sqrt{-b}$. Ita e. g. $2\sqrt{-2}+3\sqrt{-2}=(2+3)\sqrt{-2}=5\sqrt{-2}\ \sqrt{-25}$.

Caſus II. Si quantitates, quarum vel ſumma, vel differentia, quæritur, aut eiusdem ſunt unitatis imaginariæ, aut ad hunc ſtatum, vel amplius ad eandem aliquotam implicitam, reduci poſſunt (§. 44, 45): tum vero utroque modo quicquid excluſum alterutro modo eſt, pro problematis conditione invicem vel collectum, vel ſubductum, ſi vel unitate vel aliquota illa imaginaria combinetur, factum erit, quod imperatum.

Exempla.

a. In caſu unitatis eiusdem imaginariæ.

I. $\sqrt{-1}+\sqrt{-1}+\sqrt{-1}$ &c. $=1\sqrt{-1}+1\sqrt{-1}+1\sqrt{-1}=(1+1+1)\sqrt{-1}=3\sqrt{-1}=\sqrt{-9}$.

II. $\sqrt{-a^2}\pm\sqrt{-b^2}=a\sqrt{-1}\pm b\sqrt{-1}=(a\pm b)\sqrt{-1}$ vel $\sqrt{-(a+b)^2}$.

III. $\sqrt{-a}\pm\sqrt{-b}=(a^{\frac{1}{2}}\pm a_{2})\sqrt{-1}=\sqrt{(a+b\pm 2\sqrt{ab})}\sqrt{-1}$ &c.

IV.

IV. $\sqrt{-4}+\sqrt{-16}=2\sqrt{-1}+4\sqrt{-1}$
$=(2+4)\sqrt{-1}=6\sqrt{-1}=\sqrt{-36}.$

V. $\sqrt{-16}-\sqrt{-4}=4\sqrt{-1}-2\sqrt{-1}$
$=(4-2)\sqrt{-1}=2\sqrt{-1}=\sqrt{-4}.$

VI. $\sqrt{-4}-\sqrt{-16}=2\sqrt{-1}-4\sqrt{-1}$
$=(2-4)\sqrt{-1}=-2\sqrt{-1}=-\sqrt{-4}$

VII. $\sqrt{-4}+\sqrt[6]{-64}=2\sqrt{-1}+1$
$\sqrt{-4}$ (§. 36.) $=2\sqrt{-1}+2\sqrt{-1}$
$=4\sqrt{-1}.$

VIII. $\sqrt[\frac{2}{3}]{-4}+\sqrt[\frac{6}{7}]{-64}=-\sqrt{-4}+$
$\sqrt[\frac{2}{7}]{-4}=-2\sqrt[3]{-1}+2\sqrt[7]{-1}=-8$
$\sqrt{-1}+128\sqrt{-1}=120\sqrt{-1}=$
$\sqrt{-14400}.$

IX. $\sqrt{-8}\pm\sqrt{-2}=8^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}\pm 2^{\frac{1}{2}}$
$\sqrt{-1}=\sqrt{(8+2\pm 2\sqrt{16})}\sqrt{-1}$
h. e.

Summa $\sqrt{(8+2+2\sqrt{16})}\sqrt{-1}=\sqrt{18}\sqrt{-1}$
$=\sqrt{-18}.$

Differ. $\sqrt{(8+2-2\sqrt{16})}\sqrt{-1}=\sqrt{2}\sqrt{-1}$
$=\sqrt{-2}.$

β. In caſu aliquotæ eiusdem imaginariæ.

I. $\sqrt{-a}+\sqrt{-a}+\sqrt{-a}=3\sqrt{-a}$
$=\sqrt{-9a}.$

II.

II. $\sqrt[2]{-a^3} \pm \sqrt[2]{-ab^2} = a\sqrt{-a} \pm b$ $\sqrt{-a} = (a \pm b)\sqrt{-a}$.

III. Sit iam $a = 4$, $b = 3$; præcedens exemplum his numeris determinatum erit $(a+b)\sqrt{-a} = (4+3)\sqrt{-4} = 7$ $\sqrt{-4} = \sqrt{-196}$.

it. $(a-b)\sqrt{-a} = (4-3)\sqrt{-4} = 1\sqrt{-4}$ vel $\sqrt{-4}$, vel $2\sqrt{-1}$.

IV. $\sqrt[2]{-a^3bc^2}$, $-\sqrt{-ac^5} = ab\sqrt{-ac}$, $-c^2\sqrt{-ac} = (ab-c^2)\sqrt{-ac}$.

V. In numeris, ſi $a = 4$, $b = 3$, $c = 2$, $(ab-c^2)\sqrt{-ac} = (14-4)\sqrt{-8}$ $= 8\sqrt{-8} = \sqrt{-512}$.

Caſus III. Quodſi e prioribus caſibus neuter locum habeat, nulla ulterior operatio, aut reductio ſummæ differentiæque, præter ipſam ſignationem, locum habebit.

E. g. $\sqrt{-a} \pm \sqrt{-b}$ aliter efferri non poterit.

Demonſtratio. Omnis demonſtrandi nervus in eo ponitur, ut doceatur, (1) eiusmodi quantitatum, de quibus hic agitur, ſummam differentiamve non aliter poſſe uno termino *uninomio* exhiberi, (id enim proprie additionis ſubtractionisque vocibus h. l. innuitur,) quam ſi eandem vel unitatem, vel aliquotam imaginariam, pro communi menſura habeant: ceteris omnibus caſibus, quibus hæc non datur, ſummam diffe-

ren-

rentiamve uninomiam non poſſe fieri, ſed meris + & — id, quod imperatum erat, eſſe indicandum, (2) Qua ratione iſta communis menſura detegatur. Atqui illud iam ex analogia irrationalium poſſibilium conſtare debet : hoc ante (§. 44, 45,) iam oſtenſum. Ergo nihil h. l. demonſtrandum reſtat.

§. 47. Problema III. Quantitatum, quas inter ſunt imaginariæ, multiplicationem facere.

Reſolutio. Ut & brevitati & perſpicuitati, quam maxime fieri poſſit, inſerviatur:

I. Ponamus principio non niſi binos factores indeterminatos, ſive literarios, fractis ubique exponentibus. Ut $\sqrt[\frac{m}{r}]{-a^{\frac{k}{l}}}$, & $\sqrt[\frac{u}{t}]{-b^{\frac{f}{g}}}$.

α. Idque ea conditione, ut m pariter atque u ſint de numeris 2^n (*§. 22.*) $m > r$, & $u > t$ (*§. 29*). Quorum ſi aliquid datis quantitatibus defuerit, id iisdem legitimis reductionibus impertiatur.

β. Factores impoſſibiles, ſi ſint implicite dati, explicentur (§. 35), & unitates impoſſibiles eorum vel ſint eiusdem denominationis, vel ad eandem reducantur (*§. 13*), h. e.

$$\sqrt[\frac{m}{r}]{-a^{\frac{k}{l}}} \text{ reducantur ad } a^{\frac{kr}{lm}} \sqrt[\frac{mu}{ru}]{-1}.$$

$$\sqrt[\frac{u}{t}]{-b^{\frac{f}{g}}} \quad \text{ad } b^{\frac{ft}{gu}} \sqrt[\frac{mu}{mt}]{-1}.$$

γ. Iam

V. Iam aliquotæ explicitæ, quam unitates impoſſibiles eum in ſtatum redactæ in ſe ducantur. (Unitates quidem ita, ut earum numeratores, denominatorum tenentes locum, in ſummam cogantur §. 26).

♪. Liquet, utroque producto inter ſe combinato exhiberi, quod quæritur, productum explicite, quod pro lubitu ac uſu implicari poterit. (§. 35.)

Typus operationis.

$$\text{Factores}\begin{cases} \sqrt{-a}^{\frac{m}{r},\ \frac{k}{l}} = a^{\frac{kr}{lm}}\ \sqrt{-1}^{\frac{mu}{ru}} \\ \sqrt{-b}^{\frac{u}{t},\ \frac{f}{g}} = b^{\frac{ft}{gu}}\ \sqrt{-1}^{\frac{mu}{mt}} \end{cases}$$

$$\text{Prod.}\ \sqrt{-a}^{\frac{m}{r},\ \frac{k}{l}} \times \sqrt{-b}^{\frac{u}{t},\ \frac{f}{g}} = a^{\frac{kr}{lm}}\ b^{\frac{ft}{g}}\ \sqrt{-1}^{\frac{mu}{ru+mt}};$$

$$\text{implicite} = \sqrt{-a}^{\frac{mu}{ru+mt},\ \frac{kru}{l(ru+mt)}}\ b^{\frac{flm}{g(ru+mt)}}$$

Q. E. F. & ſimul D. in genere.

II. Hoc operandi modo probe perſpecto, ut nihil non expeditum habet: ita facile patet, qua ratione ceteris in caſibus omnibus ſit procedendum. Nimirum, ſi quo in exemplo terminus, ſeu quantitas aliqua, alicui literarum f, g, l, m, &c. reſpondens, defuerit, pro ea 1 reponendum eſſe liquet.

Sic e. g. ſi $\sqrt[\frac{m}{r}]{-a}$ cum $\sqrt[\frac{k}{l}]{-a}$ contuleris, habebis $\sqrt[\frac{m}{r}]{-a}^{\frac{k}{l}} = \sqrt[\frac{2}{1}]{-a^{\frac{1}{1}}}$ cetera. Relinquitur, ut rem adhuc variis exemplis demus illuſtratam.

I. $\sqrt{-a}\times\sqrt{-b} = a^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}\times b^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} = a^{\frac{1}{2}}b^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}^{\frac{2}{2}} = a^{\frac{1}{2}}b^{\frac{1}{2}}\times -1 = -a^{\frac{1}{2}}b^{\frac{1}{2}} = -\sqrt{ab}.$

II. $\sqrt[4]{-ab}\times-\sqrt[4]{-ac} = -\sqrt[4]{ab.ac}\,\sqrt[\frac{4}{2}]{-1} = -\sqrt[4]{abc}\,\sqrt[2]{-1} = -\sqrt[2]{-a\sqrt[2]{bc}}.$

III. $\sqrt[4]{-ab}\times-\sqrt[4]{-ac}\times\sqrt[4]{-bc} = -1\,\sqrt[4]{-ab.\,ac.\,bc}\,\sqrt[\frac{3}{4}]{-1} = \sqrt[4]{a^2b^2c^2}\,\sqrt[\frac{3}{4}]{-}$
$a^{\frac{1}{2}}b^{\frac{1}{2}}c^{\frac{1}{2}}\sqrt[\frac{4}{3}]{-1} = \sqrt[\frac{4}{3}]{-}\sqrt[3]{a^2b^2c^2}.$

IV. $\sqrt{-4}\times\sqrt{-16} = 2\sqrt{-1}\times 4\sqrt{-1} = 8\sqrt{-1}^{\frac{2}{2}} = 8\times -1 = -8.$

V. $\sqrt{-2}\times\sqrt{-3}\times-6 = \sqrt{2.3.6}\,\sqrt{-1}^{\frac{2}{2}} = -36\sqrt{-1} = -6\sqrt{-1} = -\sqrt{-36}$ (§. 22. 35.)

$$\text{VI. } \sqrt[2]{-2} \times \sqrt[4]{-2} \times \sqrt[8]{-2} = 2^{\frac{1}{2}} . 2^{\frac{1}{4}} . 2^{\frac{1}{8}}$$

$$\sqrt[\frac{8}{4}]{-1} \times \sqrt[\frac{8}{2}]{-1} \times \sqrt[\frac{8}{1}]{-1} = 2^{\frac{4}{8}} . 2^{\frac{2}{8}} . 2^{\frac{1}{8}} \sqrt[\frac{8}{7}]{-1}$$

$$\mp \sqrt[8]{2^4 . 2^2 . 2^1} \sqrt[\frac{8}{7}]{-1} = \sqrt[8]{16 . 4 . 2} \sqrt[\frac{8}{7}]{-1}$$

$$\sqrt{128} \sqrt[\frac{8}{7}]{-1} = \sqrt[\frac{8}{7}]{-128^{\frac{1}{7}}} \text{ vel } \sqrt[\frac{8}{7}]{-\sqrt[7]{128}}.$$

$$\text{VII. } \sqrt[6]{-8} \times \sqrt[6]{-24} = \sqrt[2]{-8^{\frac{1}{3}}} \times \sqrt[2]{-24^{\frac{1}{3}}} \text{ (§. 22.)} = \sqrt[2]{-2} \times \sqrt[2]{-2}$$

$$\sqrt[3]{3} = 8^{\frac{1}{6}} . 24^{\frac{1}{6}} \sqrt[\frac{2}{2}]{-1} = -\sqrt[6]{8 . 24}$$

$$= -\sqrt[6]{192} = -2\sqrt[6]{3}.$$

§. 48. *Coroll.* Quodſi exponens impoſſibilis factorum idem ſit; tum vero multiplicatio etiam ita fieri poterit, ut (1) aliquotis tam implicitis, quam explicitis, inter ſe multiplicatis, (2) utrique exponentes tam impoſſibilis, quam cuiusque aliquotæ earum, quibus productum ſub ſigno impoſſibili conſtitutum componitur, per numerum factorum impoſſibilium dividatur; (3) quo facto denique illa, quam §. 39 oſtendimus, reductio, ſi eam producti conditio ferat, fieri amplius poterit. E. g.

I. $\sqrt{-a} \times \sqrt{-a}$. 1. ad modum §. *praec.*

Factores $\begin{cases} a^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} \\ a^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} \end{cases}$

Prod. $a^{\frac{1}{2}}\, a^{\frac{1}{2}} \sqrt[\frac{2}{2}]{-1} = a \times -1$
$= -a$. (§. 14.)

2. ad modum §. *huius.*

$\sqrt[\frac{2}{2}]{-a^{\frac{1}{2}} a^{\frac{1}{2}}}$

h. e. $\sqrt[1]{-a}$.

II. $\sqrt{-a} \times \sqrt{-a} \times \sqrt{-a}$

Fact. $\begin{cases} a^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} \\ a^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} \\ a^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} \end{cases}$ $\sqrt[\frac{3}{3}]{-a^{\frac{1}{3}} a^{\frac{1}{3}} a^{\frac{1}{3}}}$

h. e. $\sqrt[\frac{2}{3}]{-a}$

Prod. $a^{\frac{3}{2}} \sqrt[\frac{3}{2}]{-1} = -a^{\frac{3}{2}}\sqrt{-1} = -\sqrt{-a^3}$.

III. $\sqrt{-a} \times \sqrt{-b}$.

$a^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}$ $\sqrt[\frac{2}{2}]{-a^{\frac{1}{2}} b^{\frac{1}{2}}}$

$b^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}$ h. e. $\sqrt[1]{-a^{\frac{1}{2}} b^{\frac{1}{2}}}$

$a^{\frac{1}{2}} b^{\frac{1}{2}} \sqrt[\frac{2}{2}]{-1} = -a^{\frac{1}{2}} b^{\frac{1}{2}} = -\sqrt{ab}$.

IV.

IV. $\sqrt{-a} \times \sqrt{-b} \times \sqrt{-c}$

$$a^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}$$
$$b^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} \qquad \sqrt[\frac{2}{3}]{-a^{\frac{1}{3}}b^{\frac{1}{3}}c^{\frac{1}{3}}}$$
$$c^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}$$

$$a^{\frac{1}{2}}b^{\frac{1}{2}}c^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} = -a^{1}b^{\frac{1}{2}}c^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}$$
$$= -\sqrt{-abb}.$$

V. $a \times \sqrt{-b} \times \sqrt{-c} \times c\sqrt{-a}$

$$ab^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}$$
$$bc^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} \qquad abc\sqrt[\frac{2}{3}]{-a^{\frac{1}{3}}b^{\frac{1}{3}}c^{\frac{1}{3}}}$$
$$\text{vel} -abc\sqrt{-a^{\frac{3}{3}}b^{\frac{3}{3}}c^{\frac{3}{3}}}$$
$$ca^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} \qquad \text{i. e.} -abc\sqrt{-abc}$$

$$a^{\frac{3}{2}}b^{\frac{3}{2}}c^{\frac{3}{2}}\sqrt[\frac{2}{3}]{-1} = \sqrt[\frac{2}{3}]{-abc} =$$
$$-\sqrt[2]{-a^{3}b^{3}c^{3}}.$$

Demonſtratio. (1) Quot ſunt factores impoſſibiles, tot ſunt & unitates imaginariæ, & quidem h. l. (per *hyp.*) eædem. Ergo eorum numero exponens impoſſibilis dividendus erit. (*§.* 26.) (2) Iam vero, ſi explicite ſumantur quantitates (ut *§. præc.*), quæ ſub ſigno impoſſibili ſunt, multiplicatione ſic facta (*§. præc.*) ſi deinceps implicatio fiat, quilibet exponens eo numero dividetur, id quod conferendis exemplis utroque modo tractatis clarum eſt. Ergo regula eſt ſalva. Q. E. D.

§. 49. ***Problema* IV.** In imaginariis *diviſionem* facere.

Reſolutio. Signis exponentium in diviſione immutatis omnia ſunt, ut in multiplicatione. (§. 47.)

E. g. Dividendum detur ſuperius productum $a^{\frac{kr}{lm}} b^{\frac{ft}{gu}} \times \sqrt{}^{\frac{mu}{ru+mt}} - 1$ per alterutrum factorem, ut $\sqrt{}^{\frac{m}{r}} - a^{\frac{-k}{l}}$.

Typus operationis.

$$\frac{a^{\frac{kr}{lm}} b^{\frac{ft}{gu}} \sqrt{}^{\frac{mu}{ru+mt}} - 1}{\sqrt{}^{\frac{m}{r}} - a^{\frac{k}{l}}} = \frac{a^{\frac{kr}{lm}-\frac{kr}{lm}} b^{\frac{ft}{gu}} \sqrt{}^{\frac{mu}{ru+mt-ru}} - 1}{1}$$

$$\sqrt{} - a = a^{\frac{kr}{lm}} \sqrt{}^{\frac{mn}{ru}} - 1$$

$$b^{\frac{ft}{gu}} \sqrt{}^{\frac{mu}{ru}} - 1 = \sqrt{}^{\frac{u}{t}} - a^{\frac{f}{g}}.$$

Exempla ſpecialiora. (*Conf. ordinatim illa, quæ §. 47.*)

I. $$\frac{-a^{\frac{1}{2}} b^{\frac{1}{2}}}{\sqrt{} - a} = \frac{+a^{\frac{1}{2}} b^{\frac{1}{2}} \sqrt{}^{\frac{2}{2}} - 1}{a^{\frac{1}{2}} \sqrt{}^{\frac{2}{1}} - 1} \text{ (§. 18.)}$$

$$b^{\frac{1}{2}} \sqrt{}^{\frac{2}{2-2}} - 1 = b^{\frac{1}{2}} \sqrt{} - 1 = \sqrt{} - b.$$

II.

II. $\frac{-\sqrt[2]{-ab^{\frac{1}{2}}c^{\frac{1}{2}}}}{\sqrt[4]{-ab}} = \frac{-a^{\frac{1}{2}}b^{\frac{1}{2}}\sqrt[\frac{4}{2}]{-1}}{a^{\frac{1}{4}}b^{\frac{1}{4}}\sqrt[4]{1}} =$

$\frac{a^{\frac{2-1}{4}}b^{\frac{1}{4}-\frac{1}{4}}c^{\frac{1}{4}}\sqrt[\frac{4}{2-1}]{-1}}{1} = a^{\frac{1}{4}}c^{\frac{1}{4}}$

$\sqrt[4]{-1} = \sqrt[4]{-ac}.$

III. $\frac{-\sqrt[\frac{4}{3}]{-\sqrt[3]{a^2b^2c^2}}}{-\sqrt[2]{-ab^{\frac{1}{2}}c^{\frac{1}{2}}}} = \frac{-a^{\frac{1}{2}}b^{\frac{1}{2}}c^{\frac{1}{2}}\sqrt[\frac{4}{3}]{-1}}{-a^{\frac{1}{2}}b^{\frac{1}{4}}c^{\frac{1}{4}}\sqrt[\frac{4}{2}]{-1}}$

$= b^{\frac{1}{4}}c^{\frac{1}{4}}\sqrt[4]{-1} = \sqrt[4]{-bc}.$

IV. $\frac{-8}{\sqrt{-4}} = \frac{+8\sqrt[\frac{4}{2}]{-1}}{2\sqrt[4]{-1}} = \frac{8}{2}\times\sqrt{-1} =$

$4\sqrt{-1} = \sqrt{-16}.$

V. $\frac{-\sqrt{-36}}{\sqrt{-2}\times\sqrt{-3}} = \frac{-6\sqrt{-1}}{2^{\frac{1}{2}}3^{\frac{1}{2}}\times -1} = \frac{6^{\frac{2}{2}}\sqrt{-1}}{-6^{\frac{1}{2}}}$

$= 6^{\frac{2-1}{2}}\sqrt{-1} = 6^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} = \sqrt{-6}.$

$$\text{VI. } \frac{\sqrt[\frac{8}{7}]{-\sqrt[7]{128}}}{\sqrt[2]{-2}\times\sqrt[4]{-2}} = \frac{\sqrt[\frac{8}{7}]{-128^{\frac{1}{7}}}}{2^{\frac{3}{4}}\sqrt[\frac{4}{3}]{-1}} = 2^{\frac{1}{8}}\sqrt[\frac{8}{2-1}]{-1} = \sqrt[8]{-2}$$

$$\text{VII. } \frac{-2\sqrt[3]{+3}}{\sqrt[6]{-8}} = \frac{+\sqrt[6]{192}\,\sqrt[\frac{3}{2}]{-1}}{8^{\frac{1}{6}}\sqrt[\frac{1}{2}]{-1}}$$

$$(\text{§. 18, num. 2,}) = 24^{\frac{1}{6}}\sqrt{-1} = 24^{\frac{1}{6}}\sqrt[6]{-1}\ (\text{§. 33.}) = \sqrt[6]{-24}.$$

§. 50. *Coroll.* Idem & diviſionis caſibus peculiaribus tenendum, quod ſuperius (§. 48) de multiplicatione monuimus.

Sic e. g. $a\sqrt{-b} : c\sqrt{-b} = a : c$.
it. $-abc : c\sqrt{-b} = ac\sqrt{-b}\times\sqrt{-b} : c\sqrt{-b} = (ac : c)\sqrt{-b} = a\sqrt{-b}$.

§. 51. *Scholium I.* Vides, B. L. ea, quæ demonſtravimus, ex uno axiomate (§. 14) luculentiſſimo, conſequi omnia, eique eſſe conſentanea: ut nihil in iis non æque firmum, certum, perſpicuum, deprehendatur. Dixi forte non omnia, quæ hac de materia dici poſſent, & alio tempore a me etiam dicentur, ſi Deus T. O. ita voluerit, ſique videro, meam opellam ad tua ſtudia nonnihil referre. Sed ea, quæ in lucem nunc protulimus, iis, quæ deinceps demonſtrari poterunt, deducendis ſufficere arbitror. Apparere inſuper exiſtimo, nihil impedire, quo minus cal-

culus

culus impoſſibilium eodem modo, quo irrationalium poſſibilium, *ſola ſervata ſignandorum exponentium radicalium diverſitate*, peragatur, indeque ex anguſtiis ſuis in campum eundem deductum eſſe latiſſimum. Illud certe patere arbitror, neque *I. W.* El. lat. §. 71 recte ſtatuere e. g. $\sqrt{-a} \times \sqrt{-b} = \sqrt{-ab}$. Et R. P. *Regnavium*, in ſua ſcientia calculi, egregio alioquin opere, cum omni ſua cura tamen vix ab eodem ſibi errore temperare, §. 434 *ſq.*

§. 52. *Scholium II.* Ut tamen uſus huius Theoriæ non omnino intactus relinquatur: agedum, ſuperioribus exemplis unum alterumque eorum, quæ in praxi occurrere ſolent, adiiciamus. Quæ cum maxime ex æquationibus ſolidis pendeant, fore tanto nonnullis lectoribus iucundiora exiſtimo, ſi ipſam eiusmodi æquationum analyſin generalem paulo altius repetitam adducendis exemplis præſtruamus.

Sit itaque quævis æquatio cubica, exemto ſecundo termino, generatim $x^3 * + px + q = 0$.

* Eadem formula, quam *Cardani* regulam vocari conſtat, (vid. *Carteſ. Geom. Lib. III Sect. III*) cum ab ipſo *Cardano* cuidam *Scipioni Ferreo*, Bononienſi, itemque *Nic. Tartaleæ* (it. *Tartaglio*) tribuatur auctoribus, a variis varie eruitur, & noviſſime, quod ſciam, a *Varinione*, cuius iam mentionem fecimus, *dans les Mém. de l'Acad. R.* &c. *1699 pag. 191 ſeq* at perperam in *Lamii* Tr. *de la grandeur en general pag. 417*, relata: qui forte is ipſe eſt nobilis Geometra

a

A. ponatur $x=y+z$; erit $x^3=y^3+3y^2z+3yz^2+z^3$. adeoque $3y^2z+3yz^2=3yz(y+z)=3xyz$, & proinde

$$x^3=y^3+3yzx+z^3$$

$$x^3-3yzx-y^3-z^3=0,\ =x^3+px+q.$$

conſequenter

$$-3yzx=+px,\ \&\ q=-y^3-z^3$$

x)

$$-3yz=+p$$

3y)

$$-z=+p:3y$$

Cub.)

$$-z^3=+p^3:27y^3$$

$$\&\ q=-y^3-z^3=-y^3+p^3:27y^3$$

(y^3

$$qy^3=-y^6+p^3:27$$

transp.)

$$y^6+qy^3=p^3:27$$

add. $\frac{1}{4}qq=\frac{1}{4}qq$ quadrati integrandi cauſa.

$$y^6+qy^3+\frac{1}{4}qq=\frac{1}{4}qq+\frac{1}{27}p^3$$

√

a *Preſtete l.* ſupra *c.* diſſimulatus, quem tantopere exercuit quantitatum negativarum conſideratio. Alia tamen ratione eandem formulam deduxere laudatus *Preſtetus Vol.* 2 *b. IX, num.* 7 *ſeq.* & *R. S. Rabuel* in Commentariis in *R. Carteſii geom. pag.* 548 *ſeq.* aliique, inprimis laud. *P. Regnavius Anal. Dem. Lib. IV Sect. III*, veſtigiis tamen *Preſteti* ubique preſſis.

$$\sqrt[3]{}\ y^3+\tfrac{1}{2}q=\sqrt{(\tfrac{1}{4}qq+\tfrac{1}{27}p^3)},\ \&-\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}$$

$$y^3=-\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}qq+\tfrac{1}{27}p^3)},\ \&-\tfrac{1}{2}q-\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}$$

Ergo $q=-z^3-y^3=-z^3--\tfrac{1}{2}q\pm\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}=-z^3+\tfrac{1}{2}q\pm\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}$.

tranſp.

$$z^3=-q+\tfrac{1}{2}q\mp(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)$$
$$=-q+\tfrac{1}{2}q\mp\sqrt{(\tfrac{1}{4}qq+\tfrac{1}{27}p^3)}$$

erit $y=\sqrt[3]{(-\tfrac{1}{2}q\pm\sqrt{(\tfrac{1}{4}qq+\tfrac{1}{27}p^3)}.)}$

$z=\sqrt[3]{(-\tfrac{1}{2}q\mp\sqrt{(\tfrac{1}{4}qq+\tfrac{1}{27}p^3)}.)}$

$$x=y+z=\sqrt[3]{(-\tfrac{1}{2}q\pm\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}.)}+\sqrt[3]{(-\tfrac{1}{2}q\mp\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}.)}$$

h. e. $x=\sqrt[3]{(-\tfrac{1}{2}q\pm\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}.)}+\sqrt[3]{(-\tfrac{1}{2}q-\sqrt{(\tfrac{1}{4}q^2+\tfrac{1}{27}p^3)}.)}$

Radix primaria.

B. Detur nunc $x^3-5x-12=0$ reſolvenda; erit radix primaria $x=\sqrt[3]{(-1\pm\sqrt{(1+\tfrac{-125}{27})}.)}=\sqrt[3]{(-1+\sqrt{-\tfrac{98}{27}})}+\sqrt[3]{(-1-\sqrt{-\tfrac{98}{27}})}$. Nimirum $+p=-5$, adeoque

$\frac{1}{27} p^3 = -\frac{125}{27}$ vel $+\frac{125}{27}$, & $q = 2$

$+\frac{1}{4} qq = 1 = \frac{27}{27}$

$\frac{1}{4} qq + \frac{1}{27} p^3 = \frac{27}{27 - 135} = -\frac{27}{98}$

$\sqrt{(\frac{1}{4} q^2 + \frac{1}{27} p^3)} = \sqrt{-\frac{98}{27}}$.

Eſt autem $\frac{98}{27} = \frac{49.2}{9.3} = \frac{7^2 \cdot 2}{3^2 \cdot 3}$. Ergo $\sqrt{\frac{98}{27}} = \frac{7}{3}\sqrt{\frac{2}{3}}$, eaque

$\sqrt{-\frac{98}{27}} = \sqrt{-\frac{7^2 \cdot 2}{3^2 \cdot 3}} = \frac{7}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}}$.

C. Huius radicis $\sqrt[3]{(-1 + \sqrt{-\frac{98}{27}})}$ vel $\sqrt[3]{-1 + \frac{7}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}}}$ extrahendæ methodum ne plane ſicco pede tranſeamus: ſit a quævis rationalis quantitas, referens partem rationalem radicis inveniendæ binomiæ, $\sqrt{b}$ quævis irrationalis, adeoque $a + \sqrt{b}$ formula vel expreſſio radicis binomiæ quæſitæ. Erit igitur

$(a + \sqrt{b})^3 = a^3 + 3a^2\sqrt{b} + 3ab + b\sqrt{b} =$
$(a^3 + 3ab) + (3a^2 + b)\sqrt{b}$. Atqui

$(a^3 + 3ab)^2 = a^6 + 6a^4b + 9a^2b^2$ (quadratum partis rat.

$((3a^2 + b)\sqrt{b})^2 = 9a^4b + 6a^2b^2 + b^3$ (quadratum partis irrat.

Differ. $a^6 - 3a^4b + 3a^2b^2 - b^3$ (cubus perfect.)

$\sqrt[3]{\ }$)

add-

$$a^2 - b$$

add. & ſubtr. $3a^2 + b$ (aliquota rat. partis irr.)

ſumma $4a^2$. Diff. $+2a^2 + 2b = 3a^2b - (a^2 - b^2)$

$\sqrt[4]{a^2}$ ſemidiff. $a^2 + b$

$\frac{a^2}{a}$

Iam, cum ſit $(3a^2 + b)\sqrt{b} = \sqrt{(\frac{1}{4}qq + \frac{1}{27}p^3)}$, & noſtro in exemplo $= \sqrt{-\frac{98}{27}}$, vel $\frac{7}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}}$; patet, valores $3a^2 + b$ & $\sqrt{b}$. i. e. a & b, in $\sqrt{\frac{1}{4}qq + \frac{1}{27}p^3})$ involutas non poſſe niſi tentando erui. Multum autem eſt præiudicii, fore $\frac{7}{3} + 3a^2 + b$, & $b = \sqrt{-\frac{2}{3}}$. Ergo ſic deinceps operandum.

1. $(a^3 + 3a^2b)^2 = (-1)^2 = +1 = 27 : 27$
2. $((3a^2 + b)\sqrt{b})^2 = \; - \; - \; -98 : 27$

Diff. quadratorum $+ 125 : 27$

$\sqrt[3]{)}$

$a^3 - b = 5 : 3$

tentando $3a^3 + b = 7 : 3$

ſa $4a^2 = 12 : 3 = 4$.

$a^2 = 1$ Diff. $2a^2 + 2b = \frac{2}{3}$

$a = 1$. ſemidiff. $a^2 + b = \frac{1}{3}$

ſubtr. $a^2 = \frac{3}{3} = 1$.

Reſ. $b = = -\frac{2}{3}$.

Sic recte. Habetur igitur $\sqrt[3]{(-1 + \sqrt{-\frac{98}{27}})} = 1 + \sqrt{-\frac{2}{3}} = a + \sqrt{b}$. Simili ratione inveni-

venietur $\sqrt[3]{(-1-\frac{92}{27})} = 1 - \sqrt{\frac{2}{3}}$. Adeoque $x = 1 + \sqrt{-\frac{2}{3}} + 1\sqrt{-\frac{2}{3}} = 2$.

D. His præmiſſis, velis nunc evehendo $1+\sqrt{-\frac{2}{3}}$ experiri, eiusne cubus vere ſit $-1+\sqrt{-\frac{2}{3}}$ vel $-1+\sqrt{-\frac{98}{27}}$. Id quod nobis propoſuimus.

Operare ergo, ut ſequitur:

$$
\begin{array}{l}
1.\quad 1+\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\quad\;\; 1+\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\hline
\text{mult. } 1+1\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
-\frac{2}{3}+1\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\hline
+\frac{1}{3}+2\sqrt{-\frac{2}{3}} = (1+\sqrt{-\frac{2}{3}})^2 \\
\text{mult. } 1+1\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\hline
\frac{1}{3}+2\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
-\frac{4}{3}+\frac{1}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\hline
-\frac{3}{3}+2\frac{1}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\text{i.e. } -1+\frac{7}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}} = (1+\sqrt{-\frac{2}{3}})^3.
\end{array}
$$

$$
\begin{array}{l}
2.\quad 1-\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\quad\;\; 1-\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\hline
1-1\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
-\frac{2}{3}-1\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\hline
+\frac{1}{3}-2\sqrt{-\frac{2}{3}} = (1-\sqrt{-\frac{2}{3}})^2 \\
1-1\sqrt{-\frac{2}{3}} \\
\hline
\end{array}
$$

$$\frac{1}{3} - 2\sqrt{-\frac{2}{3}}$$
$$-\frac{4}{3} - \frac{1}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}}$$
$$\overline{-\frac{3}{3} - 2\frac{1}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}}}$$
$$-1 - \frac{7}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}} = \left(1 - \sqrt{-\frac{2}{3}}\right)^3.$$

Hoc idem potuiſſet & alio modo exterminatis fractionibus fieri, ſi principio $1 \pm \sqrt{-\frac{2}{3}}$ per 3 multiplicaveris, ac deinde producti $3 \pm \sqrt{-6}$ facta ſimili in ſe multiplicatione ut ante, inventum cubum $-27 \pm 21\sqrt{-6}$ per $3^3 = 27$ diviſeris; quo facto habebis $-1 \pm \sqrt{-\frac{2}{3}}$.

Aliud.

Si iam dividendo explorare velis, utrum $\left(1+\sqrt{-\frac{2}{3}}\right)^3 = -1 + \sqrt{-\frac{2}{27}}$ recte inveneris; fac

$$\frac{-1+\frac{7}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}}}{1+\sqrt{-\frac{2}{3}}} = \frac{-1+\frac{2}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}}}{1+\sqrt{-\frac{2}{3}}} \times \frac{1\sqrt{-\frac{2}{3}}=}{1\sqrt{-\frac{2}{3}}=}$$
$$\frac{\frac{5}{3}+\frac{10}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}}}{5:3} = \frac{1}{3}+\sqrt{-\frac{2}{3}}$$

Qui quotiens cum exhibeat quadratum $\left(1+\sqrt{-\frac{2}{3}}\right)^2$ ſuperius iam inventum, porro diviſus eodem diviſore, diviſorem, vel radicem, reddet.

$$\frac{\frac{1}{3}+2\sqrt{-\frac{2}{3}}}{1+\sqrt{-\frac{2}{3}}} = \frac{\frac{1}{3}+2\sqrt{-\frac{2}{3}}}{1-\sqrt{-\frac{2}{3}}} \times \frac{1-\sqrt{-\frac{2}{3}}}{1-\sqrt{-\frac{2}{3}}} =$$
$$\frac{\frac{5}{3}+\frac{5}{3}\sqrt{-\frac{2}{3}}}{5:3} = 1+\sqrt{-2}$$

Aliud.

Aliud.

Detur $\sqrt[3]{(-\frac{1}{2}q+\sqrt{(\frac{1}{4}qq+\frac{1}{27}p^3)})} = 2+\sqrt{-1}$, impereturque indagare p, & integram æquationem $x^3+px+q=0$. Fac

$$2+\sqrt{-1}$$
$$2+\sqrt{-1}$$
$$\overline{4+2\sqrt{-1}}$$
$$-1+2\sqrt{-1}$$
$$\overline{3+4\sqrt{-1}}$$
$$2+\sqrt{-1}$$
$$\overline{6+8\sqrt{-1}}$$
$$-4+3\sqrt{-1}$$
$$\overline{2+11\sqrt{-1}} = (2+\sqrt{-1})^3 = -\tfrac{1}{2}q+\sqrt{(\tfrac{1}{4}qq+\tfrac{1}{27}p^3)}.$$

ſive $2+\sqrt{-121} = -\frac{1}{2}q+\sqrt{(\frac{1}{4}qq+\frac{1}{27}p^3)}$

ſubtr. $2 = -q$

r. $\sqrt{-121} = \sqrt{(\frac{1}{4}qq+\frac{1}{27}p^3)}$.

& $q = -4$

quadr.) $-121 = \frac{1}{4}qq+\frac{1}{27}p^3$

ſubtr. $4 = \frac{1}{4}qq$

R. $-125 = \frac{1}{27}p^3$

$\sqrt[3]{\;}$) $5 = \frac{1}{3}p$ (3

$-15 = p.$

Eſt ergo $x^3+px+q = x^3-15x-4=0.$

Aliud.

Aliud.

R. P. *Rabuel* in eximio Comment. in *Renat. Carteſii Geom. pag. 428* quadratum huius binomii $\sqrt{-x} + \sqrt{-a}$ ſtatuit eſſe $-x + 2\sqrt{ax} - a$. Id rectene habeat, an ſecus, examinemus. Operæ autem pretium erit, exercendi calculi cauſa, utrumque $\sqrt{-x} + \sqrt{-a}$, & $\sqrt{-x} - \sqrt{-a}$ ad 2^dam^ dignitatem evehere, & v. v. ex utroque quadrato radicem requirere.

1. Quadretur

$$\begin{array}{r} \sqrt{-x} + \sqrt{-a} \\ \sqrt{-x} + \sqrt{-a} \\ \hline \sqrt{-x} \times \sqrt{-x} + \sqrt{-x} \times \sqrt{-a} \\ + \sqrt{-x} \times \sqrt{-a} \\ \hline -x + 2.\, a^{\frac{1}{2}}\, x^{\frac{1}{2}} \times -1 - a \end{array}$$

i. e. $-x - 2\sqrt{ax} - a$.

$$\begin{array}{r} \sqrt{-x} - \sqrt{-a} \\ \sqrt{-x} - \sqrt{-a} \\ \hline \sqrt{-x} \times \sqrt{-x} - \sqrt{-a} \times \sqrt{-x} \\ - \sqrt{-a} \times \sqrt{-x} \\ \hline -x - 2.\, a^{\frac{1}{2}}\, x^{\frac{1}{2}} \times -1 - a \end{array}$$

i. e. $-x + 2\sqrt{ax} - a$.

2. Ex utroque quadrato rad. quadr. extrahatur.

Hoc quidem h. l. ſatis erit ſecundum formulam fieri binomialem $a^2 + 2ab + b^2$, qua in numeris utimur, cum alias in binomiis ſurdis,

maxime numericis, regula, vel formula, iis propria, adhibenda ſit.

$$1.\ -x,\ -2a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}-a \quad \Big|\ \text{Rad.}\ \sqrt{-x}+\sqrt{-a}$$

$$a^2 = -x$$

$$= 2a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}} - a$$

$$\text{h. e.}\ +2a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}\sqrt[2]{-1}$$

$$\text{diviſ.}\ 2a = x^{\frac{1}{2}}\sqrt[2]{-1} = 2\sqrt{-x}$$

$$\text{quot.}\ b = a^{\frac{1}{2}}\sqrt[2]{-1} = \sqrt{-a}$$

$$2ab+b^2 = 2a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}-a$$

$$\text{Reſ.}\quad 0 \quad 0$$

$$2.\ -x+2a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}-a \quad \Big|\ \text{Rad.}\ \sqrt{-x}-\sqrt{-a}$$

$$-x$$

$$+2a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}-a$$

$$-2a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}-a$$

$$+2x^{\frac{1}{2}}-\sqrt{-1}-$$

$$-a^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1} =$$

$$-2a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}\sqrt{-1}-a$$

$$-2a^{\frac{1}{2}}x\ \sqrt{-1}-a.$$

3. Vel

3. *Vel per diviſionem.*

1. Diviſor — Dividendus. — Quot.

$$\sqrt{-x}+\sqrt{-a} \quad -x-2\sqrt{ax}-a \;\Big|\; \frac{-x}{\sqrt{-x}} \quad \frac{\sqrt{ax}}{\sqrt{-x}} \text{ h. e. } \sqrt{-x}+\sqrt{-a}$$

$$\sqrt{-x}$$

$$\sqrt{-x}\times\sqrt{-x}+\sqrt{-a}\times\sqrt{-a}$$

$$\text{i. e. } -x-a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}=-x-\sqrt{-x}$$

$$\text{Reſ. } -\sqrt{ax}-a$$

$$\sqrt{-a}$$

$$\sqrt{-x}\times\sqrt{-a}+\sqrt{-a}\times\sqrt{-a}$$

$$\text{i. e. } -a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}-a=-\sqrt{ax}-a$$

$$0 \quad 0$$

vel

2. $\sqrt{-x}-\sqrt{-a}\cdots -x+2\sqrt{ax}-a \;\Big|\;$ Quot. $\frac{-x}{\sqrt{-x}}+\frac{\sqrt{ax}}{\sqrt{-x}}$ h. e. $\sqrt{-x}-\sqrt{-a}$

$$\sqrt{-x}$$

$$\sqrt{-x}\times\sqrt{-x}-\sqrt{-a}\times\sqrt{-x}$$

$$\text{i. e. } -x+a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}=-x+\sqrt{ax}$$

$$\text{R. } +\sqrt{ax}-a$$

$$\sqrt{-a}$$

$$-\sqrt{-x}\times\sqrt{-a}-\sqrt{-a}\times\sqrt{-a}$$

$$\text{i. e. } +a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}-a=+\sqrt{ax}-a$$

$$0 \quad 0$$

Apparet adeo, in hac rectius hunc Commentatorem, quam complures alios, ſentire, qui quadrati huius omnes terminos ex impoſſibilitate emergere iubeat, in ſolo termini aſymmetri ſigno hallucinatus, quod $+ 2 \sqrt{a x}$ pro $\mp 2 \sqrt{a x}$ ſumſerit. * Etenim, ut videmus, $(\sqrt{-x} + \sqrt{-a})^2 = - x\ 2\sqrt{a x} - a$, & $(\sqrt{-x} - a)^2 = - x\ 2\sqrt{a x} - a$. Et, re vera aliter fieri non poſſe, etiam ex analogia & comparatione ipſarum $\sqrt{-x} \pm \sqrt{-a}$ cum $\sqrt{x} \pm \sqrt{a}$ & $-x \pm \sqrt{a}$ colligi & conſtare poteſt.

* Ac ne putes, $-2\sqrt{ax}$ mendoe pro $-2\sqrt{ax}$ impreſſum eſſe, ecce tibi integrum locum: *Voilà ce que M. des Cartes aſſure: cependant le produit de ces deux racines imaginaires* $\sqrt{-x} + -a = 0$ & $\sqrt{-x} + \sqrt{-a} = 0$ eſt $-x + 2\sqrt{ax} - a = 0$. *L'equation a deux racines & l'inconnue n'a qu'une dimenſion, les ſignes + − ſont une fois alternatifs, & les deux racines ſont fauſſes.* - - -

VI.

VI.

IO. IAC. REISKE,

SPECIMEN EMENDATIONVM IN GRÆCOS AUCTORES.

Lectio mea Græcorum Auctorum mihi ſat amplam ſegetem locorum corruptorum & emendationum ſuggeſſit; quarum ſpecimina per partes edere, quandoquidem integrum opus nondum licet, conſtitui. Diligentia mea ſe hactenus maxime in ſequentibus exercuit; *Herodoto*, *Thucydide*, *Theophraſti* Characteribus, *Sophocle*, *Euripide*, *Ariſtophane*, *Ariſtide*, *Plutarcho*, *Dione Chryſoſtomo*, *Arriano Epicteteo*, & ei iuncto *Porphyrio περὶ ἀποχῆς*, *Luciano*, *Libanio*, *Themiſtio*, & *Heſychio*. Dabo nunc emendationum in hos Auctores primum ſpecimen, in quo maxime ſtudebo loca quædam conſideratu digna, ſed fortuita tranſpoſitione depravata, tanquam membra luxata, in ſuos articulos reponere,

Ordiatur *Herodotus*, qui Auctor, utut ab ipſo Mediceo Apolline medicinam acceperit, fœdis tamen vulneribus adhuc decumbit, &, quæ olim non habebat, alia bene multa immeritus accepit. Locus, quem nunc reſtituam integritati ſuæ, eſt *Lib. I Cap.* 174 *pag.* 70 edit. *Gronov.* a *lin.* 31 *ſeq.* Apponam eum integrum, quomodo

 eum

eum ab Auctoris manu profectum puto. E vulgatis intelligi poteſt a quovis, quam ille miſere diſtractus, & omni ſenſu orbatus ſit. Τὸ ὦν δὴ ὀλίγον τῦτο -- ὤρυσσον οἱ Κνίδιοι -- βυλόμενοι νῆσον τὴν χώρην ποιῆσαι. Τῇ γὰρ ἡ Κνιδίη χώρη ἐς τὴν ἤπειρον τελευτᾷ, ταύτῃ ἰσθμός ἐςι, τὸν ὤρυσσον. ἐτὸς δὲ πᾶσά σφι ἐγένετο, καίτοι πολλῇ χειρὶ ἐργαζομένων τῶν Κνιδίων. - - ἔπεμπον ὦν ἐς Δελφὺς θεοπρόπυς &c. *Parum ergo illud fodiebant Cnidii, volentes eam regionem in inſulam mutare. Nam, qua regio Cnidia cohæret cum terra continente, ibi eſt ille iſthmus, quem fodiebant. Verum illis fruſtra erat omnis (machina,* vel *manus,); quamvis multa manu laborarent Cnidii. - - - Mittebant ergo Delphos* &c. Facilis & perſpicua cuivis eſt hæc oratio. Nihil aliud, quam turbatum ordinem rurſus concinnavi, ἐντὸς mutavi in ἐτὸς, quæ res maximi momenti eſt, & ὦν poſt ἔπεμπον addidi. In πᾶσα aut poteſt elliptica vox μηχανὴ ſubintelligi, aut χεὶρ ex ſequentibus huc trahi.

Loca *Theophraſti* & *Muſæi*, graviter, & illius quidem maxime, a tranſpoſitione laborantia, (quorum vitia & medelam indicandi occaſionem habui in notulis, quas editioni ἀδεσπότυ introductionis in Anatomiam, a Cl. *Bernardo* Lugduni Batav. curatæ, adſperſi,) nolo nunc recoquere.

In Poetas hoc erroris genus potuiſſe facilius, quam in proſaicos, irrepere, facile intellectu eſt.

Et certe complura loca *Euripidis* huius obſervationis adminiculo emendavi. E. c. in *Phœniſſis verſus* 778, & 779, ſunt tranſponendi hunc in modum: ὡς καὶ δοκεῖ μοι - - - καὶ ξύμφορ' εἶναι - - - γάμους τυράννων. In *Andromache*, qui nunc eſt *verſus* 252, debet collocari poſt *verſum* 255, hoc ordine:

τούτων κολαστὴν - - -
ἀλλ' ὡς ἰατρὸν - - -
ἀλλ' ὡς ὀναίμην.

In eodem dramate *verſus* 589 & 590 ſic collocandi: αὐτὸς σίδηρον - - - αὐτός τε κῆρυξ.

In *Troadibus* elegans ſententia tranſpoſitione eſt obſcurata. *Verſus* 1204 & *ſequentes* ſic collocandi:

θνητῶν δὲ μῶρος, ὅστις εὖ πράσσειν δοκῶν
βέβαια χαίρει. τοῖς τρόποις γὰρ αἱ τύχαι
ἔμπληκτος ὡς ἄνθρωπος ἄλλοτ' ἄλλοσε
πηδῶσι, κοὐδεὶς αὐτὸς εὖ τυχεῖ ποτε.

Mortalium ille ſtultus eſt, qui bene ſperans & ex voto ſuas res agere
Semper, gaudet. Nam fortunæ, ratione ſuæ conductionis,

Homini ſimiles inſano, huc illuc
Temere vagantur, neque aliquis, idem ſem-
per, bene unquam agit.

Mitto alia in eodem Poeta loca. Contigit idem & in *Ariſtophane*, ut *Acharn. verſ.* 740 & 741. ſunt tranſponendi. Apud *Oppianum Cyneget.* *III* verſus ſic ſunt digerendi, 495 & *ſequ.*:

Βαιὴν μὲν κεφαλὴν - - -
κυανέην κίνυσι (vel κίνυσι κυανέην) - - -
ἠέρος ὑψιπόροιο - - -
ἀλλ᾽ ἔμπης (potius ἀλλ᾽ ἐπὶ γῆς) - - -
αὐτοῖσιν φορέουσιν - - -
ἐς δὲ βορῆν - - -
κινυμένα - - - οὐδὲ μὲν &c.

quod ex parte *Rittershuſius* quoque animadvertit. *Xenophon* eadem arte corrigendus in Ἑλλην. *VI. p.* ed. *Leuncl.* 626, B: οἱ μὲν ἐπαναβαίνοντας ἐπὶ τὸ τεῖχος, οἱ δὲ καὶ ἔτι ἔξωθεν ἐπὶ ταῖς κλίμαξι. *Ariſtides* quoque *Tom. I* ed. Angl. *pag.* 95, *lin.* 6, ubi ſic leg. - - - τῆς γνώμης. ἡ γὰρ τῆς χώρας ἡμῖν φύσις - - - φανήσεται. οἶμαι δὲ, ἂν, ὡς ὑπὲρ - - - φέρειν αἰσχύνην.) καὶ ὅτι ἡ γῆ πρέπουσα &c. Iis verbis, quæ incluſi uncis, excuſat ſe, quod ἡμῖν dixerat (non ὑμῖν) in ver-

bis

is τῆς χώρας ἡμῖν. *Pag. 233 lin. 2:* Μέλης, νυμφῶν ἐπώνυμος, διωρυχὴν &c. *Meles, a quo Nymphæ Meleides nomen habent.* Ea vocis ἐπώνυμος ſignificatio iam ſatis nota eſt. *Pag. 225, pen.* οἷον τὸ ἐπὶ Δήλῳ, τῷ μηδένα αὐτῦ ψαύειν, καὶ εἴ τι πυ ἄλλοθι ἄλλο τοιῦτον ἐςὶ. τὸ δὲ τῷ σώζειν τὺς χρωμένυς αὐτῷ ἱερὸν ἐςὶ. *Cetera quidem aquæ, ut Deliaca, & ſi qua talis alibi eſt, eo, quod illas nemo attingat, vulgi effugerunt uſurpationem. Hæc autem eo ſacra eſt, quod utentes ſervet.* Alia multa huius rei ſunt in eodem exempla. In *Dione Chryſoſtomo* quoque, ut *pag. 420, D. 2,* πλὴν ὅτι γε, εἰ μηδὲν τῶν ἄλλων ἔχετε πλεῖον, ὅς γε (id eſt ὅμως γε *nihilo minus tamen*) ὧν παρ᾽ ἐκείνυ τότε δι᾽ εὔνοιαν πρὸς αὐτὸν καὶ φιλίαν ἐτύχετε, ταῦτα ὀφείλετε φυλάτ]ειν. Sic legendus locus. Item *pag. 495, C. 1,* qui locus ſic refingendus: Καὶ τύτοις ἀεὶ πλείςοις κατὰ τὰς ὁδὺς ἀπαντᾷν, ὥςε πάντως εἰποντας τι παρελθεῖν ἢ ἀκύσαντας δυσχερὲς, πονηρὸν καὶ δυσχερὲς σύμβολον. Apud *Libanium* περὶ προςασιῶν *pag. 24, lin. 4, 5,* edit. *Iac. Gothofredi* legendum: νομοθέτην ἔχων. ςήσαντα μὲν τυραννίδα, σβέσαντα δὲ σκυθικὴν φλόγα. Idem *Orat. XXI,* edit. *Morell. Tom. II pag. 534, D.* καὶ τῦ τὰ μὲν ἐν μετάλλοις ἐγκεκλημένων (pro ἐγκεκλεισμένων) ὐκ ἔχειν ἐν τηλικύτοις ἐγκλήμασιν. Sic legendum eadem, *pag. 536, C. 4,* leg. ὑποχωρῆσαι κελεύσας· αὐτὸς δὲ τῷ καιρῷ πρέποντα αὐτὸν καταςήσας. *Orat. XXIV pag. 573, D. 6,* leg. λυποίην ἄν. καλῶν δὲ, ὡς ἐ καλ-

 λιον,

λιον, μᾶλλον ἂν &c. Sic fini *Orationis XXX pag.* *641* addendum eſt initium *Orat. XXXIV, pag.* *675*, in hunc modum: καὶ προσδοκᾶτε τῦ πολλῦ χρόνυ τὰς ὑμετέρας κατ᾽ ἐμῦ περιέσεσθαι βλασφημίας. *Orat. XVII pag.* 457, *D. c. f.* ἀλλ᾽ ἐγὼ μὲν ὐκ ἂν ἔποιμι, ὡς ἔχ᾽ ἡδέως μὲν κολάζεις ἄνθρωπον, ταῖς δ᾽ ἀνάγκαις εἴκεις. Mitto alia. *Themiſtio* quoque eadem medicina poteſt paſſim adhiberi, ut *pag.* 138, *D.* 7, (edit. *Harduin.*) ταῦτα μὲν γὰρ ἄν τις καὶ διακόψειε, καὶ διαπλεύσειε, καὶ ὑπερβαίη, καταδεέστερα εἶναι πεπιστευκώς, ἀλλὰ φόβ☉, ὃν ὐδεὶς πώποτε ὑπερέβη. καὶ τρόπαιον ἔστηκε &c. Talia multa poſſent congeri exempla, in quibus librariorum errore nata tranſpoſitio Auctori & doctis quoque interpretibus offecit. Sed ſpecimen iam ſufficiat. Et, quandoquidem ſpatium ſupereſt chartæ, dabo miſcellaneas variorum Auctorum Græcorum emendationes, e quibus intelligere prudentes harum rerum queant, quid a me hoc in genere poſſint exſpectare. Quodſi enim hæc non diſplicuerint, ſingulis *Partibus* horum *Miſcellaneorum* inſeram emendationes meas in unumquemque iſtorum, quos in ingreſſu huius opellæ nominavi, Auctorum.

Herodotum adhuc fœde corruptum eſſe, iam ſupra dixi. Haberemus eum procul dubio emendatiorem, ſi *Küſtero*, aut *Berglero*, magis provinciam eius edendi, quam *Gronovio*, fortuna tribuiſſet. Neminem eſſe puto, qui locum *Lib. III Cap.* 7

initio

initio intelligat, uti editus quidem eſt. Neque enim poteſt ullo modo intelligi, quid ſit ἕλξαντες ὕδατι. *Gronovius*, in minutiis valde μεγαλόφωνος, hic tacet, quia oraculum Mediceum tacebat. Nos, ne diutius detineamus lectores, legendum in poſterum eſſe σάξαντες ὕδατι, pronuntiamus. Senſus loci eſt: Vini ſerias (aut teſtas) e Græcia devectas in Ægyptum, & ibi expromi ſolitas, ſanciebant Perſæ, ſtatim ex quo potiebantur ea provincia, deferri in deſerta, Syriæ & Ægypto interiecta, ſed aqua plenas. Σάξαντες ὕδατι. Non enim tantum σάττειν de rebus aridis dicitur, unde *Sagmata*; ſed etiam de liquidis, *implere*, *refercire*. Appoſitus in hanc rem *Luciani* locus eſt in libro *de Dea Syria pag. 909*, ed. Salmur. ubi ait ἀγγήϊον ἕκαστος ὕδατι σεσαγμένον φέρουσι. Error hic loci natus eſt ex permutata litera Ε cum C (id eſt ε cum σ) & litera Λ cum Α, cuius erroris alibi commiſſi poſſent pleno horreo exempla congeri. Sed id nunc non agimus.

An Scriptor ſapiens, qualem fuiſſe *Herodotum* nemo dubitat, ita ſentire potuerit & ſcribere, ut interpres Latinus eum *Lib. VI, Cap. 28*, exhibet, valde dubito. *Formidine copias invadente*, ait; *traiecit eas* (Hiſtiaeus) *in oppoſitam continentem, ex Atarneo meſſurus frumentum*. Fideliter quidem vertebat verba Græca, qualia coram ſe habebat; ſed abſque bono ſenſu. Editur nempe: ἐν Λέσβῳ δὲ δειμαινούσης οἱ τῆς στρατιῆς πέρην δια-

διαβαίνει, ὡς ἀμήσων τὸν σῖτον. Quid enim *formidini* & *meſſi* commune? Milites territos non puto de colligendis frumentis cogitare. Scribe itaque λιμαινούσης pro δειμαινούσης. Error inde natus. Sæpe permutantur Δ & Λ ob ſimilitudinem. Et veteres pro iota ſimplici, quo nos nunc multa exaramus, adhibebant ει, ut, Ατείμητος, Νεικηφόρος, & innumera alia, numi & marmora exhibent. Senſus erit; *Lesbo autem traiiciebat ea mente, ut colligeret meſſem ex Atarneo, quando quidem copiæ eius fame & annonæ penuria affligebantur.*

Tantum pro ſpecimine *Herodoteo*. *Ariſtophanes* quoque nondum expurgatus eſt, ut debuerat. In *Pluto* diligentem quidem & laude dignam poſuit operam Celeberrimus *Hemſterhuſius*, exſpectationem tamen noſtram non profecto ſuperavit. E. c. *verſu 681* miror Virum acutum non ſenſiſſe, ἤλιζεν legendum pro ἤγιζεν, & *verſ. 689*, in iſtis τὴν χεῖρ' ὑφαίρει, pro prima voce τὴν legendum τῇ. Sic certe in iſto loco non ita fluctuaſſet. Neque eſt difficilis emendatio. Sed eadem quoque eſt certiſſima. Quanti fluctus ad *verſ. 840*. Sed cito eos componemus, legendo; αὐχμὸς γὰρ, ὦ τὰν, σκευαρίων μ' ἀπώλεσεν. In *Nubibus* quoque locus eſt valde memorabilis *verſu 145*, ubi *Socrates* de pulice interrogat *Chærephontem*, ὁπόσους ἅλλοιτο τοὺς αὐτῆς πόδας, *quot aliquis pulex ſaltaret pedes ſuos*, ut fideliter vertit *Friſchlinus*. Atqui ſic loqui, neque Græco, neque Latino, neque humano,

mano more loqui eſt. Scripſit *Ariſtophanes* pro ἄλλοιτο, ἂν θοῖτο. ὁπόσους ἂν θοῖτο τοὺς αὑτῆς πόδας; *quotnam præterpropter cenſeret ei pedes eſſe?* Scilicet ex litera maiore Ν (in ἂν) fecerunt ΛΛ, & Θ (in θοῖτο) ob ſequentem figura ſimilem Ο prætervidérunt. Hinc ex ἂν θοῖτο natum fuit ἄλλοιτο, quod monſtrum ab illo *Ariſtophanis* loco in poſterum abeſto.

Grande quoque vitium adhuc obſidet *Theſmoph. verſ. 5, 18*, quod notavit quoque *Küſterus*, ſed non ſuſtulit. Ἀκοὴν δὲ χοάνης ὦτα διετετρήνατο. Pro prima voce ſubſtituatur δίκην, *ad inſtar infundibuli perforavit aures*, & omnis difficultas erit ſublata.

Theophraſti Characterum libellus aureus eſt & feſtivus; ſed vitiorum adhuc larga ſegete obſitus & fœdus. Quamvis eum magna cura & eruditione ſummus vir, *Iſacus Caſaubonus*, repurgaverit. Nam ſecutorum opera interpretum non magni facienda eſt. E. c. adulatorem ſic pingit. Poteſt, loquente rege ſuo, ſilentium omnibus imponere, καὶ ἐπαινέσαι δὲ ἄκοντος. Hoc ἄκοντος crucem fixit interpretibus, qui *Caſauboni* verſioni non acquieverunt. Legendum autem ᾄδοντος. *Illum canentem poteſt laudare.* Locus, qui hanc emendationem adſtruit, *Luciani* in *Timone* eſt *pag. 124*, edit. *Hemſterhuſ.* in forma minima, & *Plutarchi* alter περὶ δυσωπίας *pag. 943*, ed. *Stephan.* quos adſcribere parco. Conferant, qui velint. *Plato* quoque *pag. 1179*, E. edit. Francof. coniungit

ᾄδειν

ᾄδειν & διαλέγεσθαι. *Cap. IV*, pro ἀγὼν (in iſtis εἰ σήμερον ὁ ἀγὼν νουμηνίαν ἄγει) legendum eſt ὁ ἄρχων. Finis *Cap. VII* ſic concipiendus: Ὅταν αὐτὸν ἤδη καθεύδειν βουλόμενον κελεύῃ λέγοντα. Τάτα. λάλει τι ἡμῖν, ὅπως ἂν ἡμᾶς ὕπνος λάβῃ. *Irrideri ſe fert patienter vel a puerulis ſuis, qui ſomnum iam petituro imperent ſic: O Tata, (o Papa,) narra nobis aliquid, ut poſſimus indormire.* Τάτα, πάπα, παππίδιον, ſunt blanditiæ Græcæ liberorum erga patres, ut conſtat. In fine *Cap. XXI* legendum δεξιὰ καὶ καλὰ (non ἄξια). Nam ἱερὰ ἄξια ſunt *ſacrificia*, εὐτελῆ, *nullius pretii*. Sed δεξιὰ ſunt *Diis accepta & grata. Cap. XXII* initium valde quoque doctos homines implicuit. Unica vox ΕΧΟΥΣΑ mutanda eſt in ΕΧΘΟΥΣΑ. Hic rurſus Θ ob ſequens Ο fuit omiſſum. Senſus eſt: *Illiberalitas eſt lucrum aliquod, ambitioſum impendium odio habens. (La ſichelle eſt le ſoin d'attraper une avantage, en fuyant toute depenſe d'honneur* (ou, *que l'on fait pour ſe faire voir, pour maintenir ſon charactere.)* Mitto reliqua.

In *Euripidis Cyclope*, faceto dramate, lepidus eſt locus; ſed, ut nunc quidem legitur, plane invenuſtus. *Verſ. 312* diſſuadet *Silenus Cyclopi* ſuum conſilium: (*Cyclops* enim devorare volebat *Ulyſſem*,) tantum ſuadebat, ipſi linguam ut exſcinderet:

> Παραινέσαι σοι βούλομαι. τῶν μὲν κρεῶν
> μηδὲν λίπῃς τοῦδ'. ἢ δὲ τὴν γλῶσσαν δάκῃς,
> κομψὸς γενήσῃ καὶ λαλίστατος Κύκλωψ.

Quod

Quod ſic vertunt:

Conſulere tibi volo. De carnibus quidem
Nihil relinquas huius, & ſi linguam eius comederis,
Elegans fies, & loquaciſſimus Cyclops.

Fideliter quidem ſic. Atqui non tantum nulla gratia, ſed etiam abſurdus & Auctori contrarius & pugnans ſenſus, eſt. Latet vitium in voce λί-πης, cuius loco ſcribendum λίπος. Sic ratiocinatur. Parcas, mi *Cyclops*, huic miſero. Nam carnes eius omni pinguedine deſtitutæ & macræ & minus ſapidæ ſunt. Tantum ſuaſerim, eius linguam epuleris. Sic enim evades κομψὸς, argutus (*un bell eſprit, un petit maitre*). Et certe *Ulyſſes* deſcribitur tanquam homo variis fortunæ caſibus attenuatus, itineribus maritimis & terreſtribus & ſolis radiis exſiccatus & emaciatus, prorſus non pinguis, aut obeſæ natis. Dolendum profecto, Græcos Auctores, procul dubio ſapientiſſimos & ſubtiles mortales, a quamplurimis Latinis noſtris hominibus, craſſis & pinguibus, adeo fuiſſe deturpatos, ut *Euripides* a *Porto*, *Libanius* a *Morello*, alii ab aliis, fuerunt.

Sic in *Sophocle*, veram non aſſecuti ſcriptionem, *Antig. verſ. 610*, corruperunt pulcherrimam ſententiam: Κατ' αὖ νιν φονία θεῶν τῶν νερτέρων ἀμᾷ κόνις. *Et nunc eam* (ultimam *Oedipi* ſtirpem) *deorum inferorum Demetit pulvis.* Quaſi vero pulvis poſſit metere. Ferremus hoc in *Euripide*. Tales nugæ in *Sophoclem* non cadunt.

dunt. Pro *κόνις* autem ſcribatur *κόπις*. *Enſis, ſeu falx, inferorum Deorum demetit ultimam ſtirpem Oedipi.*

In *Luciano* locus eſt elegans, ſed idem valde quoque petulans, quem ideo non auſus explicare, relinquam Græce intelligentibus. *Aſino pag.* 167, ed. Salm. ſic legendum: *ὡς εἶδεν ἐ κατελθόντα, - - - περιβάλλεταί με, καὶ ἀράξασα εἴσω ὅλον παρεδέξατο.*

Quod *Alciphron* adeo fœdis maculis typographicis affectus fuerit in editione *Bergleri*, mirum; cum ſciamus, doctiſſimum hominem iis expellendis parem, & alias quoque ad miraculum diligentem, fuiſſe. Id incommodi eſt in ea editione, quod ſæpe neſcias antiqua vitia editionum & codicum a vitiis typographicis diſtinguere. Multa in eo Auctore poſt *Berglerum* & *d'Arnaud* obſervavi & emendavi. Quorum ſpecimen hoc eſto: *Lib. III, Epiſt.* 12, *pag.* 306, corrupte legitur: *ἐγὼ δὲ ἐν μέσαις ταῖς ἡδοναῖς ἐμιμέμην τὸν παῖδα τῆς Καλλιόπης.* Locus hic implicuit *Berglerum*; ſed non vidit, quid Auctor ſcripſerit. Scripſit nempe *ἐν μέσοις τοῖς Ἡδωνοῖς. Quaſi media forem in Thracia, inter Edonos.* Librarius, cui Edoni erant ignoti, notiores ſibi *ἡδονὰς* ſubſtituebat. *Pag.* 104, *Lib. I, Epiſt.* 26, *μάρτιυ* nomen ſuſpectum habet *Berglerus*. Et merito. Scribendum enim *Μαργίτυ*. *Pag.* 56, 2, puto leg. *ἐςὶ δ' ἡ παῖς Ἀςερόπη*. *Pag.* 296, 9, *τῦ νέυ κόμματος.*

Sed

Sed hæc in præſentia ſufficiant. Proxime dabo, quæ parata habeo in *Herodotum*, omnia; & forte de *Petronio* quædam diſſeram; in quo collocata a me qualiscunque opera non placuit aliquibus, illis ſcilicet, qui hac de re aut neſciunt iudicium ferre, aut æquum ferre præ amore *Burmanni* nolunt. Minutos ego iſtos ſpiritus magno animo contemno, meorum mihi meritorum conſcius. Non glorior, ſi dicam, in iſta mea feſtinata opera, quam fere aliud agendo confeci, me plus commodi & lucis attuliſſe *Petronio*, quam *Burmannus* ſuo tot annis & tot curis elaborato Commentario. Id ſcio me poſſe, ſi requiratur, evidenter demonſtrare.

VI.

FRID. OTTONIS MENCKENII MODESTA EORVM, QVAE AD MINVCIVM FELICEM A CELEBERRIMO HEVMANNO OBSERVATA SVNT, ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

Non eſt mihi timendum, ne, ſi in re ad literas ſpectante diſſidere me paululum a Viro docto, & magnum inter viros doctos nomen

conſecuto, *Heumanno*, profitear, ea in re inique a me agi, aut is ipſe, aut ſi qui ſunt Lectorum meorum *Heumannianæ* famæ ſtudioſiores, exiſtiment. Habet primum tam certas, tamque inſignes, ad ſtudia literarum utilitates libera illa res dubias in utramque partem diſputandi exercitatio, ut, qui bene cupiunt literis, hi non poſſint non amare potius a ſe amice & cum ratione diſſentientes, quam odio illiberali proſequi; deinde eo Vir ingenio, ea morum elegantia, *Heumannus* eſt, ut ne conviciis quidem, quibus nec ipſis carere virtus poteſt, nedum tali genere ſcriptorum, a quo longiſſime abeſt contradicendi obtrectandive libido, avocari ab innata ipſi humanitate poſſit; denique, me ipſum, omnes norunt, lædendæ eorum, qui in publica doctrinæ & meritorum exiſtimatione vivunt, dignitati nec ullo aſſuefactum uſu, nec, ut verum fatear, ſatis aptum natura, eſſe. Quo minorem igitur res ipſa aut notam turpitudinis, aut iniuriæ & iniquitatis ſpeciem, habet; & quo certius ipſi id perſuaſum *Heumanno* ſcio, non poſſe a *Menckenio*, homine, ſi animus ſpectetur, non malo, in celebrandis autem Virorum maximorum laudibus ita, ut par eſt, diligenti, tale quidquam, cuius pudere etiam peſſimum quemque debeat, exſpectari; hoc meliora mihi iam ſperare ab æquitate, primum *Heumanni*, qui mea omnia ſpectare vultu placido & favoris pleno ſolet, deinde aliorum, quicunque ſunt, Lectorum, licet, non accuſanti Virum optimum, aut ad certamen provocanti, ſed

amice

amice ac modeſte compellanti, & tanquam in aliquem ludum prodeunti, in quo diſcendi, non docendi, gratia, auditor *Heumanni*, non magiſter, ſedeam. Huic, ſive ingenium, ſive animus, ſpectetur, egregio & prorſus amabili Viro quantum liberales quæque artes, quantum humanitatis inprimis ſtudia, quantum veteres Auctores Græci & Latini, debeant, ignorare, niſi rerum omnium incurioſiſſimus, non poteſt. Is, poſt præſtitam tot aliis, qui, peſſime habiti iniuria ætatis, opem artemque Criticorum deſiderabant, Scriptoribus, *Ciceroni*, *Quintiliano*, *Lactantio*, & horum ſimilibus multis, inſignem utilemque operam, nuper demum in *Minucio Felice*, ea cura digniſſimo Scriptore, nobilem induſtriam exercuit, tamque hunc laborem felicibus auſpiciis aggreſſus eſt, ut, ſi ex primo eius ſpecimine, paucos ante menſes dato, iudicium facere de his, quæ deinde ſequentur, liceat, hunc ſibi non poſſit non & ipſe *Minucius* dignitatis ſuæ novum vindicem, & literata reſpublica præclariſſime de ſe meritum civem, & hæc ætas noſtra elegantioris doctrinæ vigilantiſſimum cuſtodem, veteriſque elegantiæ conſervatorem, gratulari. Habent enim, quas nuper Vir doctiſſimus in hiſce *Miſcellaneis* publica donatas luce voluit, *Minucii Felicis emendationes*, tantam ab ingenio pariter ac doctrina commendationem, ut minime ſit dubitandum, ſi ceteris Auctoribus, qui ſuas inde a tot ſeculis, non ſine magno literarum detrimento, maculas circumferunt, æque docti ac ſolertes interpretes

contingerent, brevi nos de revocata ad nitorem priſtinum doctrina elegantiori, inprimis vero de reddito Romanæ eloquentiæ honore ſuo, gaudendi cauſam habituros. Has igitur, ut ipſe fieri a me voluit *Heumannus*, legenti mihi nuper, iterumque ac ſæpius legenti, *Emendationes*, mirifice ſe illa in pervidendis vulneribus oculorum acies, in ſanandis autem diligentia ac vis ingenii, probavit, resque mira ac ſingularis viſa, uni, poſt illam tot interpretum, *Wolveri*, *Elmenhorſtii*, *Heraldi*, *Rigaltii*, *Daviſii*, *Gronovii*que, meſſem, tantum colligere ſpicarum *Heumanno* licuiſſe. Nimirum intelligi vel hoc exemplo poteſt, in omni huius generis labore non debere, quam is multos, aut cuius nominis & famæ, viros, ſed quam doctos, & acutos, & peritos artis, occupaverit, ſpectari, nec recte facere eos, qui ideo a munere, examinandi veterum Auctorum loca dubia, abſtinendum ſibi putant, quod negatam ante ſe doctrinæ etiam ſummæ viris, inveniendi meliora, felicitatem videant. Ita enim fieri ſæpiſſime ſolet, ut, qui totus in laborem hunc incumbit, & cum doctrina excellente non vulgarem induſtriam coniungit, is & maiores, quam quisquam ante eum alius, in emendandi partim, partim interpretandi, ſtudio progreſſus faciat, & in obſcuros abditosque veterum Scriptorum ſenſus felicius pervadat. Ea laude, ſi quis alius, digniſſimus *Heumannus* eſt, qui, longa illa interpretum turba nihil ſe paſſus deterreri ab ornandis iuvandisque literis, &, quam illi paſſim aut male geſſerint munus ſuum, aut negli-

gli-

gligenter a locis maxime ſuſpectis abſtinuerint manus ſuas, acute videns, hoc maiori animo rem in commune utilem aggreſſus eſt, quo certiorem, ſi deſperata pæne vulnera ſanare, & luxata membra reponere in locum, ſciret, a doctis ad unum omnibus initurus gratiam videbatur. De me igitur, qui mediocres etiam qualiumcunque Scriptorum conatus in aliquo numero habere ſoleo, perſuaſiſſimum hoc eſſe *Heumanno* poteſt, tantum a me tribui, quas ex parte nuper dedit, ex parte daturus deinde eſt, in *Felicem* animadverſionibus, quantum vix ullis aliorum, quicunque ſunt, interpretum laboribus, &, ſi in ſuffragia eundum fuerit, inter eorum, qui plauſus ei gratulationesque decernent, primos me futurum. Dixiſſe hoc, priusquam ad emendationum ſingulas deveniamus, in univerſum de toto hoc labore ſufficiat, ne, ſi quis poſtea in una, aut altera, hærere me aliquantulum, nec diſerte a me laudari ceteras, intellexerit, ideo aut pauca illa, mihi quodammodo dubia, minus a me probari, aut ceteris omnibus negari laudes ſuas, exiſtimet. Nam, ſi dudum hoc exemplis comprobatum eſt, poſſe etiam tales emendationes, quæ ingenii & doctrinæ plurimum oſtendunt, ſi ad loca per ſe obſcura, & ſuis quaſi nebulis obtecta, proferantur, variis variorum coniecturis occaſionem præbere, nec raro in re tali fortunæ, quam artis, vim maiorem eſſe, etiam *Heumannianis* illis, quantumvis aut mihi, aut aliis, in dubitationem adductis, ideo, quod felici ingenio excogitatæ ſint, & ab excellenti arti-

ſice provenerint, omnis poſteritas favebit. Itaque conantem lucis aliquid Scriptori non ignobili, *Minucio*, afferre, ſecurum me eſſe de *Heumanni*, æquiſſimi iudicis, ſententia, ipſa eorum, quæ is ante me in hoc Scriptore præſtitit, omnibus perſpecta dignitas iubet; nec parum fortaſſe temeritatis, ſi qua eſt, peccatum minuere illud poteſt, quod nihil a me moroſe, nihil cum faſtidio, aut ſtrepitu, dicetur, ſed ubique decentem verborum modeſtiam adhibebo, nec refutantis, aut caſtigantis, ſed quærentis tantum, & oborta dubitatione exſolvere ſe cupientis, perſonam ſuſtinebo. Age igitur, ſi quid, non dicam ingenio, aut arte, valemus, ſed quadam velut fortuna invenire nobis datum eſt, id ad commune literarum bonum conferamus.

In verbis: *Ut & in ludicris & ſeriis pari mecum voluntate concineret*, illud *& ſeriis*, meminiſti, Lector, ab *Heumanno* in *& in ſeriis* mutari. Ubi alii aliter fortaſſe. Ego certe vulgatam lectionem non invitus retinerem, alienus longe ab eorum more, qui ad aureæ ætatis elegantiam exigere qualescumque ex argentea, aut ænea, Scriptores ſolent. Non *Ciceronem* aliquem, quem, bene ſcio, ita, ut *Minucium Heumannus* vellet, locutum, ſed *Minucium*, mihi reddi cupio, ſatis Latinum, ſed non ita incorruptum, ut tribus ante Seculis alios, Scriptorem. Amant certe eiuſmodi dicendi compendia veteres illi Seculi ſecundi & tertii Auctores, illi inprimis, qui ſermone brevi & conciſo utuntur, & rerum magis, quam verborum, copiam ſectantur. Ex *Tacito*, *Plinio*,

nio, *Suetonio*, & illius ætatis aliis, non dubitarem, ſi id nunc ageremus, exempla peti ſatis multa poſſe.

Idem ego dicendum putarim de emendatione verborum: *Eadem vellet, vel nollet*, ubi legendum *vel vellet, vel nollet*, *Heumanno* videtur. Scilicet *Heumannum* hic, magni Virum ingenii, agnoſcis, tale quid ſubodorantem, quod & fieri facillime potuit, & factum in locis veterum Auctorum ſexcentis ſcimus, ut voculam *vel* ideo neglexerit librarius, quod ſubſequentem *vellet* ei ſimillimam videret, atque adeo priorem illam ſcriptam per errorem putaret. Ita ingenioſe, inquam; ſed neſcio, an ideo vere etiam. Tali emendatione ſi in re manifeſto vitioſa utamur, nemo non acumen ſtudiumque probet; ſin loco ſano, & medicinam reſpuenti, adhibeatur, unam ingenii laudem, nec quidquam præterea, acquiret. Rectius utique & elegantius *vel vellet, vel nollet*, dixiſſet *Minucius*; ſed fortaſſe nec hoc in loco elegantior eſſe voluit, quam per totum librum fuit. Nam, inter principes & omnium puriſſimos Auctores reponi *Minucium* debere, id quidem minime perſuaſum *Heumanno* puto. Nec is vitii accuſabit tale dicendi genus, quo frequentiſſime uſos veteres Auctores, etiam elegantiæ, quam fuit *Minucius*, ſtudioſiores, conſtat. Ex *Suetonio*, ejusque una *Julii Cæſaris Vita*, vel leviter inquirenti hæc ſunt obvia: *Cap. 9: Tanuſius adiicit, Craſſum, pœnitentia*, vel metu, *diem cædi deſtinatum non obiiſſe*; & *Cap. 27: Niſi quos*

gravior criminum, vel inopiæ, *luxuriæve, vis urgeret*; & *Cap.* 57: *Si flumina morarentur, nando trajiciens*, vel innixus *inflatis utribus*; & *Cap.* 59: *Ne religione quidem ulla a quoquam incepto absterritus unquam*, vel retardatus *eſt*; & *Cap.* 65: *Repente interdiu*, vel nocte, *ſubtrahebat*; & *Cap.* 79: *migraturum Alexandriam*, vel Ilium; & *Cap.* 80: *An in ſacra via*, vel in aditu theatri, *adorirentur*. Itaque, ſic, ut vulgo legitur, dicere *Felicem* potuiſſe, non eſt dubium; voluiſſe autem, hoc facilius crediderim, quo magis ipſe cavendum intelligebat, ne delicatas aures illa duas ejusdem formæ ac ſoni voculas coniungendi ratio offenderet.

De emendatione verborum: *Sic ſolus in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus: & cum, diſcuſſa caligine, de tenebrarum profundo in lucem ſapientiæ & veritatis emergerem, non reſpuit comitem*, nihil dicam, niſi hoc unum, minus ea opus fuiſſe ſano & incorrupto loco, atque hac ipſa obſcuriora fieri *Felicis* verba, quam ſine ea fuerant. Hæſiſſe & *Heumannus*, &, ex cuius *Adverſariorum* libro emendatio huius loci in *Obſervat. miſcell. crit. Vol. IX Tom. II pag.* 164 profertur, *Schefferus*, in voce *conſcius* videntur, cujus ſi ſatis cognitam habebant vim, nihil cauſæ erat, cur in officina gloſſatoris natam, ideoque tollendam, iudicarent. Non hic adjectivi, ut fere plerumque, ſed ſubſtantivi, locum ſuſtinet vox *conſcius*, *eum* notans, *quem participem facere alter ſuorum omnium conſiliorum, cum quo communicare,*

cuius

cuius opera uti in rebus, inprimis non adeo honeſtis, ſolet. Bene ſcio, in Lexicis hanc vocabuli notionem fruſtra quæri; at magna ſcilicet hæc labes Lexicorum eſt, quod utilia etiam, nec paucis confirmata exemplis veterum, prætermittant. Vera a me dici, haud difficile intelliget, qui ea legit, quæ de iſta pariter ac cognata ei voce, *conſcia*, in horum *Miſcellaneorum Vol. II P. II pag. 362 & 364* diximus, ubi exemplorum, unde is, quem poſui, vocabuli ſignificatus cognoſci poteſt, plus, quam ſatis eſt, a me datum. Illa omnia ad probandum vim inſignem habent; at nullo melius utare, quam illo *Taciti Hiſt. Lib. I Cap. 39*, ubi *conſcius Othonis* non is, qui notitiam *Othonis* habet, ſed quo ille cupiditatum ſuarum adminiſtro utitur, cui ab *Othone* res quæque arcanæ ſunt commiſſæ, dicitur. Similis huic locus eſt eiusdem *Taciti* in *German. Cap. 10: Se enim miniſtros Deorum, illos* (equos) conſcios, *putant;* quem locum recte interpretari is demum ſciat, qui meminerit, equis eum antiquitus honorem tributum, ut cum Diis familiarius verſari, & horum adhiberi conſiliis, crederentur. Ad eundem modum *Suetonius*, quem locum nunc primum invenio, in *Vitell. Cap. 2: Poſt Prætura honorem inter* Seiani conſcios *corruptus, & in cuſtodiam fratri datus;* ubi *Sejani conſcii* Suetonio non aliter, ac *conſcii Othonis* Tacito, dicuntur. Vel maxime autem vocabulum hoc convenire ei, qui in amoribus clandeſtinis ſuam alteri operam commodare ſolet, inde coniicere licet, quod

altera illa, nihil præter genus ab hac diverſi habens, vox *conſcia* de ea inprimis *miniſtra* & *ancilla* uſurpetur, quam domina nihil celare eorum ſolet, quæ pertinent ad amores ſuos nocturnasque converſationes. Non ero moleſtus Lectori, proferendo tot, quot ſuppetunt, exempla, inprimis cum magna eorum pars loco, paulo ante indicato, a me collecta ſit; non alienum tamen ab hoc loco fuerit, vel unius illa *Ovidii* hic legi ex *Arte am. Lib. III v. 619:*

Conſcia *cum poſſit ſcriptas portare tabellas,*
Quæ tegat in tepido faſcia lata ſinu?
— — — — —
Caverit hac cuſtos; pro charta conſcia *tergum*
Præbeat, inque ſuo corpore verba ferat;
— — — — — —
Nec male, deliciis odioſum conſcia *tardis*
Detinet; & longa jungitur ipſa mora;

& alia ex *Lib. I de Arte am. v. 354:*

Sed prius ancillam captandæ noſſe puellæ
Cura ſit: acceſſus molliat illa tuos;
Proxima conſiliis dominæ ſit ut illa, videto:
Neve parum tacitis conſcia fida *iocis;*

quibus addere iuvat, cum maxime huc faciat, *Iuvenalis* verſum in *Sat. XIV, 28:*

\- - - Conſcia *matri*
Virgo fuit; ceras nunc hac dictante puſillas
Implet, & ad mæchum dat eisdem ferre cinædis.

Poſito

Poſito igitur, & ſatis firmato, hoc vocum *conſcia* & *conſcius* ſignificatu, ſatis patet, *in amoribus conſcium Minucio* eſſe eum, qui in amoribus adeſſe alteri non tantum conſilio, ſed inprimis etiam ope & miniſterio, ſolet. Eadem hic dicendi ratione utitur *Minucius*, qua in loco prorſus ſimili *Tullius*; quem qui legerit locum, vix temperare ſibi poſſit, quin imitatione expreſſum a *Minucio* exiſtimet. Ita ille *Lib. I ad Attic. Ep. 18: Tu, qui ſæpiſſime curam & angorem animi mei ſermone & conſilio levaſti tuo; qui mihi* & in publica re ſocius, & in privatis omnibus conſcius, *& omnium meorum ſermonum & conſiliorum particeps, eſſe ſoles.* Coniunctas hic a *Tullio*, ut a *Minucio*, voces *ſocius* & *conſcius*, nec coniunctas tantum, ſed eadem etiam formula coniunctas, vides; ut, ſicut *Minucius in amoribus conſcium, & in erroribus ſocium*, ſic *Tullius in publica re ſocium*, & *in privatis omnibus conſcium*, dixerit. Iam igitur, ſi nihil eſt, quod legentem te moretur in *Ciceronis* loco, nec obſcura eſſe verba *Felicis* poſſunt, modo, *ſolus* illud, quod eſt ante *conſcius*, tacite repetendum eſſe ante *ſocius*, dubitare nolis. Attende, quæſo, Lector, &, cum illa verba interpretantem me audieris, mirare mecum, qui fieri potuerit, ut in loco tam plano viri etiam doctiſſimi offenderint. Nimirum is verborum ſenſus eſt: *Solum me participem eſſe voluit amorum ſuorum, ſolum me errorum in religione ſocium habuit, &, cum, depoſitis his erroribus, veram ſapientiam amplecterer, hac etiam in re comitem me,*

ei præbui, *aut is potius me glorioſe præcucurrit.* Aut mihi nihil in his rebus videre datum eſt, aut locum vix ſcio, cui minus labis, quam huic *Minucii*, adhæreat. Nec facile aſſenſum a me ferat *Heumannus*, de *Gronovii* interpretatione, ad noſtram hanc proxime accedente, talem eſſe, iudicanti, ut vix ulli placere poſſit. Atqui hæc non mihi tantum placet, ſed, ſi recte inſtruatur, fortaſſe omnibus. Rectius ego de *Scheſferi* emendatione, *ſolus* in *ſocius* mutantis, & ita fingentis verba: *Sic ſocius in amoribus eſſe, ſocius in erroribus*, dixerim, nec probaturam ſe ulli, nec ſe poſſe facile probare. Nam, ut frigida eſt hæc eiusdem verbi repetitio, ſic etiam tollendæ vocis *ſolus* nulla cauſa fuit, quippe quæ hoc in loco, ubi de *Felicis* & *Octavii* amicitia, & de una mente in duobus diviſa, ſermo eſt, non exiguam habere vim videtur.

Similiter vim inferri criticam nolim his *Minucii* verbis: *Nam negotii & viſendi mei gratia Romam contenderat, relicta domo, coniuge, liberis, &, quod eſt in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus, & adhuc dimidiata verba tentantibus.* Sunt enim non Latina tantum, ſed clara etiam, commodumque, meo iudicio, ſenſum habent. Bene ſibi omnia conſtant, ſi ita, ſicut ipſa verborum docet ſeries & collocatio, accipiantur. Romam contendiſſe, ait *Minucius*, *Octavium*, relictis liberis, & liberis quidem ætatis teneræ & innocentis, & dimidiata verba tentantibus, quod ipſum vel maxime amabiles liberos, & in-

gra-

gratam eorum abſentiam, faciat. Mentem Auctoris intelligis, nec is aliis hanc verbis, quam his, quæ ſunt in vulgatis libris, exprimere potuit. Illud *annis*, tantum abeſt, ut delendum, ut vel maxime ſervandum, putem. Docuit enim multis, iisque clariſſimis, Scriptorum veterum exemplis in Nota ad h. l. *Elmenhorſtius*, ætatem inprimis infantum innocentem & inſontem dici. Non igitur ad *liberis*, ſed ad *annis*, referendum eſt illud *innocentibus*, ſatisque recte & Latine *Minucius* dixit, ſi quidem in formula, *liberi annis innocentibus*, & *dimidiata verba tentantes*, quod reprehendas, nihil eſt. Sane, *liberos annis innocentibus* idem eſſe, quod *liberi, qui ſunt annorum innocentium*, vel mediocriter Latine doctus ignorare non poteſt.

In verbis: *Quo in adventu eius non poſſum exprimere ſermonibus, quanto, quamque impatienti, gaudio exultaverim*, quid cauſæ ſit, cur pro *impatienti* legendum *Heumannus impotenti* ſciſcat, haud intelligo. Non enim ſufficit, oſtendiſſe, ſatis bonum eſſe *impotenti*: etſi nec hoc oſtendit *Heumannus*, certe in *Minucii* hoc loco, ubi alteri voci *tantus* non magis convenire *tam impotens* videtur, quam ſi rem eandem *Minucius* & *magnam*, & *parvam*, dixiſſet; ſed hoc inprimis velim oſtendi, non æque bonum *impatienti* eſſe. Loca volumus corrupta emendari, non ideo corrumpi, ut emendari poſſint. Atqui eiusmodi eſt vocabulum *impatiens*, ut de vehementibus animi commotionibus inprimis uſurpetur,

petur, atque adeo de *gaudio* recte poſſit uſurpari. Nam, ſi *dolorem* non male dixeris, & dixerunt veteres, *impatientem*, non video, cur minus hoc vocabulum tribuendum *gaudio*, quod eandem, commovendi animum, habet vim, exiſtimetur. Ita nempe de *dolore Iuſtinus Lib. XII Cap. 15: Cum lacrymarent omnes, ipſe non ſine lacrymis tantum, verum etiam ullo triſtioris mentis argumento, fuit, ut quosdam* impatientius dolentes *conſolatus ſit*; & *Lib. XXXII Cap. 3: His rebus offenſus Philippus*, impatientius *in dies mortem Demetrii* dolebat; & *Aurel. Victor* in *Caeſ. Cap. 6: Qui praelatum adoptione eius Piſonem* impatientius dolens; & in *Epit. Cap. 14:* Dolore *ardens*, impatiensque, *plures e Senatu exſtinxit*; & *Plinius Lib. IX Ep. 22:* Dolet, *ut qui* impatientiſſime; & *Tacitus Lib. IV Annal. Cap. 17: Tum vero, aequari adoleſcentes ſenecta ſua*, impatienter indoluit.

Verba haec *Minucii*: *Quod eſſet corpori meo ſiccandis humoribus de marinis lavacris blanda & appoſita curatio*, ita emendat *Heumannus*, ut *corpori meo* in *corporis mei* convertat. Bene ita, ſi novum nobis exhiberi *Minucium*, non, ſi reſtitui veterem, velimus. Ita, ut *Heumannus* emendat, forte Scriptor alius quisque dixiſſet; *Minucio* liberum hoc ſit, rem eandem aliis verbis, modo Latinis, & ſenſu non deſtitutis, dicere. Intelligere te negas verba? Vix crediderim. Mihi certe lux nulla eſſe clarior poteſt, quam hic *Felicis* locus eſt. Forte igitur, ita dici Latine, negas? Nec id quidem putem, cui *Minucius* vide-

detur

detur hic non Latine tantum, ſed vulgari etiam ratione melius, locutus. Eleganter enim, & ex optimorum Auctorum more, *ſiccandis humoribus* pro *ad ſiccandos humores* dixit. In quo ſi mecum conſentias, in toto illo dicendi genere, quod reprehendi poſſit, nihil video. Nam, bene ita dici: *Corpori meo appoſita eſt curatio de marinis lavacris, ad ſiccandos humores*, qui ſcil. ſunt in corpore, etiam ne verbo quidem a me monitus agnoſcis.

Ex eodem genere illud eſt, quod, reiecto *ad*, nobis legendum *ob* commendatur in his verbis: *Sane & ad vindemiam feriæ iudiciariam curam relaxaverant.* Immerenti voculæ hæc iniuria infertur, nec, qui ſatis habet cognitum, in multis Auctorum locis, quorum magna pars a *Io. Frid. Gronovio* ad *Senecæ Lib. IV de Benef. Cap. 6* collecta eſt, *ad* notare idem, quod *illo tempore*, aut *circa illud tempus*, is minus commode poſitum hoc in loco iudicabit, quo *feriæ ad vindemiam* illæ ſunt, quæ vindemiæ tempore habentur, &, ut verum dicam, elegantius ita, quam ſi *ob* ponatur pro *ad*, dicuntur. Illorum locorum, quæ ſunt ubique obvia, nihil proferam, præter unum illum, quem omnibus aliis prætulerim, in *Verrinis Tullii*: *Quo vaſe utebatur ad* feſtos dies, & ad hoſpitum adventum.

Illud *litore*, quod vulgo legitur in his: *Itaque, cum diluculo ad mare inambulando* litore *pergeremus*, multo melius eſt, quam, quod nobis *Cellarius*, non ſane ὁ κριτικώτατος, & poſt eum *Heumannus*, dede-

dederunt, *litori*. Incognita enim Scriptoribus antiquis formula, *inambulare litori*, eſt; nec uſquam hoc verbum cum dandi caſu coniunctum invenio. Diligenter & curioſe inſpecti mihi eum in finem Auctorum veterum non unus & alter, ſed pæne omnes, ſunt; in quorum multis verbum hoc abſolute pro *ambulare* poſitum legitur, nonnulli cum præpoſitionibus *ſub*, *per*, inprimis vero *in*, coniunctum habent, dativum caſum ei, quod ſciam, nemo iunxit. Gerundii igitur, non participii, vim habet *inambulando* illud; *litore* autem pro *in litore* poſitum eſt eodem modo, quo apud *Livium Lib. XXIII Cap. 21: Qui ceciderant* pugna Cannenſi; & *Florum Lib. III Cap. 16: Occiſo palam* comitiis *Annio*; & *Curtium Lib. VII Cap. 7: Cecidere* eo prælio *peditum duo millia*; & *Ovidium Epiſt. I Her. verſ. 21:*

Denique quisquis erat caſtris *iugulatus* Achivis;

aliosque plures, adductos ex parte a Clariſſ. *Drakenborchio* ad *Livii Lib. IX Cap. 32.* Bona igitur, certe tolerabilis, eſt loci noſtri vulgata lectio, quam tali permutare, cui ipſe Latinæ linguæ quaſi genius adverſatur, neſcio, an adeo dignum laude, & utile literis, ſit putandum.

Suſpecta *Heumanno* hæc ſunt: *Ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet*, non alia forte de cauſa, quam quod maſculinum genus additum voci *vulgus* nolit. Atqui vero eodem genere vocem hanc *Horatius* habet *Lib. II Serm. III verſ. 62:*

- - *Huic*

- - - - - *Huic ego* vulgum
Errori ſimilem *cunctum inſanire docebo.*

Sed rarioris utique uſus eſt hæc ratio; ideoque, per me licet, emendentur *Felicis* verba, modo eam emendandi rationem præ ceteris ſervandam putes, quæ ad vulgatam lectionem proxime accedit; quod fieri utique poteſt, ſi *ſuperſtitioſius* potius, quam *ſuperſtitioſe*, legas. Eſt enim comparativum hoc vocabulum, ſive ab adiectivo, ſive ab adverbio, ductum, huic loco valde commodum, nec uſquam alibi facilius, quam ſcribendo *ſuperſtitioſus* pro *ſuperſtitioſius*, errare potuit librarius.

Ingenii laudem iure ſuo feret *Heumannus*, in verbis: *Cum hoc ſermone eius medium ſpatium civitatis emenſi, itineris* pro *civitatis* legens. Eſt enim hæc una & optima, locum, qui mihi pæne deſperatus videtur, iuvandi, ratio. Unum hoc addo, quia longior eſt vox *civitatis*, quam ut ex una *itineris* conflata videatur, non inanem fortaſſe coniecturam fore ſcribentis: *via & itineris*, quæ deinde a librario, oculorum acie deſtituto, in unam *civitatis* vocem quidni contracta putes? Quod vero idem *Heumannus* acumen in eo laudat *Daviſii*, quod hoc ipſum *civitatis* tollendum iubet, id, neſcio, an magno huius merito ſit factum. Nam, uti per ſe temeritatis, quam ingenii, maioris res eſt, e medio tollere hæc, quæ difficilem explicandi laborem faciunt, ita nec hoc in loco quidquam mihi cernitur acuminis,

quod nemo facile lectorum, etiam qui mediocriter oculati ſunt, futurus ſit, cui non, lecto hoc loco, ſtatim in mentem veniat, abeſſe ab eo vocem *civitatis* poſſe, eandemque ſalva orationis ſerie deleri. Ceterum mihi indicari velim locum, ubi *Daviſii* hæc conjectura legitur. Verbis enim, quæ diximus, *Minucii* additum ab eo Notarum nihil invenio; niſi forte eam *Minucii* editionem, quæ anno 1707 prodiit, ipſe ſequi aliam, eamque auctiorem, iuſſit, quam mihi quidem adhuc fateor incognitam.

Verborum: *Et ut ſemper mare etiam poſitis flatibus inquietum eſt*, - - *delectati perquam ſumus*, ita diligens & ingenioſus emendator *Heumannus* eſt, ut, ſi quid in his rebus eſſe nimium poteſt, induſtriæ & ſolertiæ pæne modum excedat. In uno eodemqne loco nunc eiicere verba, nunc nova aſſuere, nunc alia aliis permutare, id mihi videtur non tam emendare, quam Auctorem prorſus novum, aliumque ac volumus, effingere. Certe, *exibat* pro *æſtuat*, *ibidem* pro *lambit*, ſcriptum a librario, nemo facile credat, nec ipſe *Heumannus* credit. A talibus locis, quæ ſenſum, licet difficiliorem, tamen non omnino nullum, habent, ſatius eſt, meo iudicio, abſtinere manum criticam, quam emendatione minus probabili corruptiora efficere. Ego ſane verba *Minucii*, ut vulgo exſtant, ſatis intelligo, inprimis ſi ita interpungantur, ſicut factum a *Balduino*, qui legit, *toroſisque. Ibidem erroribus* &c. Sic enim optime cohærent omnia,

nec

nec male *errores* dixit *Minucius*, cum æquor nunc appulſum pedibus alludit fluctus; nunc relabens eosdem in ſeſe reſorbet. Etiam *toroſis* ferri poteſt, ob ſimilitudinem fluctuum cum toris pecudum, cuius, non video, cur rationem habuiſſe nullam putandus ſit *Minucius*. Ego, inquam, intelligo verba; an alii æque, nihil laboro.

Doloris pro *dolere* legendum ſuſpicatur *Heumannus* in his verbis: *Tacens, anxius, ſegregatus, dolere neſcio quid vultu fatebatur*. Egregie ita, ſi quidem opus ſit hac coniectura. Iam, cum æque bonum ſit, *dolere*, non id loco movendum duxerim. Nam, more ſibi familiari, verbum *dolere Minucius* pro ſubſtantivo *dolor* uſurpavit. Simili ratione ſupra dixerat: *Pari mecum voluntate concineret eadem velle, vel nolle*; quod ipſum adeo mutatum nollem ab *Heumanno* in *eadem vellet, vel nollet*. Itaque pro *dolorem neſcio quem fatebatur*, non male *Minucius*, certe ex ſua dicendi ratione, *dolere neſcio quid fatebatur* dixit.

Nec ſatis ſcio, an gratiam a Lectore initurus ſit *Heumannus*, emendatione horum verborum: *Cur non agnoſco, Cæcili, alacritatem tuam illam, & illam oculorum etiam in ſeriis bilaritatem requiro?* quæ ſic legenda ſuadet: *Cur non agnoſco, Cæcili, alacritatem tuam illam & illam oculorum etiam in ſeriis bilaritatem?* Ita utique potuiſſet dicere, at non dixit, *Minucius*. Dixit autem ita, ut ab omnibus intelligi poſſit, niſi quem male illud habeat, quod repetita non ſit vocula *cur*,

 quam

quam ſupplendam *Minucius*, ut fere ſolet in talibus voculis, quibus uſus paulo ante fuerat, lectoribus reliquit. Audeasne tu reprehendere ita dicentem: *Cur non agnoſco illam alacritatem tuam, & cur hilaritatem illam tuam requiro?* Non audebis, puto.

In his *Capitis quarti* verbis: *Quanquam tibi, Marce, frater, de quo cummaxime quærimus, non ſit anbiguum*, illud *cummaxime*, ex *Heumanni*, non ex mea, ſententia, *hoc ipſo tempore* notat. Non me fugit, poſſe in hoc æque ac in aliis Auctorum locis hanc vocabulo vim tribui; at nemo tamen, proprium hunc eius ſignificatum eſſe, dixerit, qui ea legerit, quæ a doctiſſimo Viro, *Io. Aug. Erneſti*, in *Clave Ciceroniana* Voc. *Cummaxime* diſputata ſunt. Satis enim ille ex Latinæ linguæ ratione, & ex veterum exemplis, oſtendit, hoc *cummaxime* per ellipſin pro *ut cum maxime* dici, & in omnibus Auctorum locis, etiam in his, ubi *nunc* ſignificare poteſt, augendæ orationis vim habere. Nec aliter ſe res habet in loco hoc *Minucii*, qui cum proprium voculæ ſignificatum admittat, non eſt, cur multo remotiorem, & adhuc valde dubium, ſectemur.

Cur *propenſus* in *propenſius* mutandum putet *Heumannus* in his verbis: *Ut libram teneas æquiſſimi iudicis, nec in alteram partem propenſus incumbas*, non mihi dictu adeo proclive eſt. Certe formula *propenſus in alteram partem* ipſi uſurpata *Ciceroni* eſt *Lib. VIII ad Attic. Ep. 3: Multitudo & infimus quisque* propenſus in alteram partem, *multi*

ri mutationis rerum cupidi. Quod vero voces duas, *propenſus* & *incumbas*, coniungit *Minucius*, ad quarum utramque referri illud *in utramque partem* poteſt, id ei demum mirum & inſolitum videri poteſt, qui *Minucium* non legit integrum, hoc dicendi genere ſæpiſſime utentem. Ita enim ſupra *Cap. 3: Ibi arenas extimas, velut ſterneret ambulacro*, perfundens *lenis unda* tendebat; & paulo poſt: *Quod* (æquor) *viciſſim nunc appulſum noſtris pedibus* alluderet *fluctus*; & eodem *Capite: Eandem* emenſi *viam rurſus verſis veſtigiis* terebamus. Infra etiam *Cap. 4: Quæ ſupra nos cælò* ſuſpenſa ſublata ſunt. Sed in his etiam locis ſive emendandis, ſive aliter, ac ſolent ceteri interpretes, explicandis, totus eſt *Heumannus*, non alia, ut mihi videtur, ex ratione, quam quod genus hoc dicendi, non uni uſitatum *Minucio*, Latino ſcriptore indignum putet. Feceritne in eo rem *Minúcio*, ſi viveret, ſatis gratam, non equidem dixerim.

Magis mihi, ne quid diſſimulem, probatur vulgata lectio verborum: *Itaque indignandum omnibus - - audere quosdam - - certum aliquid de ſumma rerum, ac maieſtate, decernere*; quam *Heumanniana: de ſumma rerum maieſtate*. Fortiorem enim & nervoſiorem in vulgatis, quam in illis *Heumanni*, ineſſe ſententiam putem. Eleganter a *Minucio ſumma rerum* ipſa natura dicitur; quo modo etiam *Tullius Lib. II de Orat. Cap. 31: Argumenta & criminum, & defenſionis, revocentur oportet ad genus, &* ad naturam uni

verſam: . . . *contraque, quæ pro reo dicentur, omnia neceſſario a tempore, atque homine, ad* communes rerum & generum ſummas *revolventur.* *Maieſtas* autem eſt ipſum illud Numen, quo ſapientiſſime reguntur omnia, & a quo ſumma rerum adminiſtratur, ſi formula hac uti liceat cum *Tullio* in *Or. pro S. Roſc. Cap. 32: Dum is in aliis rebus erat occupatus, qui* ſummam rerum adminiſtrabat. Inprimis autem Diis *maieſtatem* tribui, non opus erat ex *Lactantio* probari, cum bene multa *Ciceronis* loca ſuppeterent, a me collecta olim in horum *Miſcellaneorum Vol. I P. III pag. 532.* Idem *Tullius* eodem plane modo, quo *Minucius*, abſolute *maieſtatem* pro *potentia divina* poſuit in *Or. pro Milone Cap. 30: Nec vero quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullam* maieſtatem *eſſe ducit numenve divinum;* quo in loco illuſtrando diligentiſſime verſatur *Grævius*, plurima *Nazarii, Senecæ, Iuſtini, Suetonii, Zenonis, Prudentii, & Arnolphi Lexovienſis*, exempla adducens, unde, Diis *maieſtatem* tribui, cognoſci poteſt. Iam, lectis his, non, ut ſpero, emendationem ſuam pertinaciter defendet *Heumannus;* inprimis cum hoc etiam accedat, ipſum *maieſtatis* vocabulum ita res quasque ſummas complecti, ut, aliam ei vocem *ſummus* adiungi, non ſit opus, nec facile loca oſtendi Auctorum poſſe, quæ voci *maieſtas*, inprimis cum de Diis uſurpatur, talem, qualis *ſummus* eſt, adiunctam habeant.

Præcla-

Præclaram *Heumannus* emendationem eius dicit, qui primus in verbis: *Quæ ſupra nos cœlo ſuſpenſa ſublata ſunt*, pro *ſublata* reſcripſit *ſublimata.* Non hanc illi, quisquis eſt, laudem invideo; at fortaſſe ea dignior fuiſſet, quam nunc videri poteſt, ſi vocem hanc in locum minus bonæ & corruptæ repoſuiſſet. Nam, ſi aptum huic loco *ſublimata* eſt, quod negari nullo modo poteſt, non ideo reiici alterum *ſublata* debet, ſignificandi vim eandem habens, & eleganter alteri, *dimerſa*, oppoſitum, *Minucio* autem, qui ſimiliter infra *Cap.* 37 dixit: *Miſeri in hoc altius tolluntur, ut decidant altius*, magis, quam alterum, familiare, denique, quod ipſe agnoſcit *Heumannus*, præcipuam quandam ex libris MStis, & editione Romana, auctoritatem habens. Emendandi hæc quædam libido eſt, ſi quidem emendare is recte dicitur, qui loca erroribus mendisque vacua in aliam formam, nec eam magis elegantem, convertit. Hanc ego libidinem magis coercendam, quam immeritis laudibus condecorandam, putem.

In loco *Felicis: Mare licet influxerit e liquore*, ſi ex meo res arbitrio ageretur, retinendum eſſet vulgatum *influxerit*, non adoptandum *Heumanni* illud *confluxerit*, quippe bonum ſatis, ſed non alteri, æque bono, præferendum. Nam mari creſcenti, & tanquam in altum ſurgenti, propria eſt vox *influere*, idem notans, quod Germanis *anflüſſen*, *anwachſen*, dicitur. *Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXXI Cap.* 4: *Mutant ſaporem*

rem & influentes *rivi*; & *Curtius Lib. VIII Cap.* 9: *Ganges decurſurum in mare intercipit: magnoque motu amnis uterque colliditur. Quippe Ganges aſperum os influenti obiicit; nec repercuſſa aqua cedunt.* Et ſic translato ſenſu *Seneca* in *Thyeſt. III*, 536:

Quis influentis *dona* fortunæ *abnuit?*

Et *Plinius* in *Paneg. Cap.* 81: *Quodſi quando cum* influentibus negotiis *parta feciſti.* Ipſe etiam *Tullius de Univ. Cap.* 13: *itemque in eo* influente *atque* effluente *animo divino ambitus illigabant.* Itaque, liquore factum, ait *Minucius*, ut mare tanto impetu flueret; idque verbis, *mare influit e liquore*, non commode minus, quam Latine, expreſſit.

Leve peccatum eſt, quod *attollitur*, in his verbis obvium: *Homo & animal omne, quod naſcitur, inſpiratur*, *attollitur*, exſtare in editione Romana, *Heumannus* ait. Non enim hoc *attollitur*, ſed alterum, quod eſt probabilius, *& alitur*, in editione illa antiqua legitur, unde deinde translatum eſt hoc ipſum *& alitur* in optimam *Cellarii* editionem. Ita certe a *Wowero* in Nota, huic loco ſubiuncta, docemur.

Pro *iudice* ſi quis legendum *auſpice* cum *Heumanno* dixerit in his verbis: *nullo artifice*, *nec* iudice, *nec auctore*, nihil is me ſibi adverſantem habebit; at hoc tamen mihi credere liceat, coecum eum eſſe, non lippum, oportere librarium, qui *iudice* pro *auſpice* aut legerit per errorem, aut ſcripſerit. Ceterum, quid ſibi velit illud *iu-*

dice, niſi ſignificatus huic voci valde inſolitus tribuatur, non magis ego, quam alius quisque, intelligo.

Ut *promicare* potius cum doctiſſimo *Heuſingero*, cui alioqui in his rebus multum tribuo, quam, quod in vulgatis eſt, *præmicare*, legam in hoc loco: *tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina* præmicare, nihil me movet. Habet enim hoc ipſum *præmicare* ſenſum valde commodum, & accommodatum ad mentem *Minucii*, qui ſummum & mirificum fulminum ſplendorem verbo hoc ſignificare voluit. Nimirum *præmicare* eſt *valde micare*, ut fere plerumque præpoſitio *præ* in compoſitione augere ſignificatum ſimplicis ſolet. *Apuleianum* verbum eſt; cuius Scriptoris hæc ſunt *Metam. Lib. V: Lucernamque concinnam, completam oleo, claro lumine* præmicantem, *ſubde aliquo claudentis aulæ tegmine*; & *Lib. X: Nam & galeam nitore* præmicantem, *& ſcutum ceteris bis longius relucens*, &c. & *Lib. XI: Video* præmicantis *lunæ candore nimio completum orbem*; & eodem *Libro*: *Quorum primus lucernam* præmicantem *claro porrigebat lumine*.

Emendationi illi verborum: *In incendiis, interitum convenire inſontium nocentiumque?* ubi *Heumannus* pro *convenire* legit *conſtat evenire*, nunquam ego (ſit venia ita libere ſcribenti) aſſenſum præbebo. Nihil enim certius apparet integram verborum ſeriem inſpicienti, quam voluiſſe tali verbo uti *Minucium*, quod coniunctio-

 nem

nem aliquam ſignificaret, & partim his, quæ paulo ante leguntur: *In naufragiis, bonorum malorumque fata mixta, merita confuſa*, partim his, quæ deinde ſequuntur: *&, cum tabe peſtifera cæli tractus inficitur, ſine diſcrimine omnes deperire*, conveniret. Quod vero, in vulgata lectione deeſſe verbum, ait *Heumannus*, a quo excipiantur accuſativi infinitivis iuncti, id ſi emendandi iuſtam cauſam præbuit, quid eſt, quod emendanda non duxit verba, paulo ante poſita: *Sic congregatis ignium ſeminibus, ſoles - - ſplendere; - - nebulas ſemper adoleſcere, - - nubes altius ſurgere, - - - fulmina prœmicare*, quorum eandem patet rationem eſſe. Et fortaſſe infinitivi illi trahendi ſunt, certe poſſunt trahi, ad verbum *loquar*, paulo ante obvium in his: *Quid tempeſtates* loquar *varias & incertas?*

Parum favet *Heumannus Wobkenſii*, ita emendantis hunc locum: *In pace etiam, non tantum æquatur nequitia melioribus, ſed & colitur, ut in pluribus neſcias, utrum ſit eorum deteſtanda pravitas, an optanda felicitas*, ut legat, *ita colitur, ut* &c. coniecturæ, cui ego, merito viri & coniecturæ ductus, multum faveo. Nam, ſi hanc legendi rationem ſequare, deſinit eſſe frigida oratio, quæ ſine ea nervo & robore caret, nec ſatis digna *Minucio* putari poteſt. Quid enim aliud eſt *melioribus æquare aliquem*, quam *colere*, aut eo cultu, qui melioribus debetur, dignum iudicare? Plus autem, quam colere, eſt ita

ita colere, ut, quem proſequimur hoc cultu, is omnium ſit feliciſſimus exiſtimandus. Non igitur de ſimplici cultu, ſed de ſummo cultus & honoris gradu, ſermonem fuiſſe *Minucio*, apparet, atque adeo recte ab eo dictum, non tantum melioribus æquari peſſimos, ſed ita etiam coli, ut vix maior eorum eſſe felicitas poſſit.

Iam, longius proferre pedes, & in legendis *Capitis ſexti* ac *ſeptimi* emendationibus eadem, qua in prioribus illis, ſive cum voluptate, ſive cum induſtria, occupari, huius partim ſpatii anguſtia, partim, ne longiorem hanc orationem, quæ brevior etiam gratiæ & ſuavitatis parum habet, faſtidiant lectores, iuſtus me timor prohibet. Hunc igitur, Lector, nugarum mearum finem habeto, &, ſi æquitatem amas, ita iudicato, nihil horum eo animo a me ſcriptum, ut laudibus *Heumanni*, Viri in hoc literarum genere prorſus ſummi, obtrectarem, aut, poſſe me aliquid in re critica, oſtenderem, quorum alterum turpe & indecorum, alterum inane & prorſus ridendum, foret, ſed eum mihi dicendorum fuiſſe finem propoſitum, ut *Heumanni*, qui, ſua a me attente legi, & de his libere dici ſententiam, voluit, honeſtiſſimo deſiderio ſatisfacerem, &, ſi hoc etiam per me fieri poſſet, oſſa *Minuciana* poliendo, literarum honori ac dignitati conſulerem.

INDEX

INDEX
DISSERTATIONVM,

QVAE

VOLVMINIS QVINTI

PARTE QVARTA

CONTINENTVR:

I. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Meletema ſacrum de Veſtitu Ioannis Baptiſtæ, ad *Matth. III, 4, Marc. I, 6.* Pag. 566 -- 597.

II. PETRI ZORNII Diſſertatio de Cippis ſanctis, apud veteres Ebræos memoriam divinorum beneficiorum conſecrantibus, poſthuma. 597 -- 613.

III. CAROLI HENR. ZEIBICHII de Suffimento Meſſiæ Obſervatio, ad *Ieſ. IX, 3.* 613 -- 621.

IV. IO. CAROLI HENR. DREYER de Fide manuali Germanorum, & traditione per chirothecam, Diſſertatio. 621 -- 657.

V. Elementum earum quantitatum, quæ imaginariæ, itemque impoſſibiles, vocantur, e tenebris ſuis eruere, & tractatu facilius reddere, conatus eſt NIC. BÜTTNERVS, Schol. Stadh. Inſp. 658 -- 719.

VI. IO. IAC. REISKE Specimen Emendationum in Græcos Auctores. 719 -- 729.

VII. FRID. OTTONIS MENCKENII modeſta eorum, quæ ad Minucium Felicem a Celeberrimo *Heumanno* obſervata ſunt, Ἐπίκρισις. 729 -- 755.

INDEX I.

DICTORVM SCRIPTVRAE S. IN HOC VOLVMINE AVT EXPLICATORVM, AVT ILLVSTRATORVM:

Gen. X, 19. 424
22. 283
XII, 1. 489
6. 433. 450
XIII, 1. 269. 315
XIV, 1. 282. 289. 311
5. 315
14. 264. 266
15. 250
XV, 6. 584
XVIII, 19. 582
XX, 1. 305
7. 586
XXII, 5. 489
XXIV, 25. 309
67. 11
XXV, 1. 196
XXVI, 34. 197
XXVIII, 9. ibid.
18. 602
19. 427
XXIX, 4. 316
XXXI, 13. 604
20. 316
23. ibid.
46. 612
48. ibid.
51. 52. ibid.
XXXII, 3. 279
XXXIV, 25 309
XXXV, 1. 604
6. 427
16. 300
36. 440
XXXVI, 2. 3. 197

Gen. XXXVI, 20. 317
32. 272
35. 306. 443
XLI, 45. 317. 437
50. 317. 437
XLIII, 3. 427
L, 1. 571
5. 246
Exod. I, 11. 313
II, 5. 571
10. 28
VII, 1. 581
XIII, 2. 296
XIV, 2. 431
XV. 18. 20
22. 434. 439
XVI, 1. 290. 440
XIX, 20. 571
XX, 1. 2. 218
25. 607
26. 571
XXI, 8. 403. 404
XXIII, 14. 35
24. 609
XXIV, 4. 604
8. 218
9. 217
10. 217. 218
11. 217
XXX, 38. 615
XXXIV, 13. 609
Levit. XXII, 12. 210
XXIII, 7. 8. 36
11. ibid.
XXVI, 1. 601. 609
45. [illegible]

Num. IV, 20. 612
XI, 34. 35. 252
XIII, 22. 436
XV, 38. 213
XX, 22. 450
XXI, 18. 441
19. 270. 441
20. 270
30. 271. 454
XXII, 4. 443
5. 316
XXIII, 2. 571
7. 316
14. 571
28. ibid.
XXIV, 21. 443
22. 252
XXV, 6. 443
15. ibid.
17. 18. ibid.
XXVI, 15. 269
XXX, 7. 210
XXXI, 2. 3. 443
7-9. ibid.
22. 23. 578
XXXII, 3. 271
36. ibid.
XXXIII. 296
7. [illegible]
8. 440
20. 21. 423. 426
25. 26. 438
28. 29. 449
30. 31. 428
37. 38. 318
41. ibid.

Num.

Num XXXIII, 45.
47. 271
XXXIV, 3. 4. 318
5. 318. 424. 442
9-12. 318
Devt. I, 1. 272
2. 279. 423
17. 571
36. ibid.
II, 5. 279
8. 252. 279. 297
12. 317
III, 14. 306
21. 571
V, 27. 28. 212
VI, 11. 236
X, 6. 312. 420
XI, 30. 300
XII, 3. 609
XVI, 22. ibid.
XVIII. 581
XXII, 12. 213
XXIII, 2. 214
XXVII, 20. ibid.
XXXII. 12. 18. 21. 23
1. 201
3. 4. 24
15 ſq. 25
32 ſq. ibid.
36. 19
XXXIII, 4. 28
XXXIV, 1. 266. 412
IV, 611
3. 601
5. 604
VIII, 30. 31 ſq. 608
X, 30. 255
41. 312
XI, 9. 449
16. 312
XII, 5. 306
13. 255
18. 425
Devt. XII, 23. 311
XIII, 2. 306
4. 443
5. 299
6. 448
7. 251
9. 271. 420
11. 306
13. ibid.
17. 271
18. 442. 446
20. 271
21. 443
26. 255
XIV, 11. 257
14. ibid.
XV, 7. 255. 256. 399
15. 255
22. 272
32. 426
51. 312
54. 423
55. 423. 595
60. 302
Joſ. XVII, 7. 421
XVIII, 13. 427
XIX, 6. 426
15. 450
18. 260
20. 422
28. 265
29. 448
34. 411
47. 424. 426
XX, 14. 255
XXI, 1. 454
16. 423. 595
24. 303
28. 422
34. 254
XXII, 28. 601
30. ibid.
XXIV, 26. 601. 604
Joſ. LVI, 2. 427
Judic. I, 16. 293.
421. 423
23. 427
26. ibid.
35. 249
IV, 16. 342
18. 215
V, 21. 421
VI, 4. ibid.
15. 295
VII, 12. 421
VIII. 11. 408
27. 295
32. ibid.
XIV, 20. 210
XVIII, 7. 265
28. ibid.
29. 265. 424. 436
XIX, 13. 302
Ruth. III, 9. 203. 212
1 Sam. VI, 14. 610, 631
18. 19. 611
VII, 12. 598
VIII, 1-3. 199
5. ibid.
XI, 4. 302
XIII, 2. 302. 307
XIV, 22. 394
XXI, 1. 454
XXII. 4. 448
5. 440. 448
XXIV, 1. 448
2. 293
12. 215
23. 440. 448
XXX, 14. 411. 422.
423
29. 254. 411. 423
2 Sam. I, 21. 308
II, 8. 429
29. ibid.
III, 3. 297. 396
V, 17. 448
2 Sam.

2 Sam. X, 6. 421
8. ibid.
XI, 3. 197
XII, 27. 420
XIII, 23. 295
37. 38. 306
XIV, 21. 404
23. 306
32. ibid.
XV, 18. 302
XVII, 24. 294
XVIII, 6. ibid.
XX, 8. 443. 610
14. 314
XXI, 16. 454
18. 252. 454
19. 197
XXII. 387
17. 28
XXIII, 9. 402
27. 252
28. 29. 452
30. 450
33. 316
34. 309
38. 418
XXIV. 448
5. 420
XXVI, 6. 408
1 Reg. II, 10. 220
IV, 9. 431
10. 249
11. 450
V, 18. 299
VIII, 48. 404
IX. 226
26. 284
XI, 26. 295
XV, 5. 250
29. 418
22. 305
XVII, 1. 309
XXII, 49. 296
2 Reg. I, 8. 584
II, 3. 582
11. 191
VIII. 204
1. 202
IX, 31. 583
XIV, 25. 26. 452
28. 411
XV, 29. 309. 312. 410
XVI, 6. 283
XVII, 6. 275. 312
24. 436
XXI, 18. 221
19. 409
26. 221
XXIII, 33. 436
XXIV, 6. 197
1 Par. I, 46. 443
II, 23. 306
III, 1. 197
2. 306
5. 197
V, 19. 20. 315
VI, 77. 256
XII, 6. 440
XVIII, 8. 254
XXXII, 33. 220
2 Par. III, 7 ſq. 206
V, 26. 315
VIII, 4. 293
17. 284. 297
XX. 208
2. 206. 420
16. 413
24. 206
XXI. 198. 206
12. 188
XXII, 1. 198
10. 255
XXVI, 7. 446
XXVIII, 4. 219
XXX, 5. 221
XXXIV, 24. ibid.
Eſr. IV, 9. [illegible]
VI, 2. 276
VII, 6. 394
10. ibid.
12. ibid.
Neh. VI, 8. 402
XI, 1. 107
25. 272
Job. IX, 8. 219
XI, 1. 450
Pſ. XVI, 4. 616
7, 8. 620
XVIII. 388. 400
XXVII, 5. 267
XL, 9. 620
XLVIII, 3. 267. 414
LVIII, 8, 9. 218
LX, 11. 448
LXXVIII, 12. 313
LXXXIII, 6. 249
LXXXIX, 1. 295
XCII. 18
CVI, 45. 212
CVIII. 448
CXVI, 12. 605
CXX, 5. 422
CXXX, 6. 409
CXXXII, 6. 249
Prov. II, 17. 210
XXVI, 8. 612
Cant. I, 5. 420
Eſ. I, 10. 563
13. 33. 35. 38
V, 18. 224
27. 599
VII, 3. 307
87. 35
IX, 2. 408
X, 9. 436
XV. 426
5. 251
9. 441
XVII, 13. 224

Is. XIX, 13. 444
18. 420
19. 605
31. 35
XXI, 11. 274
13. 270
XXII, 5, 6. 423
16. 223. 236
XXVI, 14. 448
19. ibid.
XXX, 2, 3. 229
4. 315
5. 229
XXXIII, 2. 307
16. 230
XLVI, 21. 13
XLVIII, 2. 107
LI, 1. 235
LII, 15. 616
LIII, 7. 22. 30
9. 226
LIV, 12. 414
LV, 13. 605
LXI, 10. 218
LXIII, 1. 274
11. 28
Jer. II, 2. 209. 312
16. 267. 444
VIII, 22. 309
XIV, 1, 2. 201
XV, 2. 446
4. 409
6. 452
XXI, 1. 200
11. 274
14. ibid.
XXIV, 1. 197
XXV, 25. 283
XXVI, 7. 582
XXVIII, 5. 426
XL, 16. 405
XLII, 5. 210
Jer. XLIII, 7, 8. 267
13. 317. 437
XLIV, 1. 267. 431
XLVI, 11. 309
14. 431. 444
XLVIII, 2. 430. 441
4. 449
5. 251
21. 251. 270.
271. 446
22. 251. 251
31. 253
34. 252. 281. 452
XLIX, 1. 431
3. ibid.
13. 274
16. 210
19-21. 280
22. 274
28. 422. 440
30. 422
33. ibid.
34. 282
LI, 27. 445
Thren. I, 1. 108
IV, 21. 278
Ezech. VI, 14. 270
XVI, 8. 208. 209
211. 213
XXIII, 4. 210
XXV, 4, 5. 421
6. 254
16. 423
XXVII, 7. 289
9. 299
13. 446
19. 264. 410. 444
21. 422
XXVIII, 13. 444
XXX, 13. ibid.
16. 454
XXXVIII, 6. 268
XLIII, 7. 219
Ezech. XLVII, 12. 402
15. 250. 319. 326
16-19. 319
XLVIII, 1. 250. 326
Dan. II, 44. 575
III, 1. 274
VII, 13, 14. 575
VIII, 2. 283
IX, 24. 616
XI, 10. 404
Hoſ. II, 20. 217. 223
VI, 13. 410
IX, 6. 444
X, 6. 410
XII, 12. 300. 309
Joel. I. 199
3. 204
9. 203
14. ibid.
16. ibid.
II. 205. 206
1. 203
15. ibid.
20. 205
23. 283
27. ibid.
32. ibid.
III, 1. ibid.
6. ibid.
16, 17. ibid.
21. ibid.
IV, 16. 201
9. 279
12. 274
VII, 17. 224
IX, 7. 423
Jon. I. 452
III, 2. ibid.
6. 452. 585
Mich. V, 1. 249
VII, 6. 11
Zeph. I, 11. 415

Zeph.

Zeph. II, 5. 254
Hagg. I, 8. 414
II, 13. 213
Zach. III, 4, 5. 218
VIII, 3. 582
IX, 1. 315
6. 610
XII, 10. 8
XIII, 4. 584
Mal. II, 14. 210
III, 1. 581
IV, 5. 190. 580
6. 580. 582. 584
Judith. I, 1. 276
8. 248
9. 313
II, 24. 447
28. 248
III, 14. 298
IV, 6. 274
VII, 3. 421
17. 432
18. 252. 290
XV, 4. 250. 251
5. 250
Tob. V, 9. 276
Sir. XXIV, 4 sq. 16
1 Macc. IV, 44. 607
V, 26. 287
35. 287. 440
36. 431
46. 295
XI, 67. 450
XII, 25-30. 323
XIII, 27 sq. 224
XV, 37. 434
2 Macc. IX, 3. 276
XII, 27-28. 295
3 Esr. VI, 23. 276
Matth. II, 23. 596
III, 9. 611
11. 577
IV, 5. 107
Matth. X, 9. 590
35, 36. 11
XI, 8. 585
11. 580
13. 14. ibid.
16. 12
XII, 39. ibid.
40. 234
41, 42. 12
45. ibid.
XV, 39. 261
XVI, 28. 8
XIX, 1. 411
XXII, 20. 14
34, 35. 50
41. ibid.
XXIII, 35. 107
XXIV, 34. 12
XXVI, 30. 589
31. 301
64. 8
XXVII, 53. 107
60. 235. 238
XXVIII, 2. 327
10. ibid.
Marc. I, 4. 575. 576
IV, 5. 238
VIII, 10. 261
IX, 41. 51
X, 1. 411
XV, 46. 235
XVI, 6. 327
16. 576
Luc. I, 17. 580
35. 16
39. 423
II, 11. 596
41. 301
44. ibid.
III, 3. 577
9. 582
VII, 11. 596
29. 572
Luc. IX, 27. 8
XI, 29-32. 12
50, 51. ibid.
XIII, 1. 301
XIX, 40. 602
XXII, 29. 578
XXIII, 53. 238
Jo. I, 15, 16. 582
19 sq. 572
21. 581
27. 592
29. 22. 30. 582
31. 577. 587
33. 577. 582. 587
III, 36. 582
IV, 34. 629
45. 301
V, 2. 8
27. 578
VII, 14. 31
37. 33. 38
X, 22. 94
XI, 38. 232
XII, 12. 327
XIX, 31. 33. 34
Act. I, 5. 577
10. 327
11. 302
II. 577
9. 283
29. 282
VIII, 26. 304
32. 22
IX, 10. 419
X, 30. 327
XI, 5. 596
XV, 9. 576
11. 575
XVII, 8. 596
XXI, 37. 417
XXIII, 6. 22
9. 50
Rom. IV, 3. 584

Rom. V, 12. 378
IX, 5 ibid.
22. 584
1 Cor. I, 12. 51
24. 26
III, 4. 51
V, 7. 31
XIV, 3. 581
15. 16. 529
2 Cor. V, 19. 378
X, 7. 51
XI, 31. 22
Eph. IV, 9. 234
V, 2. 619
19. 529. 531
Col. II, 2. 22
9. 378
IV, 16. 529
1 Theſſ. 200
II, 16. 26
2 Tim. II, 20. 21. 578
Tit. I, 3, 4. 22
16. 26
II, 13 22
1 Petr. I, 5. ibid.
19. 22. 30
II, 22. 22
IV, 7. 26
14. 22
17. 26
1 Jo. I, 7. 576
II, 1. 29
2. 616
7. 29
12. ibid.
18. ibid.
II, 28. ibid.
1 Jo. III, 4. ibid.
V. 21. ibid.
XXI, 15. ibid.
I, 14. 137
II, 17. 616
III, 6. 578
10. 12
23. 190
V, 8. 621
IX, 4. 617
IX, 12. 616
14. 576
19. 218
22. 576
24. 616
X, 37. 26
XII, 11 51
26. 218
XIII, 15. 619
Jac. I, 27. 22
III, 9. ibid.
V, 1 ſq. 26
13. 529
Apoc. I, 3. 27
7. 8. 26
9. 9. 22
13. 592
14. 327
19. 27
II, 8. 583
17. 327
III, 14. 7
17. ibid.
18. 218. 327
IV. 7
V, 9. 31
12. ibid.
Apoc. VI, 2. 327
6. 6
12-17. 27
VII, 10. 22
17. ibid.
VIII, 1 ſq. 617
IX, 15. 27
18-21. ibid.
X, 4. 6
XI, 5. 10
15. 27
XII, 17. 9
XIII, 8. 31
18. 13
XIV, 1. 14
4, 5. 22
9. 14
18-20. 7. 14
XV, 3. 1. 19
4. 19
7. 12
XVI, 13. 7
17. 25
18-21. 7
XVII. 4. 9
7. 3
11. 3
12. 3. 4. 5
15, 16. 4
XIX, 8. 218
10. 9
11. 327
XX, 11. 327
XXI, 2. 107
XXII, 20. 27

INDEX

INDEX II.

RERUM NOTABILIUM.

Aetna, Carmen Severi, emendatum. 137 ſq. 335 ſq.
Agnus cur vocetur Chriſtus? 29 ſq.
Alam expandere ſuper aliquam, quid notet? 209 ſq.
Alciphronis loca emendata. 728.
Apocalypſis Joannea quo tempore literis ſit conſignata? 1 ſq.
Ariſtophanis loca emendata. 724 ſq.
Ariſtotelis Oeconomica in Polonia excuſa. 369 ſq.
Averroes cum Arreis Avicenna, ſpontaneae hominum generationis patrono, non confundendus. 456 ſq.

Baptiſmi pœnitentiæ origo. 578 ſq.
Bocatii (Jo.) vita deſcripta, et in literas merita laudata. 112 ſq.

Cadytis Herodoti an recte venditetur pro metropoli Palæſtinæ? 99 ſq.
Cameli deſcriptio. 580 ſq.
Cantilena Moſis et agni explicata. 18 ſq.
Caput, vox, urbibus tributa. 506 ſq.
— vocis ſignificatus ſingularis. 511 ſq.
Carmen, Chriſto quaſi Deo dictum, quomodo explicandum? 524 ſq.
Per *Chirothecam* traditio Germanis uſitata. 621 ſq.
An *Chriſtus* mediator ſibi ſatisfecerit, quæſtio olim in eccleſia Cæpolitana diſceptata. 377 ſq.
Cippi ſancti, memoriam divinorum beneficiorum conſervantes, illuſtrati. 597 ſq.
Clerici, (Jo.) in Severi de Aetna Carmen Notæ ſub iudicium vocatæ. 137 ſq. 335 ſq.
— errores poetici notati. 157. 158 ſq.
Compitalium antiquitates illuſtratæ. 93 ſq.
Conſcius, vox, ſubſtantivi vim habet. 736.
Curvus cur vocetur æſtus maris? 344 ſq.

Dabarittæ antiquitates geographicæ illuſtratæ. 255 ſq.
Damaſci antiquitates geographicæ illuſtratæ. 261 ſq.
Dan urbis antiquitates illuſtratæ. 264 ſq.
Daphnarum urbium antiquitates illuſtratæ. 267 ſq.
Denſus, vocabulum, inprimis de aere uſurpatum. 141 ſq.
Dies magni Hebræorum quales fuerint? 31 ſq.
Dii, a ſervis Romanis culti, quales? 63 ſq.
Diſcedere, verbum, cum accuſativo coniunctum. 341.

Diſcrimen parvum, aut tenue, apud Severum quid notet? 143 ſq.
Dubius terræ mariſque, quid notet? 353 ſq.

Ecbatanæ antiquitates geographicæ illuſtratæ. 276 ſq.
Edom urbis antiquitates illuſtratæ. 278.
Elanæ vici antiquitates illuſtratæ. 284 ſq.
Eleales urbis antiquitates illuſtratæ. 286 ſq.
Elementum earum quantitatum, quæ imaginariæ, itemque impoſſibiles, vocantur, demonſtratum. 658 ſq.
Elias, auctor Epiſtolæ ad Joramum datæ, quis fuerit? 188 ſq.
Emeſæ urbis antiquitates illuſtratæ. 291 ſq.
Ephraim urbis antiquitates illuſtratæ. 294 ſq.
Etam loci antiquitates illuſtratæ. 296 ſq.
Euripides illuſtratus. 216.
Euripidis loca emendata. 714. 726.
Ezeongeber loci antiquitates illuſtratæ. 297 ſq.

Faſti Romani explicati, locupletati, et illuſtrati. 163 ſq. 174 ſq. 177 ſq. 181 ſq.

Galilææ antiquitates illuſtratæ. 300 ſq.
Gazæ antiquitates illuſtratæ. 303 ſq.
Generationis hominum æquivocæ poſſibilitatem quis inter Saracenos primus docuerit? 459 ſq.
Gentilis (Scipionis) carmina laudata. 550.
Gloſſaria Philoxeni et aliorum emendata. 183 ſq.
Goſchen, urbis Aegypti, antiquitates illuſtratæ. 312 ſq.
Gudius (Gottlob Frid.) ſui adverſus Ikenium defenſor. 41 ſq.

Herodoti locus emendatus. 717 ſq. 722 ſq.
Heſychius emendatus. 211.
Heumanni (Chriſt. Aug.) emendationes Minucii Felicis ſub modeſtum iudicium vocatæ. 729 ſq.
Hilleri (Matth.) de origine et ſenſu Kethib et Keri ſententia vindicata. 385 ſq.
Hor, montis Idumææ, antiquitates illuſtratæ. 317 ſq.
Hymni in veteri eccleſia uſitatiſſimi. 522 ſq.

Iericho urbis antiquitates illuſtratæ. 411 ſq.
Ieruſalem urbis antiquitates illuſtratæ. 413 ſq.
Ikenius (Conr.) refutatus. 44 ſq.
Impatiens, vox, de gaudio recte uſurpata. 741 ſq.
Inambulare, verbum, nuſquam dativo iunctum reperitur. 743 ſq.

In-

Inconditus, vocis, rarior ſignificatus. 145.
Influere, verbi, rarior ſignificatus, 751 ſq.
Inſcriptiones variæ Romanæ explicatæ. 178 ſq.
Ioeli Prophetæ epiſtola, quæ ſub nomine Eliæ ad Ioramum data eſt, vindicata. 196 ſq.
Iſidori Epiſtolarum edendarum inſtitutum. 375. 538 ſq. 543. 562 ſq.
Italorum contemtus literarum et doctorum virorum notatus. 550.
De *Iureto*, Symmachi editore, iudicium. 554. 560.

Karæorum antiquitas in dubium vocata. 49 ſq.
Kethib et Keri origo et ſenſus veſtigatus. 385 ſq.

Lentities cur plumbo tribuatur? 346 ſq.
Livii locus emendatus. 503. 304 ſq.
Luciani locus emendatus. 728.

Maieſtas pro ſummo Numine dicitur. 750.
Mamres urbis antiquitates illuſtratæ. 432 ſq.
Manualis fides Germanorum illuſtrata, 621 ſq.
Maraclee urbis antiquitates illuſtratæ. 434 ſq.
Maltaræ urbis antiquitates illuſtratæ. 436 ſq.
Mauſolea veterum Hebræorum illuſtrata. 219 ſq.
Memphis urbis antiquitates illuſtratæ. 443 ſq.
Minucii Felicis ſeptem priora capita emendata. 476 ſq. 729 ſq.
Moshemius (Jo. Laur.) refutatus. 524 ſq.
Moſis nomen ex antiquitate Hebraica illuſtratum. 28.

Nineves urbis antiquitates illuſtratæ. 452 ſq.
N. P. notæ ſignificatio quæ? 182.
Nuptiales Hebræorum antiquitates illuſtratæ. 210 ſq.

Ovidii loca quædam emendata. 331 ſq.

Palæſtinæ geographia illuſtrata et aucta. 248 ſq. 408 ſq.
Participii Præteriti uſus Romanus exemplis veterum illuſtratus. 120 ſq.
Paſſioneus Comes laudatus. 161.
Philoxeni et aliorum Gloſſaria emendata, 183 ſq.
In *Plinii* Epiſtolis locus explicatus. 521 ſq.
In *Polonia* qualis liber Græcus primum excuſus? 367 ſq.
Præmicare, verbum, quid notet? 753.

Quantitatum, quæ imaginariæ, itemque impoſſibiles, vocantur, elementum demonſtratum. 658 ſq.

Qu

Que ante *et* ponendi ratio Autoribus antiquis uſitata. 349 ſq.
Quintiliani Declamationum editio parata. 171 ſq.

Rapina ſæpius pro actu rapiendi uſurpatur. 355 ſq.
Relandi (Hadr.) liber de Palæſtina ſuppletus. 248 ſq. 408 ſq.
Revincire, vocis rarior ſignificatus. 182.
Revoluti æſtus quid notent? 335 ſq.
Rittershuſii (Cont.) edendi Iſidorum inſtitutum. 358. 539.

Sabbati magni apud Hebræos antiquitates illuſtratæ. 35 ſq.
Sadducæorum in Iudaica gente autoritas vindicata. 44 ſq.
Satire Varronianæ, ſeu Menippeæ, quæ ratio? 358 ſq.
Saturnalium antiquitates illuſtratæ. 86 ſq.
Schultingii (Io.) in Quintilianum merita laudata. 173 ſq.
Scioppii (Caſp.) deſtinata literaria. 544 ſq. 547 ſq. 553 ſq. 557.
Servi Romani quos coluerint Deos? 63 ſq.
Servis Romanis quales in rebus ſacris honores habiti? 64 ſq.
Severi (P. Cornelii) de Aetna Carmen explicatum et illuſtratum. 137 ſq. 335 ſq.
Solum, vox, in plurali uſurpata. 147 ſq.
Sophoclis locus emendatus. 727.
Suffimentum Meſſiæ explicatum. 613 ſq.
Suffocare, verbi, ratio explicata. 159 ſq.

Taubmanni (Frid.) inſtitutum, edendi Plautum, commendatum. 556
Theocritus illuſtratus. 210 ſq.
Theophraſti Characteres emendati. 725 ſq.
Therapevtæ an fuerint Chriſtiani? 170.
Traditio per chirothecam ex more Germanorum uſitata. 621 ſq.
a Turre (Philippi) in Faſtos Romanos obſervationes recenſitæ. 177 ſq.

Valerii Maximi loca emendata. 339 ſq.
Valſeri (Marci) Epiſtola edita. 375 ſq.
Venas trahere, formula ſatis Latina. 149 ſq.
Veſtitus Ioannis Baptiſtæ deſcriptus. 566 ſq.
Vulgus, vox, maſculino genere uſurpata. 744 ſq.

Wowerius (Io.) ad gregem mediocriter doctorum reiectus. 552.

Zonæ antiquitates illuſtratæ. 590 ſq.

Widener Library
3 2044 092 617 547